Little Seminary
Sept 1953

CATECHISMUS CATHOLICUS

CATECHISMUS CATHOLICUS

CURA ET STUDIO

PETRI CARDINALIS GASPARRI

CONCINNATUS

DECIMAQUINTA EDITIO

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MDCCCCXXXIII

Nemini liceat sine auctoris venia hunc catechismum denuo imprimere aut in aliam linguam vertere; venia autem catechismum in aliam linguam vertendi facile dabitur, si Episcopi eiusdem nationis catechismum, in vulgarem linguam versum, receperint.

IMPRIMATUR:

† Fr. A. Zampini, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

INDULGENTIAE

IIS CONCESSAE QUI DOCTRINAE CHRISTIANAE VEL TRADENDAE VEL DISCENDAE DANT OPERAM

1º *Plenaria indulgentia* omnibus et singulis Christifidelibus, qui, per mediam circiter horam et non minus quam per tertiam horae partem, doctrinae christianae tradendae vel discendae saltem bis in mense operam dederint, eodemque in mense bis lucranda diebus ad eorum arbitrium seligendis; dummodo vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem Romani Pontificis preces effuderint.

2º *Indulgentia partialis 100 dierum*, contrito saltem corde acquirenda, Christifidelibus iisdem, quoties per praefatum temporis spatium doctrinae christianae sive tradendae sive discendae operam navaverint.

(Cf. *Decretum* diei 12 martii an. 1930, in *IV Appendice* relatum).

PROOEMIUM

Quod Tridentino [1] et Vaticano [2] Conciliis in votis fuit, idem optatissimum est omnibus, quicumque doctrinae christianae pervulgandae studeant, ut catechismus edatur qui in Ecclesia universali adhiberi possit, ideo nempe « ut quemadmodum unus est Dominus, una fides, ita « etiam una sit tradendae fidei, ad omniaque pietatis officia populum christianum erudiendi communis regula atque praescriptio ». [3] Recentioribus autem temporibus, aucta emigrandi opportunitate et commoditate, necessitas huius catechismi gravior evasit. Hisce nos optatis satisfacere, pro tenui facultate nostra, conati sumus, compositis catechismis, qui nunc typis exscripti emittuntur.

Romani quidem Pontifices, cum doctrinae christianae cognitionem in Ecclesia universali summo studio promoverent, votis obsecundantes Patrum

---

[1] *Sess. XXV, De reform., Decretum de indice librorum, catechismo, etc.*

[2] Cf. in *Appendice I:* « Schema Constitutionis de parvo catechismo, iuxta emendationes a Congregatione generali [Concilii « Vaticani] admissas reformatum ».

[3] Catechismus ad parochos. *Praefat., n. 8.*

Tridentinorum, catechismum conscribendum curaverunt, conscriptumque et probatum edi iusserunt sub titulo: *Catechismus ex decreto SS. Concilii Tridentini ad parochos*, et etiam brevius: *Catechismus romanus;* eo consilio ut parochis epitomen quamdam ad christianam doctrinam rite tradendam suppeditarent. Catechismus profecto ille maximae est in re catechetica utilitatis;[1] verum, ut ipse eius titulus indicat, pro parochis praecipue est et pro catechistis ad fideles instituendos, et ideo non directe pro simplicibus fidelibus, nec de omnibus catechismi partibus pertractat. Item catechismum, quem S. Card. Bellarminus, theologica scientia summus, puerorum in gratiam composuerat, laudibus multis extulerunt Romani Pontifices; sanctaeque memoriae Pontifex Pius X, plures catechismos, alium ad aliam adolescentium aetatem accommodatum, probavit et praescripsit, praesertim pro dioecesibus provinciae

[1] In *Const.* In dominico agro, *14 iunii 1761*, Clemens XIII docet hunc catechismum fuisse « non mediocri labore et studio « compositum, omnium consensione probatum et summis laudi- « bus exceptum », et Romanos Pontifices illuc eam doctrinam contulisse, « quae communis est in Ecclesia et procul abest ab « omni periculo erroris ». Et Pius XI, *Epist.* Unigenitus Dei Filius, *19 martii 1924:* « in quo [Catechismo romano] nescias « utrum magis mirere, copiamne sanae doctrinae, an latini ser- « monis elegantiam ». Catechismus pertractat de *Symbolo*, de *Sacramentis*, de *Decalogo*, de *Oratione*.

romanae; complures quoque Episcopi, et in Italia et extra Italiam, suam quisque dioecesim proprio catechismo instructam voluerunt. In nostris catechismis componendis nullus catechismorum, quos memoravimus, neglectus fuit; imo ex eis quidquid visum sit opportunum, in ipsos conversum est.

Porro tres sunt personarum classes, quae catechistica institutione, ad uniuscuiusque aetatem et captum accommodata, indigent: *pueruli* qui primum ad sanctam communionem admittendi sunt: [1] *pueri* qui in catechismi studium, prouti tenentur, incumbunt; *homines adulti* qui pleniorem doctrinae catholicae cognitionem habere exoptant: hinc triplex catechismus. Ii tres catechismi hoc unico volumine continentur in commodum catechistarum; sed postea in usum eorum quibus singuli destinantur, separari poterunt et debebunt, omissis tamen in primo catechismo notis, quae pro catechistis sunt.

[1] Qui provectioris sunt aetatis, christianae doctrinae penitus ignari, qui sancta Ecclesiae Sacramenta percipere cupiunt, ne prima eorumdem Communio nimis retardetur, prius addiscant primum catechismum et ita ad primam Communionem admittantur, deinde alterum puerorum catechismum; constitutis vero in periculo mortis qui, doctrinam christianam ignorantes, Ecclesiae Sacramentis refici velint, consulitur in *Appendice III.*

Si agatur de parvulis qui ad Ssmam Eucharistiam primum admittendi sunt, Pius Pp. X Decreto *Quam singulari*, per S. Congr. de disciplina Sacramentorum, die 8 aug. 1910, edito (*Append. II*), praecepit qua aetate lex sacramentalis Confessionis et Communionis incipiat urgere, et quatenus doctrina christiana necesse sit sufficiatque eos esse instructos, ut ad mensam Eucharisticam admitti possint et debeant (cf. infra tertium catechismum pro adultis, *q. 262, 264*); sed saepe evenit ut ad primam sanctam Communionem sint admittendi, qui provectioris sunt aetatis. Pro iis omnibus nos breve catechismi schema proponimus. [1] Ordinarius pro sua prudentia et ipse catechista, de Ordinarii aut parochi consilio, alia pauca adicere poterit, dummodo ne prima Communio diu protrahatur neve eorum mens nimium gravetur, si de puerulis

[1] Hunc catechismum desumpsimus, paucis pro re nostra immutatis, ex opusculo: *Il Decreto «Quam singulari», pubblicato di ordine del Sommo Pontefice Pio Pp. X dalla S. Congregazione dei Sacramenti, il dì 8 agosto 1910*, quod edidit R. P. D. Dominicus Iorio, a secretis eiusdem S. Congregationis. In hoc parvo catechismo componendo, auctor prae oculis habuit opusculum: *Sulla età della prima Comunione dei fanciulli. — Breve commento del Decreto «Quam singulari»*, quod publicavit Cardinalis Gennari, qui in ipso Decreto conficiendo praecipuas partes habuit, quique proinde eiusdem Decreti mentem probe noverat.

agatur. Neque necesse est ut verba, quibus quaestionibus respondetur, memoria teneantur dummodo sensus eorumdem verborum percipiatur;[1] catechista autem doctrinas in quaestionibus traditas, quae aliquam explicationem merentur, explicet brevi et facili sermone, exemplis et figuris etiam usus, si id opportunum videatur. Priusquam vero ad mensam Eucharisticam primum quis admittatur, se studium catechismi prosecuturum esse parocho promittat, parentibus, si de pueris agatur, vel iis qui parentum vices gerunt, eius promissionem confirmantibus.[2]

Qui primam Communionem peregit, Eucharisticam mensam non quidem deserens, sed pro confessarii iudicio frequentans[3] « debebit inte-

---

[1] Card. Gennari, *l. c.*

[2] Parochus, de Ordinarii sui consilio, primam sacram Synaxim, ad tempus quantum quidem fieri potest brevissimum, differre potest, ni fallimur, si haec duo simul certa sint: 1° puerum post primam Communionem non esse catechismum frequentaturum; 2° prima Communione dilata, puerum catechismum frequentaturum esse ad primam usque Communionem. Brevis enim huiusmodi dilatio minus est malum, quam manca et imperfecta catechismi cognitio; et, donec de contraria eius mente non constet, censendum est Ecclesiam minus malum in pueri utilitatem permittere.

[3] Decretum *Quam singulari* haec habet: « V. Semel aut plu« ries in anno curent parochi indicere atque habere Communio« nem generalem puerorum, ad eamque non modo novensiles « admittere, sed etiam alios qui parentum confessariique con-

« grum catechismum pro modo suae intelligentiae « gradatim addiscere », ut S. Congr., *l. c.*, *n. II* statuit, et haec obligatio, quae pueros gravat, recidit quoque et praecipue in eos qui eorum curam habere debent (cf. infra tertium catechismum pro adultis, *q. 263*). Per *integrum* autem *catechismum* ne intelligas catechismum nostro similem pro adultis vel eruditis hominibus, sed breviorem, quamvis eatenus evolutum, quo pueris id tantum impertiatur doctrinae christianae, quod satis sit ad christianam eorum vitam ordinandam. Nos in altero catechismo illud huius catechismi schema proponendum censuimus, in quo quaestiones et responsiones iisdem afferuntur verbis atque in tertio catechismo pro adultis, ut, si puer pleniorem deinceps velit christianae doctrinae cognitionem habere, facilius possit eam acquirere nostrum tertium catechismum adhibendo. Ordinarius in huius locum aliud schema, quod magis aptum existimaverit, substituere poterit vel nostrum etiam ampliare aut minuere; catechista autem viva voce fusiores addet dogmatum explicationes vel narrationes ex historia sacra depromptas vel pias cohortatiunculas, quorum omnium exempla in tertio nostro catechismo repe-

« sensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari San-
« cta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et prae-
« parationis praemittantur ».

riet. Suum vero catechismum ut addiscant, contentione pueri nec brevi nec exigua enitantur oportet: quare *gradatim* hoc fiat necesse est, prouti ipsa Sacra Congregatio, *l. c.*, monet, ratione habita aetatis et capacitatis puerorum. Episcoporum erit hisce pueris in christiana doctrina erudiendis opportunas pro diversis puerorum classibus apparare instructiones; optandum est autem ut eae instructiones pro omnibus eiusdem nationis et idiomatis paroeciis eaedem sint.[1]

Demum nos in tertio catechismo conficiendo in hoc semper intendimus, ut solas Ecclesiae doctrinas is complecteretur, quae sunt vel ab ipsa Ecclesia definitae vel a Scholis catholicis receptae, vel conformes communi fidelium praxi, cui Ecclesia usque adhuc nullo modo contradixit; utque eas paucis quidem verbis complecteretur, sed eatenus tamen, ut cum esset ipsis parochis et catechistis adiumento, tum adultis vel eruditis

[1] Ad obtinendum ut pueri suum catechismum frequentent, aliquibus in locis habetur *solemnis baptismalium promissionum renovatio*. Pueri, scilicet, saltem per biennium, catechismi scholam frequentant; expleta catechistica instructione periculoque feliciter facto, praemittuntur dies aliquot instructionis et praeparationis, et tandem, praestituta die, post receptam sacram Communionem, baptismales promissiones magna cum solemnitate renovant coram parentibus aliisve qui parentum locum teneant, easdem promissiones ratas habentibus. Aliis in locis publica fieri solet solemnisque praemiorum distributio iis pueris qui saepius catechismi institutionibus adfuerint magisque in ipsis profecerint.

hominibus facultatem religionis catholicae satis cognoscendae praeberet, pleniore rerum explicatione theologis relicta. Item in studiorum cursu, qui apud nostrae iuventutis collegia peropportune haberi solet ad religionem cum altius addiscendam tum validius defendendam, noster catechismus, ni fallimur, tamquam norma esse potest, quod ad ordinem, methodum et proprias locutiones attinet.

De hoc autem maiori catechismo ea quae sequuntur perspecta habeantur eaque, fere omnia, etiam alteri catechismo pro pueris accommodentur.

Si ad errores, alicuius praesertim loci aut regionis proprios, confutandos, vel ad catholicam doctrinam magis magisque illustrandam, id expedire videatur, ut aliqua doctrinae capita accuratius evolvantur, aliorumve accessione compleantur, vel etiam excerptis ex utroque Testamento atque ex historia locis illustrentur, haec omnia fieri, sacrorum Antistitum permissu, licebit, dummodo ita fiant, ut res a nostro schemate distincta appareat.

Communis dumtaxat disciplina inibi traditur. De qua si quid legitima auctoritate in aliqua vel regione vel dioecesi fuerit immutatum, in ima pagina immutationes eiusmodi typis exscribantur, quas quidem catechista explicabit. Quae vero pro

aliquo tantum loco indulta sint, satis erit si parochi vel catechistae viva voce exponantur.

Si noster catechismus in Orientis Ecclesiis adhibeatur:

a) Quoties in catechismo de disciplina quaestio est, ex. gr., in tertio catechismo pro adultis, *Cap. V, De praeceptis Ecclesiae, q. 242 et seqq.*, in responsionibus disciplina exponitur in Occidente vigens; a qua si alicuius Ecclesiae in Oriente probata disciplina differat, curae erit locorum Ordinariis, ut quaestionibus et responsionibus huius catechismi substituantur quaestiones et responsiones, quae suae Ecclesiae disciplinae congruae sint.

b) Pariter in catechismo referuntur nonnullae ex usitatis in Occidente precationibus, quarum loco similes precationes, si habeantur, ponendae erunt, quae in Oriente usurpari solent.

c) Idem de Fidei Symbolo est dicendum. In nostro catechismo ponitur et explicatur Symbolum, ut aiunt, Apostolorum, dum pleraeque Ecclesiae Orientales et in catechismo et in sacris liturgiis Symbolo nicaeno-constantinopolitano utuntur, quo et nos utimur (addentes verbum *Filioque*) in Missae celebratione. Itaque in Oriente Ecclesiae possunt in catechismo suum Symbolum retinere, dummodo doctrinam de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio rite profiteantur; et cum inter unum et alterum nec sit nec esse possit

ullum in re discrimen, explicationes ex nostro catechismo mutuari.

d) Denique, ut alia omittamus, quorumdam Sacramentorum materia et forma non iisdem verbis traditur apud latinam Ecclesiam, atque apud orientales, aut saltem apud omnes orientales Ecclesias. Noster catechismus in textu ponit materiam et formam in Ecclesia latina receptam; in calce indicat materiam et formam in Ecclesia orientali usitatam; Ordinarii vero orientales in textu ponent materiam et formam in sua quisque Ecclesia usurpatam, et in calce materiam et formam in Ecclesia latina traditam indicabunt.

Quoniam autem non eo tantum spectat institutio catechetica, ut illustrentur hominum mentes, sed etiam et in primis ut impellantur voluntates ad vitam et mores christianae doctrinae praeceptis conformandos, suo quidem officio deesset catechista, qui vel doctrinam ipsam pro discipulorum captu non explicaret, vel eos ad bene vivendum opportune non hortaretur. Quarum quidem explicationum hortationumque specimina identidem in ima pagina inveniet, sibi fusius evolvenda, si velit, quibus alia quoque non difficulter ipse adiunget. Notantur ibidem – praeter Conciliorum oecumenicorum, Romanorum Pontificum, Sanctorum Patrum, Sacrarum Congregationum Romanarum, Codicis Iuris canonici auctorita-

tes – divinarum Litterarum loci, ad doctrinam in textu traditam pertinentes, ideo ut Sacrâ Scripturâ, quae *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia* (Paul., *2ª ad Tim., III, 16*), catechista uti assuescat, et cotidie in populo divini verbi cognitio veneratioque crescat. [1]

Denique volumus ut animadvertatur hunc catechismum a peculiari coetu Consultorum S. Congregationis Concilii, praeside ipso Cardinali Praefecto, fuisse recognitum; eundem a Doctoribus decurialibus Theologiae tradendae in catholicis Universitatibus, a pluribus purpuratis Patribus aliisque doctis viris examinatum; denique in ipso componendo plures egregios vel Consultores vel sacrae Theologiae in romanis Athenaeis Magistros valde utilem nobis operam navasse. [2] Quod

[1] Testimonia Conciliorum oecumenicorum, Romanorum Pontificum, Sanctorum Patrum et Sacrarum Congr. Romanarum, quae in catechismo afferuntur, seorsum collecta reperies in proprio huius libri additamento. Haec autem testimonia, una cum S. Scripturae locis qui frequenter in calce catechismi indicantur, certissimo sunt argumento doctrinam in catechismo propositam nequaquam novam esse aut recenter inventam, verum in sacris Litteris atque in perpetuo Ecclesiae magisterio contineri.

[2] Urbis Athenaea, quorum Doctores decuriales perhumaniter nos adiuvarunt, haec sunt: Universitas Gregoriana S. I., Collegium Angelicum O. P., Seminarium Romanum maius, Pontificium Institutum Orientalium studiorum et Collegium Urbanianum christiano nomini propagando.

si nihilominus in ipsum ex nostra exiguitate quid irrepserit doctrinae vel menti Sedis Apostolicae contrarium aut utcumque parum congruens, illud quidem retractatum iam nunc volumus atque expunctum.

PETRUS Card. GASPARRI.

ORDO

QUO CHRISTIANAE DOCTRINAE CAPITA IN TERTIO CATECHISMO PRO ADULTIS DISPOSITA SUNT

Caput I erit *De signo Sanctae Crucis*, quod est veluti tessera quaedam hominis christiani.

Caput II, *De divina revelatione*, est quasi aditus et ianua catechismi, quia per id caput docemur quibus modis Deum resque aeternas cognoscere possimus.

Quoniam vero ad animae salutem consequendam – quod quidem est *unum necessarium*, utpote hominis finis ultimus – in primis oportet *credere*, ideo Caput III erit *De symbolo Apostolorum*, in quo fidei veritates praecipue continentur.

Et quia ad *fidem* adiungenda sunt *opera*, idcirco Caput IV erit *De decalogo*, Caput V *De praeceptis Ecclesiae*, Caput VI *De consiliis evangelicis*.

Cum autem ad ea omnia efficienda quae in sex superioribus capitibus dicta sunt, opus omnino sit divina gratia, ideo Caput VII erit *De gratia*.

Quam quidem gratiam adipisci potissimum oratione et Sacramentis possumus; itaque Caput VIII erit *De oratione*, et Caput IX *De Sacramentis*.

Quoniam autem in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum consequimur et virtutes infusas et dona Spiritus Sancti, unde manant evangelicae beatitudines et fructus Spiritus Sancti, Caput X erit *De virtutibus theologicis, de virtutibus moralibus, de donis Spiritus Sancti, de evangelicis beatitudinibus ac Spiritus Sancti fructibus*.

Sed possumus, gratiae semper affatim a Deo nobis praebitae refragando, eius legem voluntarie violare, peccatumque committere, ac propterea Caput XI erit *De peccatis*.

Denique, cum ad vitanda peccata plurimum valeat, quod ipsae divinae Litterae suadent, Novissima meditari, Caput XII erit *De Novissimis*.

PRAECIPUA OMNIBUS SCITU NECESSARIA VEL VALDE UTILIA [1]

I. – Signum Sanctae Crucis.

✠ In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

II. - Oratio dominica.

Pater noster qui es in caelis,
sanctificetur nomen tuum,
adveniat regnum tuum,
fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;
et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,
et ne nos inducas in tentationem,
sed libera nos a malo. Amen.

III. - Salutatio angelica.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Iesus.

Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

IV. - Symbolum Apostolorum.

1º Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae;

---

[1] Catechista curet ut alumni haec omnia memoriae mandent. Quod vero attinet ad illos qui sanctam Communionem primum recepturi sunt, *cf.* Catech. pro eisdem, *pag. 27, not. 1.*

2º et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum;

3º qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine;

4º passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus;

5º descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis;

6º ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis;

7º inde venturus est iudicare vivos et mortuos.

8º Credo in Spiritum Sanctum;

9º sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem;

10º remissionem peccatorum;

11º carnis resurrectionem;

12º vitam aeternam. Amen.

V. - Salve Regina.

Salve, Regina, mater misericordiae; vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus, exsules filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

VI. - Doxologia in honorem Ssmae Trinitatis.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

VII. - Oratio ad Angelum custodem.

Angele Dei, qui custos es mei, me, tibi commissum pietate superna, illumina, custodi, rege et guberna. Amen.

VIII. - Oratio pro fidelibus defunctis.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. Requiescant in pace. Amen.

IX. - Praecipua Fidei mysteria.

1º Mysterium unius Dei in tribus distinctis Personis, Patre, Filio et Spiritu Sancto;

2º mysterium humanae Redemptionis per incarnationem, passionem et mortem Domini Nostri Iesu Christi, Filii Dei.

X. - Decalogus seu Dei mandata.

Ego sum Dominus Deus tuus:

1º non habebis deos alios coram me;
2º non assumes nomen Domini Dei tui in vanum;
3º memento ut dies festos sanctifices; [1]
4º honora patrem tuum et matrem tuam;
5º non occides;
6º non moechaberis;
7º non furtum facies;

---

[1] In versionibus verba: *dies festos* restitui possunt in pristina: *diem sabbati*, si ita ferat loci consuetudo; sed catechista id explicet congruenter iis quae exponuntur in tertio Catechismo pro adultis, *q. 203 et seqq.*

8° non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium;

9° non desiderabis uxorem eius;

10° non concupisces eius bona.

XI. - Praecepta Ecclesiae.

1° Diebus dominicis aliisque festis de praecepto Missam audire et ab operibus servilibus vacare;

2° diebus ab Ecclesia statutis ab esu carnium abstinere et ieiunium servare;

3° peccata saltem semel in anno confiteri;

4° Eucharistiae sacramentum saltem in Paschate recipere;

5° Ecclesiae clerique necessitatibus subvenire.

XII. - Sacramenta.

1° Baptismus;
2° Confirmatio;
3° Eucharistia;
4° Poenitentia;
5° Extrema Unctio;
6° Ordo;
7° Matrimonium. [1]

XIII. - Actus Fidei.

Deus meus, firmiter credo Te esse unum Deum in tribus distinctis Personis, Patre, Filio et Spiritu Sancto; et Filium propter nostram salutem incarnatum, passum

[1] Apud Orientales Confirmatio dicitur *Chrisma*, Extrema Unctio *Benedictio infirmorum* et apud Latinos etiam *Oleum sanctum*.

et mortuum esse, resurrexisse a mortuis, et unicuique pro meritis retribuere aut praemium in Paradiso aut poenam in Inferno. Haec ceteraque omnia quae credit et docet catholica Ecclesia, credo quia Tu ea revelasti, qui nec ipse falli nec nos fallere potes.

XIV. - **Actus Spei.**

Deus meus, cum sis omnipotens, infinite misericors et fidelis, spero Te mihi daturum, ob merita Iesu Christi, vitam aeternam et gratias necessarias ad eam consequendam, quam Tu promisisti iis qui bona opera facient, quemadmodum, Te adiuvante, facere constituo.

XV. - **Actus Caritatis.**

Deus meus, ex toto corde amo Te super omnia, quia es infinite bonus et infinite amabilis; et ob amorem Tui proximum meum diligo sicut meipsum, eique, si quid in me offendit, ignosco.

XVI. - **Actus Contritionis.**

Deus meus, ex toto corde poenitet me omnium meorum peccatorum, eaque detestor, quia peccando, non solum poenas a Te iuste statutas promeritus sumi sed praesertim quia offendi Te, summum bonum, ac dignum qui super omnia diligaris. Ideo firmiter propono, adiuvante gratia Tua, de cetero me non peccaturum peccandique occasiones proximas fugiturum.

XVII. – Mysteria Sacratissimi Rosarii.

Mysteria gaudiorum.

1° B. Maria Virgo ab Angelo salutatur.
2° B. Maria Virgo Elisabeth visitat.
3° Iesus Christus in Bethlehem nascitur.
4° Iesus infans in templo praesentatur.
5° Iesus puer in templo inter doctores invenitur.

Mysteria dolorum.

1° Iesus Christus, in horto orans, sanguinem sudat.
2° Iesus Christus ad columnam flagellis caeditur.
3° Iesus Christus spinis coronatur.
4° Iesus Christus, morte condemnatus, Calvariae locum, crucem baiulans, petit.
5° Iesus Christus, cruci affixus, coram Matre sua moritur.

Mysteria gloriae.

1° Resurrectio Iesu Christi.
2° Ascensio Iesu Christi.
3° Spiritus Sancti supra beatam Mariam Virginem et discipulos descensus.
4° Assumptio beatae Mariae Virginis in caelum.
5° Beatae Mariae Virginis coronatio itemque Angelorum et Sanctorum gloria.

Salve Regina.

Salve, Regina, mater misericordiae....

Litaniae Lauretanae.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison...

CATECHISMUS CATHOLICUS

Omnes debent, pro sua quisque conditione, catholicam doctrinam sedulo discere atque etiam curare ut, qui sibi subiecti sunt, eam ediscant; nulla enim doctrina gravior hac est, quae viam demonstrat aeternae salutis, in qua noster finis ultimus consistit. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* (Matt., *XVI*, 26).

I.

CATECHISMUS PRO PUERULIS AD SANCTAM COMMUNIONEM ADMITTENDIS AD NORMAM DECRETI « QUAM SINGULARI » PII PAPAE X.

Signum Sanctae Crucis.
Pater noster.
Ave, Maria.
Symbolum Apostolorum.
Actus contritionis.
Sacramenta. [1]

Q. 1. *Quis te creavit?*
R. Me creavit Deus.

[1] Catechista enixe curet ut omnes verba orationis dominicae, salutationis angelicae, et signi Sanctae Crucis distincte et devote pronuntient, et signum Sanctae Crucis rite peragant. Insuper enarret cuiusnam sint verba orationis dominicae et salutationis angelicae, eorumque sensum breviter exponat. Neque addere omittat beatam Mariam Virginem esse quidem matrem Dei, sed esse etiam matrem nostram, quae omnes nos materno prosequitur amore. Quamobrem omnes hortetur ut matrem caelestem filiali redament amore; et saepe, praesertim mane et sero, devote recitent orationem dominicam et salutationem angelicam et signent se signo Sanctae Crucis. Quod ad Apostolorum Sym-

Q. 2. *Quid intelligis nomine Dei?*

R. Nomine Dei intelligo spiritum purissimum, omni perfectione infinitum, qui creavit res omnes sive quae in caelo sive quae in terris sunt. [1]

Q. 3. *Curnam Deus te creavit?*

R. Deus me creavit ut eum cognoscerem, amarem eiusque mandata servarem atque ita post mortem beatus essem in Paradiso. [2]

Q. 4. *Quomodo Deus punit illos, qui eius mandata non servant?*

R. Illos qui eius mandata non servant, Deus punit in Inferno. [3]

---

bolum attinet et contritionis actum, necesse non est ut puerulus ante primam Communionem ad verbum ea discat, dummodo eis studuerit, sensumque cognoscat et post primam Communionem eis studere pergat eademque perdiscat ut rite ad alias Confessiones et Communiones se praeparet; interim pro prima Communione supplebitur ex dicendis in fine huius catechismi.

[1] Breviter exponat catechista, pro auditorum captu, creationem ex nihilo rerum omnium, et finem creationis tum rerum omnium, tum hominis. Enarret Angelorum lapsum ut ideam ingerat Angelorum, praesertim Angeli custodis et daemonum. Describat felicitatem hominis in paradiso terrestri ante peccatum originale, peccatum originale a protoparentibus commissum, eius transmissionem in omnes, excepta beata Maria Virgine, eiusdemque remissionem per Baptismum; et tandem dicat quomodo Deus in ipso paradiso terrestri dignatus sit Adamo et Hevae peccatoribus Redemptorem promittere, qui est Christus Dominus.

[2] Nos Deum cognoscimus et ratione et revelatione, et ipsum amamus eidemque servimus eius mandata fideliter servando aliisque operibus eidem acceptis, licet non praeceptis. Haec catechista ne omittat breviter declarare.

[3] Catechista paucis verbis exponat quid sit de anima in *Paradiso*, quid in *Inferno* : in *Paradiso* anima, videns

Q. 5. *Ubinam est Deus?*

R. Deus est in caelo, in terra et in omnibus locis.

Q. 6. *Deus habetne initium et finem?*

R. Deus non habet initium nec finem, quia est aeternus.

Q. 7. *Omniane Deus perspecta habet?*

R. Deus omnia perspecta habet, etiam quae libera creaturarum actione futura sunt, ipsosque cordis affectus et mentis cogitationes.

Q. 8. *Deus estne unus?*

R. Deus unus est unitate naturae in tribus distinctis Personis, quae appellantur Pater, Filius et Spiritus Sanctus quaeque sanctissimam Trinitatem constituunt.

Q. 9. *Quaenam divina Persona facta est homo?*

R. Facta est homo secunda divina Persona, idest Filius Dei.

Q. 10. *Quo nomine vocatur Filius Dei factus homo?*

R. Filius Dei factus homo vocatur Iesus Christus.

Q. 11. *Quomodo Filius Dei factus est homo?*

R. Filius Dei factus est homo, corpus et animam, virtute Spiritus Sancti, sumens in sinu purissimo beatae Mariae Virginis. [1]

Deum prouti est, perfecta ac perpetua felicitate gaudet una cum Iesu Christo Domino nostro, beata Maria Virgine, ceterisque Coelitibus; in *Inferno*, anima, beatifica Dei visione privata, una simul cum Satana aliisque daemonibus et damnatis, igne perpetuo torquetur aliaque tormenta sustinet.

[1] Narret catechista missionem Archangeli Gabrielis ad beatam Mariam Virginem, nativitatem Iesu Christi in Bethlehem Iuda, Epiphaniam Domini eiusque per triginta annos in civitate Nazareth vitam privatam, qua exemplum omnibus dedit et laboris et obedientiae parentibus debitae.

Q. 12. *Curnam Filius Dei factus est homo?*

R. Filius Dei factus est homo, ut nos liberaret a peccato atque ita nos perduceret in Paradisum.

Q. 13. *Quid fecit Iesus Christus ut nos liberaret a peccato atque ita nos perduceret in Paradisum?*

R. Iesus Christus ut nos liberaret a peccato atque ita nos perduceret in Paradisum, passus et mortuus est in cruce, deinde resurrexit et ascendit in caelum, unde venturus est iudicare vivos et mortuos. [1]

Q. 14. *Quid sunt Sacramenta?*

R. Sacramenta sunt media a Christo Domino instituta ad gratiam nobis conferendam.

Q. 15. *Quodnam Sacramentum usque adhuc recepisti?*

R. Usque adhuc recepi sacramentum Baptismi, quo factus sum christianus et capax Sacramenta recipiendi.

Q. 16. *Quaenam Sacramenta modo recipere desideras?*

R. Modo recipere desidero sacramenta Confirmationis, Poenitentiae, et Eucharistiae.

Q. 17. *Quid est sacramentum Confirmationis?*

R. Sacramentum Confirmationis est sacramentum a Iesu Christo institutum ad conferendam specialem gratiam et dona Spiritus Sancti, quibus confirmatus roboratur ad fidem verbo et opere profitendam. [2]

---

[1] Catechista breviter exponat mysterium humanae redemptionis, passionem et mortem Iesu Christi in cruce, eiusque resurrectionem et ascensionem in caelum, unde venturus est in fine mundi ad universale iudicium. Haec autem omnia palam ostendunt amorem quo ipse homines prosequebatur et adhuc prosequitur, qui proinde eum redamare debent.

[2] Si admittendus ad primam Communionem, sacramentum Confirmationis iam receperit, *q. 15* et *16* est corrigenda, et *q. 17* omittenda.

Q. 18. *Quid est sacramentum Poenitentiae?*

R. Sacramentum Poenitentiae est sacramentum a Iesu Christo institutum, quo peccata post Baptismum commissa remittuntur.

Q. 19. *Quid requiritur ut quis rite recipiat sacramentum Poenitentiae?*

R. Ut quis rite recipiat sacramentum Poenitentiae, requiritur:

1º examen conscientiae;

2º dolor de peccatis;

3º propositum non peccandi de caetero;

4º confessio peccatorum;

5º adimpletio poenitentiae, quam confessarius imposuit. [1]

Q. 20. *Quaenam peccata in sacramento Poenitentiae confiteri debemus?*

R. In sacramento Poenitentiae confiteri debemus omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, sed possumus etiam peccata venialia et mortalia iam directe remissa utiliter confiteri.

Q. 21. *Quid est sacramentum Eucharistiae?*

R. Sacramentum Eucharistiae est sacramentum corporis et sanguinis Iesu Christi. [2]

---

[1] Catechista ne omittat adstantes edocere quomodo debeant examen conscientiae et peccatorum confessionem peragere, poenitentiam a confessario impositam adimplere, et propositum non peccandi de caetero emittere; actus vero contritionis in adnotatione ad *q. 25* prostat.

[2] Catechista hoc altissimum fidei nostrae mysterium poterit ita exponere: In Missae celebratione ante verba consecrationis quae sacerdos, Missam celebrans, pronuntiat, hostia est simplex panis, sed post verba consecrationis non est amplius panis, sed

Q. 22. *Ubinam est Iesus Christus?*

R. Iesus Christus, uti Deus, est ubique; uti Deus et homo, est in caelo et in sanctissima Eucharistia.

Q. 23. *Quid est igitur sanctam Communionem facere?*

R. Sanctam Communionem facere est ipsum Iesum Christum vivum et verum in eucharistico Sacramento recipere.

Q. 24. *Curnam desideras sanctam facere Communionem?*

R. Sanctam facere Communionem desidero, quia Iesus Christus amat me, et ideo desiderat in me venire; ego quoque amo Iesum Christum et ideo valde desidero eumdem recipere.

Q. 25. *Quid requiritur ut quis rite recipiat sacramentum Eucharistiae?*

R. Ut quis rite recipiat sacramentum Eucharistiae, requiritur:

1º ut sit in statu gratiae, idest amicitiae Dei;

---

est ipsemet Christus Dominus sub specie panis cum sua divinitate et humanitate; itemque de vino dicatur. Hoc mysterium nos admittere debemus quia illud et Iesus Christus Dominus aperte edixit et sancta mater Ecclesia semper docuit et docet. Christus Dominus Eucharistiam in ultima coena instituit, ut per Missae celebrationem sacrificium crucis renovaretur et repraesentaretur, inter homines maneret in tabernaculo, dum simul sedet gloriosus in caelis, et nobiscum uniretur per sanctam Communionem. Hoc divinae caritatis pignus numquam ex nostra memoria excidere debet; quapropter debemus divino Missae sacrificio, saltem singulis diebus festis, adsistere animo ad flagrantem illam pietatem composito, quo in Calvariae loco Crucifixo morienti adfuissemus; Ssm̃um Sacramentum, in Ecclesiae tabernaculo asservatum, tota mentis devotione visitare; ad sanctam Communionem digne ac devote frequenter accedere.

2° ut sit ieiunus a media nocte usque ad momentum Communionis;

3° ut sanctam Communionem et praeparatio diligens antecedat et congrua gratiarum actio subsequatur. [1]

---

[1] Catechista, postquam exposuerit primam et alteram conditionem, adstantes manuducat ad eliciendos actus praeparationis et gratiarum actionis: ipse eorumdem actuum verba lente perlegat, quae iidem voce repetant. Card. Gennari in opusculo, quod in Prooemio citavimus, hos actus ponit:

ANTE COMMUNIONEM.

Actus fidei: Bone Iesu, firmiter credo omnia quae mihi dixisti ope Ecclesiae, potissimum te esse vivum ac verum in hostia consecrata.

Actus spei: Spero a te, bone Iesu, tuam gratiam, omnia bona et vitam aeternam, confisus tua bonitate et tuis promissis.

Actus caritatis: Amo te, bone Iesu, toto corde, tota mente, omnibus viribus meis, quia tu es bonum infinitum.

Actus contritionis: Deus meus, poenitet me peccasse, quia poenas a te meritus sum, et praesertim quia offendi te summum bonum.

Actus humilitatis: Bone Iesu, ego sum creatura tua, plena miseriis et peccatis, sum indignus ut te recipiam.

Actus desiderii: Bone Iesu, ardenter desidero te recipere in corde meo: veni cito, noli amplius tardare.

POST COMMUNIONEM.

Actus adorationis: O bone Iesu, te adoro praesentem in anima mea, me humilio coram te, obstupesco ob tantam tuam bonitatem.

Actus gratiarum actionis: O bone Iesu, quomodo dignas tibi gratias agere possum? Offero tibi gratiarum actiones Sanctorum omnium, praesertim beatae Mariae Virginis, omniumque creaturarum quae te amant.

Q. 26. *Quid promittes Iesu Christo die primae tuae Communionis?*

R. Die primae meae Communionis Iesu Christo promittam, me singulis diebus festis Missam auditurum, saepe sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae recepturum, catechismi scholas frequentaturum, parentibus obedientiam praebiturum et malos socios sedulo vitaturum.

II.

CATECHISMUS PRO PUERIS QUI IN CATECHISMI STUDIUM INCUMBUNT

Caput I.

De signo Sanctae Crucis.

(Pueri signum Sanctae Crucis rite peragant et verba distincte pronuntient).

Q. 1. *Esne christianus?*

R. Gratia Dei, christianus ego sum.

Q. 2. *Quisnam dicitur et est* christianus?

R. *Christianus* dicitur et est qui Baptismi sacramentum recepit, quod est ianua Ecclesiae Christi.

Q. 3. *Quisnam est strictiori et pleno sensu christianus?*

R. Strictiori et pleno sensu christianus est baptizatus qui veram integramque Christi fidem profitetur, idest catholicus; qui si et Christi legem observat, bonus christianus est.

Q. 4. *Quodnam est externum christiani signum?*

R. Externum christiani signum est signum Sanctae Crucis.

Q. 5. *Curnam signum Sanctae Crucis est signum christiani?*

R. Signum Sanctae Crucis est signum christiani, quia per illud praecipua fidei christianae mysteria externe profitemur.

Q. 6. *Quaenam sunt praecipua fidei christianae mysteria?*

R. Praecipua fidei christianae mysteria sunt:

1° mysterium unius Dei in tribus realiter distinctis Personis, Patre, Filio et Spiritu Sancto;

2° mysterium humanae Redemptionis per incarnationem, passionem et mortem Iesu Christi, Filii Dei.

Q. 7. *Quomodo signum Sanctae Crucis indicat haec duo fidei christianae mysteria?*

R. Signum Sanctae Crucis indicat haec duo fidei christianae mysteria, quia eius verba significant unitatem Dei in tribus realiter distinctis Personis; figura vero crucis quam manu describimus, in memoriam revocat humanam redemptionem in ligno crucis a Iesu Christo consummatam.

Q. 8. *Estne utile signare se signo Sanctae Crucis?*

R. Perutile est saepe et devote signare se signo Sanctae Crucis, praesertim in initio et in fine diei et praecipuarum actionum et urgente periculo animae et corporis.

Caput II.

De Symbolo Apostolorum.

(Pueri Symboli articulos distincte recitent).

Sectio 1ª. – De primo Symboli articulo, quo traditur doctrina de prima sanctissimae Trinitatis Persona et de opere creationis.

1° Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae.

Q. 9. *Quid significant verba* Credo in Deum?

R. Verba *Credo in Deum* significant: firmiter credo

Deum esse, et ad illum veluti ad summum ac perfectissimum bonum et ultimum finem tendo.

Q. 10. *Quid intelligis nomine* Dei?

R. Nomine *Dei* intelligo spiritum purissimum, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum, unum unitate naturae in tribus realiter distinctis Personis, Patre, Filio et Spiritu Sancto, quae sanctissimam Trinitatem constituunt.

Q. 11. *Curnam tres Personae divinae sunt unus Deus?*

R. Tres Personae divinae sunt unus Deus, quia sunt consubstantiales, idest unam eandemque habent naturam divinam, et ideo easdem perfectiones seu attributa.

Q. 12. *Quaenam sunt praecipuae Dei perfectiones seu attributa?*

R. Praecipuae Dei perfectiones seu attributa haec sunt:

Deus est:

1° *aeternus*, quia nec initium nec finem nec successionem habet aut habere potest;

2° *omnisciens*, quia omnia perspecta habet, ea etiam quae libera creaturarum actione futura sunt, ipsosque cordis affectus et secretas mentis cogitationes;

3° *immensus*, quia est in caelo, in terra et in omnibus locis;

4° *iustus*, quia reddit unicuique iuxta merita sua in hac vel certe in altera vita;

5° *omnipotens*, quia quaecumque vult, omnia, simplici suae voluntatis actu, facere potest;

6° *bonus*, quia infinita sua bonitate, potentiâ, sapientiâ omnia creavit, conservat, disponit; bona, quibus fruimur, ab ipso proveniunt; preces supplicantium benignus audit;

7° *misericors*, quia, volens omnes homines salvos fieri, eos redemit a servitute daemonis, singulis largitur media necessaria ad salutem et non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Q. 13. *Quid significatur per verba:* Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae?

R. Per verba: *Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae*, significatur Deum utramque de nihilo condidisse creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam.

Q. 14. *Geritne Deus curam de omnibus rebus creatis?*

R. Deus gerit curam de omnibus rebus creatis, quatenus eas positive conservat, tuetur ac gubernat; ita ut nihil sit aut esse possit, quod absque Dei voluntate vel permissione accidat.

Q. 15. *Quomodo vocatur cura quam Deus gerit de rebus creatis?*

R. Cura quam Deus gerit de rebus creatis, vocatur *divina Providentia*.

Q. 16. *Quaenam praestant inter ceteras creaturas?*

R. Inter ceteras creaturas praestant Angeli et homines.

Q. 17. *Quid sunt Angeli?*

R. Angeli sunt puri spiritus, intelligentia ac voluntate praediti, qui in statu iustitiae et sanctitatis fuerunt constituti, ut, gratiae Dei respondentes, gloriam sibi mererentur.

Q. 18. *Responderuntne omnes Angeli gratiae Dei?*

R. Non omnes Angeli gratiae Dei responderunt; qui responderunt, in caelo fruuntur visione Dei beatifica

et vocantur simpliciter *Angeli;* qui non responderunt, in Infernum detrusi, appellantur *daemones:* quorum caput est Lucifer seu Satanas.

Q. 19. *Utiturne Deus ministerio Angelorum?*

R. Multipliciter utitur Deus ministerio Angelorum, praesertim in hominum cura, quibus singulis ab ortu nativitatis Angelum custodem attribuit.

Q. 20. *Expeditne ad nostram vitam spiritualem ut peculiari pietatis cultu nostrum Angelum Custodem prosequamur?*

R. Ad nostram vitam spiritualem valde expedit ut peculiari pietatis cultu nostrum Angelum Custodem prosequamur, illum venerantes et invocantes praesertim adversus tentationes, eius inspirationes sequentes, ei dignas agentes gratias, eiusque praesentiam numquam per peccatum offendentes.

Q. 21. *Ad quem finem homo a Deo creatus est?*

R. Homo a Deo creatus est, ut eum cognosceret, amaret eique serviret, atque ita post mortem ipso, per beatificam visionem possesso, in aeternum frueretur in Paradiso.

Q. 22. *Quinam fuerunt generis humani protoparentes?*

R. Generis humani protoparentes fuerunt Adam et Heva, quos Deus formavit et posuit in paradiso terrestri, ipsos elevans ad ordinem supernaturalem et singularibus naturae et gratiae donis cumulans.

Q. 23. *Quomodo Deus protoparentes ad ordinem supernaturalem elevavit?*

R. Deus protoparentes ad ordinem supernaturalem elevavit, eis conferens iustitiam et sanctitatem, ita ut eam collatam vellet ipsi naturae humanae.

Q. 24. *Protoparentibus, in ordine supernaturali constitutis, quid Deus interdixit?*

R. Protoparentibus, in ordine supernaturali constitutis, Deus interdixit ne comederent de fructu ligni scientiae boni et mali.

Q. 25. *Protoparentes servaveruntne Dei interdictum?*

R. Protoparentes Dei interdictum non servaverunt, atque ideo ob grave peccatum superbiae et inobedientiae amiserunt iustitiam et sanctitatem, et expulsi e terrestri paradiso, obnoxii fuerunt concupiscentiae et morti aliisque vitae doloribus ac miseriis.

Q. 26. *Adam sua praevaricatione nocuitne etiam suis posteris?*

R. Adam sua praevaricatione nocuit etiam suis posteris, quia in eos transmisit non tantum concupiscentiam, mortem aliasque poenas, sed ipsam humanam naturam iustitia et sanctitate privatam; et in hoc consistit *originale peccatum* in posteros transmissum.

Q. 27. *Fuitne aliquis immunis praeservatus ab originalis culpae labe?*

R. Una beata Maria Virgo, a primo instanti suae conceptionis, intuitu meritorum Iesu Christi, fuit, singulari Dei privilegio, immunis praeservata ab originalis culpae labe; et ideo dicitur *immaculate concepta*.

Q. 28. *Quid tenet Ecclesia de transitu beatae Mariae Virginis?*

R. Ecclesia de transitu beatae Mariae Virginis tenet eius corpus ab anima fuisse seiunctum, sed, animâ rursus corpori incorrupto coniunctâ, beatam Mariam Virginem, ministerio Angelorum, assumptam fuisse in caelum et super omnes Angelorum choros exaltatam.

SECTIO 2ª. – **De aliis sex Symboli articulis, quibus traditur doctrina de secunda sanctissimae Trinitatis Persona et de opere redemptionis.**

2º et in Iesum Christum, Filium eius unicum Dominum nostrum;

3º qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine;

4º passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus;

5º descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis;

6º ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis;

7º inde venturus est iudicare vivos et mortuos.

Q. 29. *Quid credimus per secundum Symboli articulum:* Et in Iesum...?

R. Per secundum Symboli articulum: *Et in Iesum...*, credimus Filium Dei, qui, factus homo, vocatur Iesus Christus, esse unicum Patris Filium, Dominum nostrum, verum Deum de Deo vero.

Q. 30. *Quid credimus per tertium Symboli articulum:* Qui conceptus...?

R. Per tertium Symboli articulum: *Qui conceptus...*, credimus Dei Filium, super omnem naturae ordinem, Spiritus Sancti virtute, humanam naturam, corpus scilicet et animam, in sinu purissimo beatae Mariae Virginis sumpsisse, ab eaque natum esse.

Q. 31. *Curnam Filius Dei factus est homo?*

R. Filius Dei factus est homo ut nos liberaret a peccato, atque ita nos in Paradisi gloriam restitueret.

Q. 32. *Filius Dei, factus homo, desiitne esse Deus?*

R. Filius Dei, factus homo, non desiit esse Deus, sed permanens verus Deus, coepit esse etiam verus homo.

Q. 33. *Quot Naturae et quot Personae sunt in Iesu Christo?*

R. In Iesu Christo duae sunt Naturae, divina et humana, sed una Persona, idest Persona Filii Dei.

Q. 34. *Quid credimus per quartum Symboli articulum:* Passus...?

R. Per quartum Symboli articulum: *Passus...*, credimus Iesum Christum, ut genus humanum suo pretioso sanguine redimeret, sub Pontio Pilato, Iudaeae procuratore, passum esse, cruci affixum in eaque mortuum, inde depositum et sepultum.

Q. 35. *Quid credimus per verba quinti articuli Symboli:* Descendit ad inferos?

R. Per verba quinti articuli Symboli: *Descendit ad inferos*, credimus animam Iesu Christi, a corpore separatam, sed cum divinitate semper coniunctam, descendisse ad *Limbum* sanctorum Patrum, ubi animae iustorum promissam et optatissimam redemptionem expectabant.

Q. 36. *Quid credimus per alia verba quinti articuli Symboli:* Tertia die resurrexit a mortuis?

R. Per alia verba quinti articuli Symboli: *Tertia die resurrexit a mortuis*, credimus Iesum Christum, tertia die postquam mortuus fuerat, propria virtute animam suam cum corpore iterum coniunxisse, atque ita immortalem et gloriosum revixisse.

Q. 37. *Quid credimus per sextum Symboli articulum:* Ascendit...?

R. Per sextum Symboli articulum: *Ascendit...*, credimus Iesum Christum, quadragesimo die post resurrectionem, cum anima et corpore ad caelos virtute propria adscendisse, ubi sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Q. 38. *Quid credimus per septimum Symboli articulum:* Inde...?

R. Per septimum Symboli articulum: *Inde...*, credimus Iesum Christum in fine mundi e caelo venturum esse cum Angelis suis, ut iudicet omnes homines, et tunc reddet unicuique secundum opera eius.

Sectio 3ª. – **De reliquis quinque Symboli articulis, quibus traditur doctrina de tertia sanctissimae Trinitatis Persona et de opere nostrae sanctificationis.**

8º Credo in Spiritum Sanctum;
9º sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem;
10º remissionem peccatorum;
11º carnis resurrectionem;
12º vitam aeternam. Amen.

Q. 39. *Quid credimus per octavum Symboli articulum:* Credo...?

R. Per octavum Symboli articulum: *Credo...*, credimus Spiritum Sanctum esse tertiam Personam sanctissimae Trinitatis, quae a Patre Filioque procedit.

Q. 40. *Quandonam Spiritus Sanctus visibiliter descendit super Apostolos, et quid in eis operatus est?*

R. Spiritus Sanctus visibiliter descendit super Apostolos die Pentecostes, eosque in fide confirmavit et omnium donorum copia replevit, ut Evangelium praedicarent et Ecclesiam in universo mundo propagarent.

Q. 41. *Quid Spiritus Sanctus in fidelibus operatur?*

R. Spiritus Sanctus, per gratiam sanctificantem, virtutes infusas, sua dona et actuales gratias omnis generis, fideles sanctificat eosque illuminat et movet, ut ipsi, gratiae respondentes, ad vitae aeternae possessionem perveniant.

Q. 42. *Quid operatur Spiritus Sanctus in Ecclesia?*

R. Spiritus Sanctus Ecclesiam praesentissima sua ope perpetuo vivificat, eamque sibi unit, et suis muneribus infallibiliter dirigit in via veritatis et sanctitatis.

Q. 43. *Quid credimus per verba noni articuli Symboli:* sanctam...?

R. Per verba noni articuli Symboli: *sanctam...*, credimus esse societatem supernaturalem, visibilem, sanctam et universalem, quam Iesus Christus, dum in terris vitam agebat, instituit vocavitque Ecclesiam suam.

Q. 44. *Curnam Iesus Christus Ecclesiam instituit?*

R. Iesus Christus Ecclesiam instituit ad continuandum in terris munus suum, ut scilicet in ea et per eam fructus redemptionis, in cruce consummatae, applicarentur hominibus in finem usque saeculorum.

Q. 45. *Quomodo Iesus Christus Ecclesiam regi voluit?*

R. Iesus Christus Ecclesiam regi voluit auctoritate Apostolorum sub Petro capite, eorumque legitimorum successorum.

Q. 46. *Quisnam est legitimus sancti Petri successor in regimine universalis Ecclesiae?*

R. Legitimus sancti Petri successor in regimine universalis Ecclesiae est Episcopus Urbis Romae, idest Romanus Pontifex seu Papa, quia ipse in primatu iurisdictionis sufficitur Petro, qui fuit et mortuus est Episcopus Urbis Romae.

Q. 47. *Quinam sunt legitimi successores Apostolorum?*

R. Legitimi successores Apostolorum ex divina institutione sunt Episcopi, qui particularibus Ecclesiis a Romano Pontifice praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria sub eiusdem auctoritate regunt.

Q. 48. *Quaenam igitur, inter varias ecclesias quae*

christiano nomine gloriantur, est vera Ecclesia a Iesu Christo instituta?

R. Inter varias ecclesias quae christiano nomine gloriantur, vera Ecclesia, a Iesu Christo instituta, ea est quae regitur auctoritate Romani Pontificis et Episcoporum cum eo communionem habentium.

Q. 49. *Quamnam potestatem Christus Dominus Ecclesiae suae tribuit, ut finem, ob quem instituta fuit, assequeretur?*

R. Christus Dominus Ecclesiae suae, ut finem, ob quem instituta fuit, assequeretur, tribuit potestatem *iurisdictionis* et *ordinis;* potestas autem iurisdictionis includit potestatem *docendi.*

Q. 50. *Quid est potestas docendi?*

R. Potestas docendi est ius et officium Ecclesiae doctrinam Iesu Christi custodiendi, tradendi et tuendi, eamque omni creaturae praedicandi independenter a qualibet humana potestate.

Q. 51. *Quinam in Ecclesia obtinent potestatem docendi?*

R. Potestatem docendi in Ecclesia obtinent Romanus Pontifex et Episcopi cum eo communionem habentes.

Q. 52. *In munere docendi Ecclesia estne infallibilis?*

R. In munere docendi Ecclesia est infallibilis, quando, sive ordinario et universali magisterio, sive solemni iudicio supremae auctoritatis, veritates fidei et morum vel in se revelatas vel cum revelatis connexas ab omnibus tenendas proponit.

Q. 53. *Cuiusnam proprium est huiusmodi solemne iudicium pronuntiare?*

R. Huiusmodi solemne iudicium pronuntiare proprium est tum Romani Pontificis, tum Episcoporum

una cum Romano Pontifice praesertim in oecumenico Concilio congregatorum.

Q. 54. *Quid significat potestas iurisdictionis in Ecclesia?*

R. Potestas iurisdictionis in Ecclesia significat Romanum Pontificem pro universa Ecclesia, Episcopos pro suis dioecesibus, habere, ad eius finem assequendum, potestatem regendi, idest potestatem legislativam, iudiciariam, coactivam, administrativam.

Q. 55. *Quid est potestas ordinis?*

R. Potestas ordinis est potestas sacras perficiendi functiones, praesertim ad altaris ministerium, sacrae Hierarchiae, maxime Episcopis, commissa per sacramentum Ordinis, directe tendens ad curandam animarum sanctificationem.

Q. 56. *Quinam sunt extra Ecclesiam a Iesu Christo institutam?*

R. Extra Ecclesiam a Iesu Christo institutam sunt:

1º non baptizati;

2º manifesti apostatae, haeretici, schismatici, excommunicati quos Ecclesia *vitandos* declaravit.

Q. 57. *Qui sunt extra Ecclesiam salvine fieri possunt?*

R. Qui sunt extra Ecclesiam et extra Ecclesiam moriuntur, salvi fieri nequeunt, sed infantes qui sine baptismo moriuntur ante adeptum usum rationis, non infernus sed lymbus manet; qui sunt extra Ecclesiam, sed ante mortem ad Ecclesiam venerint saltem per actum fidei et perfectae caritatis, salvi fieri possunt.

Q. 58. *Quid credimus per alia verba noni articuli Symboli:* Sanctorum communionem?

R. Per alia verba noni articuli Symboli: *Sanctorum communionem*, credimus inter Ecclesiae membra, ob intimam unionem qua sub unico capite Christo inter

se coniunguntur, esse mutuam communicationem spiritualium bonorum.

Q. 59. *Quid credimus per decimum Symboli articulum:* Remissionem peccatorum?

R. Per decimum Symboli articulum: *Remissionem peccatorum*, credimus in Ecclesia esse veram potestatem remittendi peccata ob Iesu Christi merita.

Q. 60. *Quid credimus per undecimum Symboli articulum:* Carnis resurrectionem?

R. Per undecimum Symboli articulum: *Carnis resurrectionem*, credimus in fine mundi fore ut omnes mortui ad vitam revocentur et resurgant ad universale iudicium, unaquaque anima illud resumente corpus, cui in hac vita coniuncta fuerat, numquam iam ab eo seiungenda.

Q. 61. *Cur voluit Deus mortuorum corpora resurgere?*

R. Voluit Deus mortuorum corpora resurgere, ut totus homo perpetuo pro meritis consequeretur vel praemium in Paradiso vel poenam in Inferno.

Q. 62. *Quid credimus per ultimum Symboli articulum:* Vitam aeternam?

R. Per ultimum Symboli articulum: *Vitam aeternam*, credimus, electis post mortem paratam esse perfectam et numquam defecturam beatitudinem in Paradiso, cum reprobos aeternae Inferni poenae maneant.

Caput III.

De Decalogo.

(*Pueri Decalogi mandata distincte recitent*).

Art. 1. – De primis tribus Decalogi mandatis quae Deum respiciunt.

1º Non habebis Deos alienos coram me;
2º non assumes nomen Dei tui in vanum;
3º memento ut dies festos sanctifices.

Q. 63. *Quid Deus prohibet primo Decalogi mandato:* Non habebis...?

R. Primo Decalogi mandato: *Non habebis...*, Deus prohibet ne cultus, sibi debitus, aliis praestetur.

Q. 64. *Quemnam cultum Deo praestare debemus?*

R. Deo, et soli Deo, praestare debemus cultum supremum, idest cultum adorationis.

Q. 65. *Nonne etiam Sanctis eorumque reliquiis cultus a nobis praestandus est?*

R. Etiam Sanctis, praesertim beatae Mariae Virgini, eorumque reliquiis cultus a nobis praestandus est, sed diversi et inferioris ordinis, nempe cultus venerationis, ut eos honoremus eorumque patrocinium nobis conciliemus.

Q. 66. *Debetne etiam sacris imaginibus debitus honos et veneratio impertiri?*

R. Etiam sacris imaginibus debitus honos et veneratio impertiri debet, quia honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quae illae repraesentant.

Q. 67. *Quid Deus prohibet secundo Decalogi mandato :* Non assumes... ?

R. Secundo Decalogi mandato: *Non assumes...*, Deus prohibet quamlibet irreverentiam erga suum nomen.

Q. 68. *Vetamurne in vanum assumere etiam nomina Sanctorum?*

R. Vetamur in vanum assumere etiam nomina Sanctorum et praesertim beatae Mariae Virginis, ob eandem rationem qua eos colere debemus.

Q. 69. *Quid Deus praecipit tertio Decalogi mandato:* Memento... ?

R. Tertio Decalogi mandato: *Memento...*, Deus praecipit ut dies festi, idest dies Ipsi sacri, divino cultu celebrentur, negotiis sepositis corporisque laboribus, prout a legitima auctoritate praescribitur.

Art. 2. – De reliquis septem Decalogi mandatis quae ad nosmetipsos et ad proximum referuntur.

4° honora patrem tuum et matrem tuam;
5° non occides;
6° non moechaberis;
7° non furtum facies;
8° non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium;
9° non desiderabis uxorem eius;
10° non concupisces eius bona.

Q. 70. *Quid Deus praecipit quarto Decalogi mandato:* Honora ... ?

R. Quarto Decalogi mandato: *Honora ...* Deus praecipit ut parentibus, et iis qui locum parentum obtinent, debitus honor praestetur; cui haec omnia coniuncta sunt: amor, observantia, obedientia et cultus.

Q. 71. *Solumne honorem debemus parentibus praestare?*

R. Parentibus debemus non solum honorem praestare, sed etiam auxilium, praesertim in eorum necessitatibus spiritualibus et temporalibus.

Q. 72. *Hoc mandato solumne filiorum officia in parentes praescribuntur?*

R. Hoc mandato non praescribuntur solum officia filiorum in parentes, sed indirecte etiam officia coniugum inter se et erga filios, itemque mutua iura ac officia tum subditorum ac superiorum, tum operariorum ac dominorum.

Q. 73. *Quaenam sunt officia parentum in filios?*

R. Officia parentum in filios ex ipso naturae iure sunt: curare rectam eorum educationem, maxime religiosam et moralem, atque etiam temporali eorum bono pro viribus providere.

Q. 74. *Quid Deus prohibet quinto Decalogi mandato:* Non occides?

R. Quinto Decalogi mandato: *Non occides*, Deus prohibet proximo vel sibi mortem aliudve damnum sive corporis sive animae inferre, vel ad illud cooperari.

Q. 75. *Quid Deus prohibet sexto Decalogi mandato:* Non moechaberis?

R. Sexto Decalogi mandato: *Non moechaberis*, Deus prohibet non solum infidelitatem in matrimonio, sed etiam quodlibet aliud peccatum externum contra castitatem, et quidquid ad peccatum impuritatis inducit.

Q. 76. *Quid Deus prohibet septimo Decalogi mandato:* Non furtum facies?

R. Septimo Decalogi mandato: *Non furtum facies*, Deus prohibet quamlibet iniustam rei alienae vel

usurpationem, vel damni illationem, vel ad utrumque cooperationem.

Q. 77. *Quid Deus prohibet octavo Decalogi mandato:* Non loqueris...?

R. Octavo Decalogi mandato: *Non loqueris...*, Deus prohibet ne mendacium proferamus, ne iuremus falsum, neve quidquam damni proximo verbis inferamus.

Q. 78. *Quid Deus prohibet nono Decalogi mandato:* Non desiderabis uxorem eius?

R. Nono Decalogi mandato: *Non desiderabis uxorem eius*, Deus prohibet non modo huiusmodi pravum desiderium, sed etiam quodlibet peccatum internum contra castitatem, sicuti externum expresse prohibet sexto mandato.

Q. 79. *Quid Deus prohibet decimo Decalogi mandato:* Non concupisces eius bona?

R. Decimo Decalogi mandato: *Non concupisces eius bona*, Deus prohibet iniuste et inordinate appetere bona aliena.

Q. 80. *Quaenam est summa omnium Decalogi mandatorum?*

R. Summa omnium Decalogi mandatorum haec est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, et proximum tuum sicut te ipsum.

Q. 81. *Tenenturne omnes etiam ad officia proprii status servanda?*

R. Tenentur omnes etiam ad officia proprii status diligenter servanda, officia nempe quibus astringuntur ratione suae quisque conditionis vel muneris.

Caput IV.

De praeceptis Ecclesiae.

(*Pueri Ecclesiae praecepta distincte recitent*).

Q. 82. *Quot sunt Ecclesiae praecepta?*

R. Ecclesiae praecepta plura sunt, eaque omnia catholicus servare debet; sed initio huius Catechismi catholici quinque tantum enumerata sunt, quae ad ordinariam vitam spiritualem omnium fidelium magis attinent.

Art. 1. – De primo Ecclesiae praecepto.

1º Diebus dominicis aliisque festis de praecepto Missam audire et ab operibus servilibus vacare;

Q. 83. *Quid Ecclesia praescribit primo praecepto:* Diebus dominicis...?

R. Primo praecepto: *Diebus dominicis...*, Ecclesia modum praescribit sanctificandi diem dominicum aliosque dies festos de praecepto; quod fit praesertim Missam audiendo et abstinendo ab operibus servilibus.

Q. 84. *Quaenam opera dicuntur servilia?*

R. Dicuntur servilia opera quae a servis seu mercenariis fieri solent, et ea sunt quae praecipue corporis viribus fiunt et ad corporis praecipue utilitatem diriguntur.

Q. 85. *Suntne aliqua opera servilia quae diebus dominicis aliisque festis de praecepto permittuntur?*

R. Diebus dominicis aliisque festis de praecepto permittuntur opera servilia, quae ad Dei cultum proxime pertinent, vel ad ordinariam domestici vel publici

servitii necessitatem, aut quae caritas exigit, vel sine incommodo gravi omitti nequeunt, vel probata consuetudo permittit.

Q. 86. *Praeter auditionem Missae, in quaenam opera convenit ut christianus diebus dominicis aliisque festis de praecepto incumbat?*

R. Praeter auditionem Missae, diebus dominicis aliisque festis de praecepto convenit ut christianus, pro sua facultate, incumbat in opera pietatis et religionis, maxime sacris functionibus adsistendo, ac sacras conciones et catechesim audiendo.

Art. 2. - De secundo Ecclesiae praecepto.

2° diebus ab Ecclesia statutis ab esu carnium abstinere et ieiunium servare;

Q. 87. *Quid Ecclesia praescribit secundo praecepto:* Diebus ab Ecclesia...?

R. Secundo praecepto: *Diebus ab Ecclesia...*, Ecclesia praescribit ut diebus ab eadem statutis servemus aut solum ieiunium, aut solam abstinentiam ab esu carnium, aut ieiunium simul et abstinentiam.

Q. 88. *Quid iubet solius ieiunii lex?*

R. Solius ieiunii lex iubet ut una dumtaxat per diem comestio fiat, sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata, quod ad ciborum quantitatem et qualitatem pertinet, probata locorum consuetudine.

Q. 89. *Quid vetat lex solius abstinentiae ab esu carnium?*

R. Lex solius abstinentiae ab esu carnium, vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacti-

ciniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.

Q. 90. *Quibus diebus obligant hae leges?*

R. Nisi aliter a legitima auctoritate indultum fuerit:

1º lex solius abstinentiae obligat singulis feriis sextis;

2º lex abstinentiae simul et ieiunii, feria IV Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae, feriis quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Assumptionis beatae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini;

3º lex solius ieiunii, reliquis Quadragesimae diebus, dominicis exceptis.

Q. 91. *Suntne aliqui dies quibus hae leges non urgent?*

R. Diebus dominicis aliisque festis de praecepto et Sabbato Sancto post meridiem lex abstinentiae, vel abstinentiae et ieiunii, vel ieiunii tantum, non urget, excepto festo de praecepto tempore Quadragesimae; nec pervigilia anticipantur. [1]

Q. 92. *Quinam abstinentiam et ieiunium servare debent?*

R. Nisi sint legitime excusati vel dispensati, abstinentiam servare debent omnes qui, rationis satis compotes, septimum annum compleverunt; ieiunium vero omnes a completo vicesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum.

[1] Codex I. C., *can.*, *1252*, § *4*.

Art. 3. – De tertio et quarto Ecclesiae praecepto.

3° peccata saltem semel in anno confiteri;
4° Eucharistiae sacramentum saltem in Paschate recipere;

Q. 93. *Quid Ecclesia praescribit tertio praecepto:* Peccata...?

R. Tertio praecepto: *Peccata...*, Ecclesia praescribit ut fideles, cum ad aetatem discretionis pervenerint, confessionem saltem annuam peccatorum mortalium peragant, quae non fuerunt in praecedentibus confessionibus directe remissa.

Q. 94. *Quid Ecclesia praescribit quarto praecepto:* Eucharistiae...?

R. Quarto praecepto: *Eucharistiae...*, Ecclesia praescribit ut quisque fidelis, qui discretionis aetatem attigerit, saltem una vice tempore paschali Eucharistiam recipiat.

Q. 95. *Curnam Ecclesia tertio et quarto praecepto addidit verbum* saltem?

R. Ecclesia tertio et quarto praecepto addidit verbum *saltem*, ut edoceret valde expedire et in suis optatis esse, ut fideles, etiam ii qui non habent nisi peccata venialia aut peccata mortalia iam directe remissa, saepius confiteantur; et frequenter, imo etiam quotidie, ad Eucharisticam mensam pie accedant.

Q. 96. *Cessatne praeceptum Communionis, cui paschali tempore non sit satisfactum?*

R. Praeceptum Communionis, cui paschali tempore non sit satisfactum, nequaquam cessat, et intra eundem annum, cum primum fieri poterit, servandum est.

Q. 97. *Obtemperaturne praecepto annuae Confessionis vel paschalis Communionis per sacrilegam Confes-*

sionem vel Communionem, aut per confessionem voluntarie nullam?

R. Nec per sacrilegam Confessionem vel Communionem, nec per Confessionem voluntarie nullam praecepto annuae Confessionis vel paschalis Communionis obtemperatur, quin imo ex novo peccato praeceptum magis urget.

Art. 4. – De quinto Ecclesiae praecepto.

5° Ecclesiae clerique necessitatibus subvenire.

Q. 98. *Quid Ecclesia praecipit quinto praecepto:* Ecclesiae...?

R. Quinto praecepto: *Ecclesiae...*, Ecclesia divinum mandatum fidelibus inculcat, ut necessitatibus temporalibus Ecclesiae ac cleri subveniant, secundum peculiaria statuta et laudabiles consuetudines.

Q. 99. *Curnam id praecipitur?*

R. Id praecipitur, quia iustum est ut fideles sacrorum administris, pro ipsorum salute laborantibus, suppeditent unde et divini cultus expensis sufficere et se ipsi honeste sustentare possint.

Caput V.

De gratia.

Q. 100. *Quid est gratia?*

R. Gratia est donum supernaturale, creaturae rationali a Deo gratuito concessum in ordine ad vitam aeternam assequendam.

Q. 101. *Quotuplex est gratia?*

R. Gratia est alia habitualis, quae etiam sanctificans appellatur, alia actualis.

Q. 102. *Quid est gratia habitualis?*

R. Gratia habitualis est supernaturalis qualitas, animae inhaerens, qua homo fit divinae consors naturae, templum Spiritus Sancti, amicus Dei eiusque filius adoptivus, heres caelestis gloriae, et ideo idoneus ad ponendos actus meritorios vitae aeternae.

Q. 103. *Gratia habitualis estne necessaria ad vitam aeternam assequendam?*

R. Gratia habitualis est omnibus hominibus, etiam parvulis, absolute necessaria ad vitam aeternam assequendam.

Q. 104. *Quomodo amittitur gratia habitualis?*

R. Gratia habitualis amittitur quolibet peccato mortali.

Q. 105. *Quid est gratia actualis?*

R. Gratia actualis est supernaturale Dei auxilium, quo Deus intellectum nostrum illuminat et voluntatem movet ad bonum faciendum et ad malum vitandum in ordine ad vitam aeternam.

Q. 106. *Gratia actualis estne nobis necessaria?*

R. Gratia actualis est nobis absolute necessaria, ut bonum operemur et malum vitemus in ordine ad vitam aeternam.

Caput VI.

De oratione.

(*Pueri distincte et devote recitent orationem dominicam et salutationem angelicam*).

Sectio 1ª. – De oratione in genere.

Q. 107. *Quid est oratio?*

R. Oratio est pia animae in Deum elevatio, ad eum adorandum, ad gratias pro acceptis beneficiis agendas, ad veniam pro peccatis impetrandam et ad alia nobis aliisve necessaria vel utilia petenda.

Q. 108. *Estne necesse nobis orare?*

R. Necesse nobis est orare, quia haec est Dei voluntas, et quia Deus auxilia, quibus perpetuo indigemus, generatim non solet nisi petentibus concedere.

Q. 109. *Ad quemnam oratio ordinatur?*

R. Omnis quidem oratio ad Deum ordinatur, qui solus praestare nobis potest quae petimus; sed ut pro nobis apud Deum intercedant, exoramus etiam Caelites omnes, praesertim beatam Mariam Virginem, et ipsas animas in Purgatorio detentas.

Q. 110. *Quomodo oratio, ut sit efficax, fieri debet?*

R. Oratio, ut sit efficax, fieri debet: in nomine Iesu Christi cuius meritis innititur, pie, cum fide, spe, humilitate et perseverantia.

Q. 111. *Quaenam est oratio omnium perfectissima?*

R. Oratio omnium perfectissima est oratio dominica seu *Pater noster*, cui addi solet salutatio angelica seu *Ave Maria*.

Sectio 2ª. – De oratione dominica et salutatione angelica.

Art. 1. – De oratione dominica.

Pater noster qui es in caelis,
1º sanctificetur nomen tuum,
2º adveniat regnum tuum,
3º fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra.
4º Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
5º et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,
6º et ne nos inducas in tentationem,
7º sed libera nos a malo. Amen.

Q. 112. *Curnam* Pater noster *appellatur* oratio dominica?

R. *Pater noster* appellatur *oratio dominica*, quia ipsemet Dominus noster Iesus Christus eam nos docuit.

Q. 113. *Quemnam in oratione dominica invocamus per verba:* Pater noster?

R. In oratione dominica per verba: *Pater noster*, Deum invocamus tamquam tenerrimum patrem, ut nostrum amorem ac nostram fiduciam in eum exprimamus, et eius benevolentiam et misericordiam nobis conciliemus.

Q. 114. *Quid postulamus prima petitione :* Sanctificetur ...?

R. Prima petitione *Sanctificetur*..., postulamus ut sanctum Dei nomen fiat omnibus notum, et corde, verbis ac bonis operibus ab omnibus celebretur.

Q. 115. *Quid postulamus secunda petitione:* Adveniat ...?

R. Secunda petitione: *Adveniat*...., postulamus ut Deus regnet in nos et in omnes homines per gratiam suam atque in societatem nationesque per suam legem in terris, ut tandem participes fieri possimus eius gloriae aeternae in caelis.

Q. 116. *Quid postulamus tertia petitione :* Fiat voluntas tua ...?

R. Tertia petitione: *Fiat voluntas tua*..., postulamus, ut sicuti Caelites omnes et animae in Purgatorio degentes, ita homines in terris peramanter voluntatem Dei semper et in omnibus faciant.

Q. 117. *Quid postulamus quarta petitione:* Panem nostrum ...?

R. Quarta petitione: *Panem nostrum* ..., postulamus ut Deus nobis concedat et panem spiritualem, id est omnia ad spiritualem animae vitam necessaria, signanter panem Eucharisticum, et panem corporalem, scilicet omnia quae ad corporis sustentationem requiruntur.

Q. 118. *Quid postulamus quinta petitione :* Et dimitte ...?

R. Quinta petitione: *Et dimitte*..., postulamus a Deo ut peccata quae in ipsum commisimus et poenas quas pro peccatis meriti sumus, nobis condonet, sicuti nosmetipsi offensas nobis illatas offensoribus nostris condonamus.

Q. 119. *Quid postulamus sexta petitione:* Et ne nos inducas ...?

R. Sexta petitione: *Et ne nos inducas* ..., nos, infirmitatem nostram agnoscentes, ad Deum oratione recurrimus ut nos liberet a tentationibus; sin minus, ut

auxilium gratiae suae nobis praestet, quo tentationes superemus.

Q. 120. *Quid postulamus septima petitione:* Sed libera nos a malo?

R. Septima petitione: *Sed libera...*, postulamus praesertim ut Deus nos liberet a malo spirituali quod est peccatum, ac proinde a diabolo qui ad peccatum impellit, nec non a ceteris malis, saltem ab illis quae nobis occasionem praebere possunt ad peccandum.

Art. 2. – De salutatione angelica.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui, Iesus.

Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Q. 121. *In salutatione angelica, cuiusnam sunt verba:* Ave [Maria] ... mulieribus?

R. In salutatione angelica, verba: *Ave* [*Maria*] ... *mulieribus,* sunt Archangeli Gabrielis, annuntiantis beatae Mariae Virgini mysterium incarnationis; et ideo haec oratio dicitur *salutatio angelica.*

Q. 122. *Cuiusnam sunt et quid significant verba:* Benedictus ... tui?

R. Verba: *Benedictus ... tui*, sunt S. Elisabeth, beatam Mariam Virginem hospitio excipientis, et significant Christum Dominum, filium beatae Mariae Virginis, esse super omnia benedictum in saecula.

Q. 123. *Cuiusnam sunt verba:* Sancta Maria ..... mortis nostrae, *et quid per ea postulamus?*

R. Verba: *Sancta Maria ..... mortis nostrae*, sunt addita ab Ecclesia, et per ea postulamus patrocinium

beatae Mariae Virginis in omnibus nostris necessitatibus, sed praesertim in hora nostrae mortis.

Q. 124. *Beata Maria Virgo estne vera mater Dei?*

R. Beata Maria Virgo est vera mater Dei, quia concepit et peperit, secundum humanam naturam, Iesum Christum Dominum nostrum, qui est verus Deus et verus homo.

Q. 125. *Beata Maria Virgo, mater Dei, estne etiam mater nostra?*

R. Beata Maria Virgo, mater Dei, est etiam mater nostra per adoptionem, qua nos sumus fratres Filii eius; quod ipsemet Iesus Christus, in cruce moriens, confirmavit.

Q. 126. *Quid emolumenti capiunt, qui tenera pietate beatam Mariam Virginem colunt?*

R. Qui tenera pietate beatam Mariam Virginem colunt, hoc magnum emolumentum capiunt, ut ab eadem peculiari materno redamentur et protegantur amore.

Caput VII.

De Sacramentis.

(*Pueri enumerent Sacramenta novae Legis*).

Sectio 1ª. – De Sacramentis in genere.

Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.

Q. 127. *Quid intelligitur nomine* Sacramenti novae Legis?

R. Nomine *Sacramenti novae Legis* intelligitur signum sensibile a Iesu Christo institutum ad gratiam

significandam eamque digne Sacramentum suscipientibus conferendam.

Q. 128. *Quamnam gratiam nobis conferunt Sacramenta?*

R. Sacramenta nobis conferunt gratiam sanctificantem eiusve incrementum, et gratiam sacramentalem seu ius ad auxilia specialia quibus obtineatur singulorum sacramentorum finis.

Q. 129. *Quaenam sunt* Sacramenta mortuorum *et* sacramenta vivorum?

R. *Sacramenta mortuorum* sunt Baptismus et Poenitentia; cetera sunt *Sacramenta vivorum.*

Q. 130. *Curnam Baptismus et Poenitentia dicuntur* Sacramenta mortuorum, *et cetera* Sacramenta vivorum?

R. Baptismus et Poenitentia dicuntur *Sacramenta mortuorum*, quia propter illos potissimum instituta sunt qui vita supernaturali, idest gratia sanctificante, carent, peccati causa; cetera dicuntur *Sacramenta vivorum*, quia ea recipere non licet, nisi iis qui vitam supernaturalem iam habent.

Q. 131. *Qui ad Sacramenta vivorum accedit cum conscientia peccato mortali gravata, quodnam peccatum committit?*

R. Qui ad Sacramenta vivorum accedit cum conscientia peccato mortali gravata, non solum gratiam non recipit, sed insuper committit grave sacrilegii peccatum.

Q. 132. *Quaenam sunt Sacramenta quae semel tantum recipi possunt?*

R. Sacramenta quae semel tantum recipi possunt, sunt Baptismus, Confirmatio et Ordo, quia indelebilem characterem, in anima imprimunt.

Sectio 2ª. – De singulis Sacramentis.

Art. 1. – De sacramento Baptismi.

Q. 133. *Quid est sacramentum Baptismi?*

R. Sacramentum Baptismi est Sacramentum per modum ablutionis a Iesu Christo institutum, quo baptizatus fit membrum verae Iesu Christi Ecclesiae; obtinet remissionem peccati originalis et omnium peccatorum actualium, si qua adsint, cum tota poena eisdem debita; et fit capax suscipiendi alia Sacramenta.

Q. 134. *Quonam officio tenetur baptizatus?*

R. Baptizatus officio tenetur et fidem Christi in Ecclesia catholica profitendi, et mandata Christi et Ecclesiae catholicae servandi.

Q. 135. *Baptismus estne omnibus necessarius ad salutem?*

R. Baptismus est omnibus necessarius ad salutem, cum Iesus Christus dixerit: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei ».

Q. 136. *In casu necessitatis quisnam potest Baptismum conferre?*

R. In casu necessitatis quilibet potest Baptismum sine solemnitate conferre, paululum aquae naturalis super caput baptizandi infundens ita ut ablutus dici possit, simul dicens: «Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Art. 2. – De sacramento Confirmationis.

Q. 137. *Quid est sacramentum Confirmationis?*

R. Sacramentum Confirmationis est Sacramentum a Iesu Christo institutum ad conferendam specialem gratiam et dona Spiritus Sancti, quibus confirmatus ro-

boratur ad fidem, ut perfectus Christi miles, verbo et opere profitendam.

Q. 138. *Praeter Baptismum et statum gratiae, quid requiritur in eo qui Confirmationem recipit?*

R. Praeter Baptismum et statum gratiae in eo qui Confirmationem recipit, requiritur, si rationis usum habet, cognitio praecipuorum mysteriorum fidei, aliarumque veritatum, quae ad hoc Sacramentum spectant.

Q. 139. *Confirmatio estne omnibus absolute necessaria ad salutem?*

R. Confirmatio non est omnibus absolute necessaria ad salutem, sed non licet illam negligere, quia est medium ad eam facilius et plenius consequendam.

Art. 3. – De sanctissima Eucharistia.

Q. 140. *Quid est sanctissima Eucharistia?*

R. Sanctissima Eucharistia, quasi *bona gratia* vel *gratiarum actio*, est divinissimum Redemptoris donum et fidei mysterium, in quo sub speciebus panis et vini ipsemet Iesus Christus continetur, offertur, sumitur, sacrificium simul et Sacramentum novae Legis.

A) *De praesentia reali Iesu Christi in Eucharistia.*

Q. 141. *Quandonam Iesus Christus sanctissimam Eucharistiam instituit?*

R. Iesus Christus sanctissimam Eucharistiam instituit in novissima coena, antequam pateretur, cum, accepto pane, gratias egit, deditque discipulis suis dicens: « Accipite et comedite, hoc est corpus meum »; et accepto calice, dedit eis dicens: « Bibite, hic est enim sanguis meus », addens: « Hoc facite in meam commemorationem ».

Q. 142. *Quid factum est, quando Iesus Christus verba consecratoria super panem et vinum protulit?*

R. Quando Iesus Christus verba consecratoria super panem et vinum protulit, facta est mirabilis et singularis conversio totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem Iesu Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini.

Q. 143. *Quid Iesus Christus voluit per addita verba:* Hoc facite in meam commemorationem?

R. Iesus Christus per addita verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, Apostolos suos constituit sacerdotes novi Testamenti, et eis eorumque in sacerdotio successoribus praecepit ut pariter consecrarent, offerrent et ministrarent corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini.

Q. 144. *Sacerdotes quandonam hanc potestatem exercent et hoc mandatum exsequuntur?*

R. Sacerdotes hanc potestatem exercent et hoc mandatum exsequuntur, cum, gerentes personam Iesu Christi, Missae sacrificium celebrant.

Q. 145. *Quid igitur evenit, quando sacerdos in Missa super panem et vinum verba consecratoria profert?*

R. Quando sacerdos in Missa super panem et vinum verba consecratoria profert, sub speciebus panis et vini fit praesens vere, realiter et substantialiter corpus et sanguis domini nostri Iesu Christi, una cum eius anima et divinitate.

Q. 146. *Quaenam est materia apta et quaenam verba sunt necessaria ad sanctissimam Eucharistiam conficiendam?*

R. Materia apta ad sanctissimam Eucharistiam conficiendam est panis triticeus et vinum de vite; verba

autem necessaria sunt eadem verba quae Christus Dominus in ultima coena protulit super panem et vinum.

B) ***De sacrificio Missae.***

Q. 147. *Missa estne verum et proprium novae Legis sacrificium?*

R. Missa est verum et proprium novae Legis sacrificium, quo Iesus Christus, ministerio sacerdotis, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini, mystica immolatione, Deo Patri incruente offert in repraesentationem et memoriam sacrificii Crucis.

Q. 148. *Missae sacrificium estne unum idemque ac sacrificium Crucis?*

R. Missae sacrificium est unum idemque ac sacrificium Crucis quod renovatur, quatenus una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.

Q. 149. *Quomodo Missae sacrificio nobis applicantur fructus sacrificii Crucis?*

R. Missae sacrificio nobis applicantur fructus sacrificii Crucis, quatenus Deus, hac immolatione placatus, gratias concedit, quas Iesus Christus sui sanguinis praetio nobis promeruit.

Q. 150. *Quisnam est modus potissimus adsistendi Missae?*

R. Modus potissimus adsistendi Missae est ut fideles adstantes divinam victimam, una cum sacerdote, offerant Deo, mentè recolant sacrificium Crucis, et sacramentali vel saltem spirituali Communione cum Christo Iesu coniungantur.

C) *De sacramento Eucharistiae.*

Q. 151. *Quid est sacramentum Eucharistiae?*

R. Sacramentum Eucharistiae est Sacramentum a Iesu Christo institutum, quo sub speciebus panis et vini ipsemet Iesus Christus, auctor gratiae, vere, realiter ac substantialiter continetur ad spiritualem nostrarum animarum refectionem.

Q. 152. *Quid requiritur ad Eucharistiam digne sumendam?*

R. Ad Eucharistiam digne sumendam, praeter Baptismum, sicuti in omnibus Sacramentis post eundem Baptismum receptis, et praeter statum gratiae, sicut in aliis Sacramentis vivorum, requiritur sub gravi etiam ieiunium naturale.

Q. 153. *Quid significat ieiunium naturale?*

R. Ieiunium naturale significat, a media nocte usque ad tempus Communionis, nihil per modum cibi vel potus vel etiam medicinae sumere.

Q. 154. *Qui non ieiunus sacram Communionem recipit, quodnam peccatum committit?*

R. Qui non ieiunus sacram Communionem recipit, committit grave sacrilegii peccatum.

Q. 155. *Quandonam sacra Communio permittitur non servato ieiunio naturali?*

R. Sacra Communio permittitur non servato ieiunio naturali, quando mortis urget periculum, aut necessitas impediendi irreverentiam in Sacramentum.

Q. 156. *Quibusnam infirmis permittitur sacra Communio non servato ieiunio naturali?*

R. Infirmis, qui a mense decumbunt sine certa spe

ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio, permittitur sacra Communio semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint.

Q. 157. *Quid requiritur ut sacra Communio etiam devote suscipiatur?*

R. Ut sacra Communio etiam devote suscipiatur, requiritur ut eam et praeparatio diligens antecedat et congrua gratiarum actio subsequatur, secundum uniuscuiusque vires, conditionem et officia.

Q. 158. *In quonam consistit praeparatio ante sanctam Communionem adhibenda?*

R. Praeparatio ante sanctam Communionem adhibenda in hoc consistit, ut per aliquod temporis spatium attente et devote meditemur quid recepturi simus, et ad actus fidei, spei, caritatis et contritionis studiose nosmetipsos exerceamus.

Q. 159. *In quanam re consistit gratiarum actio, quae sanctam Communionem subsequitur?*

R. Gratiarum actio, quae sanctam Communionem subsequitur, in hoc consistit, ut per aliquod temporis spatium attente et devote meditemur quid receperimus, et actus fidei, spei, caritatis, boni propositi, grati animi ac petitionis eliciamus.

Q. 160. *Quosnam effectus Eucharistia parit iis qui eam digne et devote suscipiunt?*

R. Eucharistia iis qui eam digne et devote suscipiunt, hos effectus parit:

1° auget gratiam sanctificantem et fervorem caritatis;

2° remittit peccata venialia;

3° multum confert ad finalem perseverantiam,

tum concupiscentiam minuendo, tum a mortalibus praeservando, tum ad exercitationem bonorum operum roborando.

Art. 4. – De sacramento Poenitentiae.

Q. 161. *Quid est sacramentum Poenitentiae?*

R. Sacramentum Poenitentiae est Sacramentum a Iesu Christo institutum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata lapsi fuerint, ipsi Deo reconciliandis.

Q. 162. *Quandonam Iesus Christus hoc Sacramentum instituit?*

R. Iesus Christus hoc Sacramentum tum praecipue instituit, quando in discipulos suos, post resurrectionem in unum congregatos, insufflavit dicens: « Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt ».

Q. 163. *Quisnam est legitimus minister sacramenti Poenitentiae?*

R. Legitimus minister sacramenti Poenitentiae est sacerdos rite approbatus ad audiendas confessiones.

Q. 164. *Quaenam peccata sunt materia sacramenti Poenitentiae?*

R. Materia necessaria sacramenti Poenitentiae sunt peccata mortalia post Baptismum commissa, quae nunquam fuerunt virtute clavium directe remissa; sed possumus etiam peccata venialia, et mortalia iam directe remissa, utiliter confiteri.

Q. 165. *Quaenam sunt partes huius Sacramenti?*

R. Partes huius Sacramenti sunt, quasi eius materia, actus poenitentis; et absolutio legitimi Sacerdotis, quae est eius forma.

A) ***De actibus poenitentis.***

Q. 166. *Quaenam ex parte poenitentis requiruntur ad sacramentum Poenitentiae digne suscipiendum?*

R. Ad sacramentum Poenitentiae digne suscipiendum ex parte poenitentis requiruntur:

1° conscientiae examen;
2° contritio de peccatis commissis;
3° propositum non peccandi de cetero;
4° confessio peccatorum;
5° satisfactio.

a) *Conscientiae examen.*

Q. 167. *Quid est conscientiae examen?*

R. Conscientiae examen est diligens inquisitio peccatorum, post ultimam confessionem rite factam commissorum.

Q. 168. *Quomodo conscientiae examen est peragendum?*

R. Conscientiae examen ita est peragendum, ut poenitens, implorato Dei auxilio, diligenter in memoriam revocet mortalia peccata, quae cogitatione, verbo, opere vel omissione contra mandata Dei et Ecclesiae et contra officia proprii status admiserit.

Q. 169. *In hoc conscientiae examine de quibusnam rebus inquirere debemus?*

R. In hoc conscientiae examine inquirere debemus de peccatorum et specie et numero et circumstantiis speciem mutantibus.

b) *Contritio de peccatis commissis et propositum non peccandi de cetero.*

Q. 170. *Quid est peccatorum contritio?*

R. Peccatorum contritio est animi dolor et detestatio de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cetero.

Q. 171. *Quid est propositum non peccandi de cetero?*

R. Propositum non peccandi de cetero est firma voluntas non peccandi et proximas peccandi occasiones, quantum quis potest, vitandi.

Q. 172. *Qualis esse debet contritio de peccatis?*

R. Contritio de peccatis debet esse:

interna, quae ex corde nascitur;

supernaturalis, quae elicitur ex rationibus supernaturalibus;

summa, qua detestamur peccatum supra omnia mala;

universalis, quae omnia peccata mortalia commissa post Baptismum, nec directe potestate clavium remissa, complectitur.

Q. 173. *Quid si poenitens accusanda non habeat nisi peccata venialia, aut mortalia directe iam remissa?*

R. Si poenitens accusanda non habeat nisi peccata venialia, aut mortalia directe iam remissa, satis est et requiritur ut de aliquibus vel de uno saltem doloris actum eliciat.

Q. 174. *Quotuplex potest esse contritio?*

R. Contritio potest esse vel *perfecta*, quae *contritio* simpliciter appellari solet, vel *imperfecta*, quae speciali nomine *attritio* dicitur.

Q. 175. *Quid est contritio perfecta?*

R. Contritio perfecta est dolor et detestatio peccatorum, elicita ex motivo caritatis, propterea quod offensus est Deus, qui est summum bonum, et dignus qui super omnia diligatur.

Q. 176. *Quemnam effectum gignit contritio perfecta?*

R. Contritio perfecta statim delet peccata, et hominem Deo reconciliat etiam extra sacramentum Poenitentiae, sed non sine Sacramenti voto, quod in illa includitur.

Q. 177. *Quid est contritio imperfecta?*

R. Contritio imperfecta est dolor et detestatio supernaturalis peccatorum, quae vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur.

Q. 178. *Ad valide recipiendum sacramentum Poenitentiae quaenam contritio sufficit?*

R. Ad valide recipiendum sacramentum Poenitentiae sufficit contritio imperfecta, licet optanda sit perfecta.

Q. 179. *Quodnam peccatum committit, qui scienter sine ulla contritione ad sacramentum Poenitentiae accedit?*

R. Qui scienter sine ulla contritione ad sacramentum Poenitentiae accedit, non solum peccatorum quae confessus est, remissionem non consequitur, sed committit grave sacrilegii peccatum.

c) *Confessio peccatorum.*

Q. 180. *Quid est confessio peccatorum?*

R. Confessio peccatorum est eorum accusatio, facta sacerdoti legitime approbato, ad absolutionem sacramentalem consequendam.

Q. 181. *Qualis esse debet confessio ad validam sacramenti Poenitentiae receptionem?*

R. Ad validam sacramenti Poenitentiae receptionem confessio debet esse vocalis aut saltem quae vocalem suppleat, et integra.

Q. 182. *Quando confessio est integra?*

R. Confessio est integra cum poenitens omnia peccata mortalia, nondum directe remissa, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habet, confitetur cum numero, specie et circumstantiis speciem mutantibus.

Q. 183. *Quid agere debet qui peccatorum mortalium numerum non recordatur?*

R. Qui peccatorum mortalium numerum non recordatur, debet numerum indicare qui sibi videatur propius ad verum accedere, addendo *circiter*.

Q. 184. *Quid si quis peccatum mortale inculpabiliter omiserit in confessione?*

R. Si quis peccatum mortale inculpabiliter omiserit in confessione, Sacramentum valet, et peccatum indirecte remittitur; sed poenitens tenetur peccatum omissum, cum recordatur, in proxima confessione accusare.

Q. 185. *Quodnam peccatum committit, qui culpabiliter peccatum mortale in confessione reticet?*

R. Qui culpabiliter peccatum mortale in confessione reticet, non solum ex confessione nullam utilitatem consequitur, sed insuper committit grave sacrilegii peccatum.

Q. 186. *Qualis insuper debet esse confessio ad licitam sacramenti Poenitentiae receptionem?*

R. Ad licitam sacramenti Poenitentiae receptionem confessio debet insuper esse devota et humilis, ita ut

poenitens brevi sermone et clara oratione quae modestiam coniunctam habeat, exclusis inutilibus verbis, sua peccata demisse confiteatur; ea non excuset, minuat, augeat, et confessarii monita recipiat.

d) *Satisfactio.*

Q. 187. *Quid est satisfactio?*

R. Satisfactio est poena, pro peccatis in confessione patefactis, poenitenti a confessario iniuncta, quae, ex meritis Iesu Christi per iudicium sacramentale applicatis, specialem vim habet ad poenam temporalem peccatis debitam solvendam.

Q. 188. *Ad quem finem confessarius satisfactionem iniungit?*

R. Confessarius satisfactionem iniungit non tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem.

Q. 189. *Quandonam poenitens satisfactionem a confessario iniunctam exsequi debet?*

R. Nisi confessarius tempus exsecutionis assignaverit, curet poenitens satisfactionem a confessario iniunctam quamprimum exsequi.

B) ***De absolutione sacramentali.***

Q. 190. *Quid est absolutio sacramentalis?*

R. Absolutio sacramentalis est actus quo confessarius, nomine Iesu Christi, peccata, poenitenti rite confesso et contrito, per debitae formae prolationem, remittit.

Q. 191. *Confessarius teneturne ad sacramentale sigillum?*

R. Confessarius tenetur ad inviolabile sacramentale sigillum; et non solum nequit revelare peccata quae in confessione audiverit, sed diligenter etiam cavere debet ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem.

Q. 192. *Absolutione sacramentali et peracta satisfactione a confessario imposita, remittiturne semper tota poena temporalis peccatis debita?*

R. Absolutione sacramentali et peracta satisfactione a confessario imposita, non semper remittitur tota poena temporalis peccatis debita, quae tamen exstingui potest aliis satisfactionibus voluntariis et praesertim Indulgentiis.

Q. 193. *Quid intelligitur nomine* Indulgentiae?

R. Nomine *Indulgentiae* intelligitur remissio coram Deo poenae temporalis debitae peccatis, ad culpam quod attinet, iam deletis; quam remissionem Ecclesia extra sacramentum Poenitentiae concedit.

Art. 5. – De sacramento Extremae Unctionis.

Q. 194. *Quid est sacramentum Extremae Unctionis?*

R. Sacramentum Extremae Unctionis est Sacramentum a Iesu Christo institutum, quo omnibus post usum rationis vita periclitantibus spiritualia auxilia conferuntur, in mortis periculo maxime proficua, et aliquando etiam solamen ab infirmitatibus corporis.

Q. 195. *Hoc sacramentum estne necessarium ad salutem?*

R. Hoc sacramentum non est absolute necessarium ad salutem, sed nefas est illud negligere, imo omni

studio ac diligentia curandum, ut ubi aegrotus in vitae periculo versari inceperit, quamprimum, dum sui compos est, hoc sacramentum recipiat.

Art. 6. – De sacramento Ordinis.

Q. 196. *Quid est sacramentum Ordinis seu sacrae ordinationis?*

R. Sacramentum Ordinis seu sacrae ordinationis est Sacramentum a Iesu Christo institutum ad constituendos in Ecclesia Episcopos, presbyteros et ministros, cum sua quemque potestate et gratia, quibus iidem sacra munia, iuxta proprium gradum, rite obire queant.

Q. 197. *Quaenam est sacerdotii dignitas?*

R. Maxima est sacerdotii dignitas, quia sacerdos est Christi minister et dispensator mysteriorum Dei, mediator inter Deum et homines, potestatem habens in Christi corpus et reale et mysticum.

Art. 7. – De sacramento Matrimonii.

Q. 198. *Quid est sacramentum Matrimonii?*

R. Sacramentum Matrimonii est ipsummet coniugium inter baptizatos valide initum, ad dignitatem Sacramenti a Iesu Christo evectum, quo gratia coniugibus confertur ut officia, quibus et inter se et erga filios adstringuntur, rite expleant.

Q. 199. *Potestne inter baptizatos validum Matrimonium consistere quin sit Sacramentum?*

R. Inter baptizatos validum Matrimonium consistere nequit, quin sit eo ipso Sacramentum, quia Iesus Christus ad dignitatem Sacramenti ipsum eorumdem Matrimonium evehere dignatus est.

Q. 200. *Quaenam sunt essentiales Matrimonii proprietates?*

R. Essentiales Matrimonii proprietates sunt unitas et indissolubilitas, quae in Matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione Sacramenti.

Q. 201. *Quo iure regitur Matrimonium baptizatorum?*

R. Matrimonium baptizatorum regitur iure tum divino tum ecclesiastico, salva competentia civilis potestatis circa effectus mere civiles.

Caput VIII.

De Virtutibus.

Q. 202. *Quid est virtus?*

R. Virtus est habitus seu constans dispositio inclinans hominem ad bonum operandum et ad malum vitandum.

Q. 203. *Quotuplex est virtus?*

R. Virtus ratione obiecti est duplex, alia theologica, alia moralis.

Art. 1. – De virtutibus theologicis.

Q. 204. *Quid est virtus theologica?*

R. Virtus theologica est virtus cuius obiectum immediatum est Deus ut finis supernaturalis, hominemque ad eum directe ordinat.

Q. 205. *Quot sunt virtutes theologicae?*

R. Virtutes theologicae sunt tres: *fides*, *spes*, *caritas*.

Q. 206. *Virtutes theologicae suntne necessariae ad salutem?*

R. Virtutes theologicae sunt omnino necessariae ad salutem, quia recta ordinatio tum intellectus tum vo-

luntatis in finem supernaturalem sine ipsis haberi nequit.

Q. 207. *Quaenam est virtus excellentissima inter virtutes theologicas?*

R. Inter virtutes theologicas virtus excellentissima est caritas, quae est legis perfectio et ne in caelo quidem excidit.

Q. 208. *Quid est fides?*

R. Fides est virtus supernaturalis, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ea quae Deus revelavit et per Ecclesiam nos docuit, vera esse credimus propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.

Q. 209. *Debemusne credere omnes veritates revelatas?*

R. Debemus omnes veritates revelatas credere saltem implicite: *credo quidquid credit sancta mater Ecclesia;* explicite autem credere debemus Deum esse eumque remuneratorem, et mysteria sanctissimae Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis.

Q. 210. *Quomodo fidem manifestamus?*

R. Fidem manifestamus eam profitentes verbo et opere, et, si oportuerit, etiam mortem oppetendo.

Q. 211. *Quid est spes?*

R. Spes est virtus supernaturalis, qua, ob merita Iesu Christi, nixi Dei bonitate, omnipotentia et fidelitate, expectamus vitam aeternam et gratias necessarias ad eam consequendam, quam Deus promisit iis qui bona opera facient.

Q. 212. *Quomodo spem manifestamus?*

R. Spem manifestamus non solum verbis, sed etiam opere, dum fidentes ex animo divinis promissis, vitae asperitates atque aerumnas ipsasque persecutiones patienter toleramus.

Q. 213. *Quid est caritas?*

R. Caritas est virtus supernaturalis, qua diligimus Deum super omnia propter seipsum, et nosmetipsos ac proximum propter Deum.

Q. 214. *Quomodo nostrum amorem Deo manifestamus?*

R. Nostrum amorem Deo manifestamus eius mandata fideliter custodiendo aliaque opera non praecepta, sed eidem accepta, exercendo.

Q. 215. *Quomodo nosmetipsos diligere debemus?*

R. Nosmetipsos diligere debemus, gloriam Dei nostramque aeternam salutem in omnibus quaerendo.

Q. 216. *Quomodo proximum diligere debemus?*

R. Proximum diligere debemus per actus tum internos tum externos, scilicet offensas condonando, damnum, iniuriam et scandalum in ipsum vitando, et ei pro viribus subveniendo in suis necessitatibus, praesertim operibus misericordiae spiritualis et corporalis.

Q. 217. *Quaenam sunt opera misericordiae spiritualis?*

R. Opera misericordiae spiritualis sunt:

1° dubitantibus consilia dare;
2° ignorantes instruere;
3° peccatores monere;
4° afflictos solari;
5° offensas remittere;
6° molestos patienter sustinere;
7° pro vivis et defunctis Deum orare.

Q. 218. *Quaenam sunt opera misericordiae corporalis?*

R. Opera misericordiae corporalis sunt:

1° cibum praebere esurientibus;
2° potum praebere sitientibus;
3° nudos cooperire;

4° hospites excipere;
5° infirmos visitare;
6° carcere clausos invisere;
7° mortuos sepelire.

Q. 219. *Caritas, qua proximum diligere debemus, complectiturne etiam inimicos?*

R. Caritas, qua proximum diligere debemus, complectitur etiam inimicos, quia illi quoque sunt proximi nostri, et Iesus ipse hoc nobis dedit mandatum et exemplum.

Art. 2. – De virtutibus moralibus.

Q. 220. *Quid est virtus moralis?*

R. Virtus moralis est virtus, cuius obiectum immediatum sunt actus honesti, rectae rationi conformes.

Q. 221. *Quot et quaenam sunt praecipuae virtutes morales?*

R. Praecipuae virtutes morales sunt quatuor: *prudentia*, *iustitia*, *fortitudo*, *temperantia*, quae etiam virtutes *cardinales* appellantur.

Q. 222. *Curnam hae virtutes dicuntur* cardinales?

R. Hae virtutes dicuntur *cardinales*, quia sunt veluti cardo totius aedificii moralis, et aliae virtutes morales ad eas reducuntur.

Caput IX.

De peccatis actualibus seu personalibus.

Q. 223. *Quotuplex est peccatum?*

R. Peccatum aliud est originale, aliud actuale seu personale.

Q. 224. *Quid est peccatum actuale?*

R. Peccatum actuale est legis Dei transgressio scienter et libere commissa.

Q. 225. *Quotuplici modo peccatum actuale committi potest?*

R. Peccatum actuale committi potest cogitatione, verbo et opere sive posito sive omisso; idque vel contra Deum vel contra nosmetipsos vel contra proximum, prout lex quam violamus, directe respicit vel Deum vel nosmetipsos vel proximum.

Q. 226. *Quomodo dividitur peccatum actuale?*

R. Peccatum actuale dividitur in mortale et veniale.

Q. 227. *Quid est peccatum mortale?*

R. Peccatum mortale est legis transgressio scienter et libere commissa cum conscientia gravis obligationis.

Q. 228. *Curnam hoc peccatum dicitur* mortale?

R. Hoc peccatum dicitur *mortale*, quia animam avertens a suo ultimo fine; eam privat sua vita supernaturali, quae est gratia sanctificans; aeternae mortis in Inferno ream facit; merita acquisita mortificat ita ut iam non prosint ad salutem, donec, recuperata gratia, reviviscant; et alia opera meritoria vitae aeternae impedit.

Q. 229. *Quid est peccatum veniale?*

R. Peccatum veniale est legis Dei transgressio scienter et libere commissa cum conscientia levis obligationis.

Q. 230. *Curnam hoc peccatum dicitur* veniale?

R. Hoc peccatum dicitur *veniale*, quia, cum animam non avertat a suo fine ultimo, nec spiritualem animae mortem afferat, facilius veniam obtinere potest etiam sine confessione sacramentali, et est quaedam animae infirmitas, quae natura sua facilius potest sanari.

Q. 231. *Quinam sunt praecipui effectus peccati venialis?*

R. Praecipui effectus peccati venialis hi sunt: fervorem caritatis minuit, disponit animam ad peccatum mortale, et hominem reum facit poenae temporalis in hac vel in altera vita luendae.

Q. 232. *Praeter peccatum debemusne effugere etiam peccandi occasiones?*

R. Praeter peccatum, debemus effugere, quantum possumus, etiam proximas peccandi occasiones, in quibus scilicet homo se gravi peccandi periculo exponit.

Caput X.

De Novissimis.

Q. 233. *Quid intelligitur* Novissimorum *nomine?*

R. *Novissimorum* nomine intelliguntur quae postremo hominibus contingent, id est *mors*, *iudicium*, *Infernus*, *Paradisus*; sed post *iudicium* ante *Paradisum* potest esse *Purgatorium*.

Q. 234. *Quaenam de morte praecipue recogitare debemus?*

R. De morte praecipue recogitare debemus, eam esse poenam peccati, momentum a quo pendet aeter-

nitas, ita ut post mortem nullus locus poenitentiae et merito relinquatur, eiusque horam et circumstantias esse incertas.

Q. 235. *Quid primum contingit animae illico post mortem?*

R. Anima illico post mortem sistitur ad tribunal Christi, subitura iudicium particulare.

Q. 236. *De quibusnam anima in particulari iudicio iudicatur?*

R. De omnibus omnino anima in particulari iudicio iudicatur, scilicet de cogitationibus, verbis, operibus et omissionibus; et hoc iudicium in iudicio universali, veluti exteriore manifestatione, confirmabitur.

Q. 237. *Post particulare iudicium quid erit de anima?*

R. Post particulare iudicium anima, si gratia caret ob mortale peccatum, statim Inferni poenis addicitur; si est in gratia et libera quoque est a quovis peccato veniali et a quovis debito poenae temporalis, statim ad Paradisi gloriam assumitur; denique si est in gratia, sed cum aliquo peccato veniali vel aliquo adhuc debito poenae temporalis, in Purgatorio detinetur donec divinae iustitiae plene satisfecerit.

Q. 238. *Quid erit de damnatis in Inferno?*

R. In Inferno daemones et una cum ipsis damnati homines, sine corpore ante iudicium universale, cum corpore post universale iudicium, in aeternum privantur beatifica Dei visione et igne reali aliisque gravissimis cruciantur poenis.

Q. 239. *Quid erit de anima in Purgatorio?*

R. Anima in Purgatorio poenas temporales peccatis debitas et in hac vita nondum perfecte solutas luit privatione visionis beatificae aliisque gravibus poenis,

donec divinae iustitiae plene satisfecerit et ita in Paradisum admittatur.

Q. 240. *Quid erit de iustorum animabus in Paradiso?*

R. In Paradiso iustorum animae sine corpore ante universale iudicium, una cum corpore post iudicium universale, beatifica Dei visione, unaque cum ipse omni bono in aeternum perfruuntur, sine admixtione vel formidine ullius mali, in societate Domini nostri Iesu Christi, beatae Mariae Virginis Caelitumque ceterorum.

III.

CATECHISMUS PRO ADULTIS HOMINIBUS QUI PLENIOREM DOCTRINAE CATHOLICAE COGNITIONEM HABERE EXOPTANT

Caput I.

De signo Sanctae Crucis.

Q. 1. *Esne christianus?*

R. Gratia Dei, christianus ego sum.

Q. 2. *Quisnam dicitur et est* christianus?

R. *Christianus* dicitur et est qui Baptismi sacramentum recepit, quod est ianua Ecclesiae Christi.[1]

Q. 3. *Quisnam est strictiori et pleno sensu christianus?*

R. Strictiori et pleno sensu christianus est baptizatus qui veram integramque Christi fidem profitetur, idest catholicus; qui, si et Christi legem observat, bonus christianus est.

Q. 4. *Quodnam est externum christiani signum?*

R. Externum christiani signum est signum Sanctae Crucis.[2]

Q. 5. *Quomodo fit signum Sanctae Crucis?*

R. Signum Sanctae Crucis fit manum dexteram ad

---

[1] Concilium Florentinum, *Decretum pro Armenis;* Conc. Tridentinum, *sess. VI, can. 28;* Benedictus XV, *Encycl.* Ad beatissimi, *1 nov. 1914;* Codex I. C., *can. 87.*

[2] S. Augustinus, *In Ioann., CXVIII, 5.*

frontem admovendo, dum dicitur: *In nomine Patris;* deinde ad pectus, dum additur: *et Filii;* tandem a laevo humero ad dexterum, dum dicitur: *et Spiritus Sancti, Amen.* [1]

Q. 6. *Curnam signum Sanctae Crucis est signum christiani?*

R. Signum Sanctae Crucis est signum christiani, quia per illud praecipua fidei christianae mysteria externe profitemur.

Q. 7. *Quid est mysterium?*

R. Mysterium est veritas ordinis supernaturalis suapte natura intellectum creatum sic excedens, ut, nisi revelata divinitus, innotescere non possit. [2]

Q. 8. *Quaenam sunt praecipua fidei christianae mysteria?*

R. Praecipua fidei christianae mysteria sunt:

1º mysterium unius Dei in tribus realiter distinctis Personis, Patre, Filio et Spiritu Sancto;

2º mysterium humanae Redemptionis per incarnationem, passionem et mortem Iesu Christi, Filii Dei. [3]

---

[1] Sicubi signum Sanctae Crucis alio modo fieri solet, probata consuetudo servari potest. Innocentius III, *De sacro Altaris mysterio, II, 45.*

[2] Paul., *1ª ad Cor., II, 6-13;* Conc. Vat., *Const.* Dei Filius, *cap. 4;* Pius IX, *Epist.* Tuas libenter, *ad Arch. Monacen.-Frisingen., 21 dec. 1863.* — Decipiuntur proinde increduli aliique religionis catholicae osores, qui omnia reiciunt mysteria ordinis supernaturalis, cum in ipso quoque ordine naturali admittere cogantur plurima, quae ex humanae mentis imbecillitate vel nullo modo vel nonnisi imperfecte explicari possunt.

[3] Haec fidei mysteria fusius exponuntur *q. 33 et seq.*

Q. 9. *Quomodo signum Sanctae Crucis haec duo fidei christianae mysteria indicat?*

R. Signum Sanctae Crucis indicat haec duo fidei christianae mysteria, quia eius verba significant unitatem Dei in tribus realiter distinctis Personis; figura vero Crucis, quam manu describimus, in memoriam revocat humanam Redemptionem in ligno Crucis a Iesu Christo consummatam.

Q. 10. *Estne utile signare se signo Sanctae Crucis?*

R. Utile est, imo perutile, saepe et devote signare se signo Sanctae Crucis, praesertim in initio et in fine diei et praecipuarum actionum.

Q. 11. *Curnam utile est, imo perutile, saepe et devote signare se signo Sanctae Crucis?*

R. Utile est, imo perutile, signo Sanctae Crucis saepe et devote se signare, quia hoc signum, cum rite fit, est actus externus fidei internae, ac propterea vim habet fidem excitandi, vincendi respectum humanum, expellendi tentationes, pericula animae et corporis avertendi et alias gratias a Deo impetrandi.[1]

Caput II.

De divina revelatione.

Q. 12. *Possumusne naturali rationis lumine Deum cognoscere et demonstrare?*

R. Naturali rationis lumine possumus Deum unum et verum, rerum omnium principium et finem, creatorem et dominum nostrum, e rebus creatis certo cogno-

[1] S. Petrus Canisius, *De fide et symbolo fidei, cap. I, n. 12.*

scere et demonstrare, a creaturis arguentes creatorem, ab effectu causam. [1]

Q. 13. *Praeterquam naturali rationis lumine, possumusne etiam alia via Deum cognoscere?*

R. Praeterquam naturali rationis lumine, etiam alia via, idest fide, Deum cognoscere possumus, quia eius sapientiae et bonitati placuit seipsum et aeterna suae voluntatis decreta humano generi manifestare per supernaturalem revelationem. [2]

Q. 14. *Quid intelligis nomine* revelationis supernaturalis?

R. Nomine *revelationis supernaturalis* intelligo tum locutionem qua Deus ipse, ad erudiendum nos in doctrina salutis aeternae, veritates hominibus manifestavit, tum etiam complexum earundem veritatum. [3]

Q. 15. *Ex hac notione supernaturalis revelationis quid sequitur?*

R. Ex hac notione supernaturalis revelationis sequitur eandem immunem esse ab omni prorsus errore, cum Deus, summa Veritas, nec falli nec fallere possit.

Q. 16. *Quaenam veritates in divina revelatione continentur?*

R. In divina revelatione non solum mysteria continentur quae creatum intellectum excedunt, sed etiam

---

[1] Sap., *XIII, 1-5;* Paul., *ad Rom., I, 20;* Conc. Vat., *l. c., cap. 2 et can. 1, De revel.;* Pius X, *Motuproprio* Sacrorum Antistitum, *1 sept. 1910;* S. Irenaeus, *Adv. haereses, II, 9, 1;* S. Augustinus, *Sermo 141, 2.*

[2] Paul., *ad Hebr., I, 1;* Conc. Vat., *l. c., cap. 2.*

[3] Paul., *1ª ad Cor., II, 10; ad Hebr., l. c.*

plures veritates quae humanae rationi ex se imperviae non sunt.

Q. 17. *Curnam Deus dignatus est hominibus revelare veritates, quae humanae rationi ex se imperviae non sunt?*

R. Deus dignatus est hominibus veritates revelare, quae humanae rationi ex se imperviae non sunt, ut eaedem in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possent. [1]

Q. 18. *Quaenam externa argumenta revelationis suae Deus dare voluit, ut fidei nostrae obsequium esset rationi consentaneum?*

R. Ut fidei nostrae obsequium esset rationi consentaneum, Deus voluit, cum internis gratiae auxiliis, externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias; quae, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter demonstrent, divinae revelationis sunt signa certissima et omnium intelligentiae accommodata. [2]

Q. 19. *Quid est miraculum?*

R. Miraculum est factum a Deo praeter ordinem totius naturae creatae productum. [3]

Q. 20. *Quid est prophetia?*

R. Prophetia, proprio sensu sumpta, est certa praedictio futuri eventus, qui ex naturalibus causis nullo modo praecognosci potest. [4]

---

[1] Conc. Vat., *l. c.*

[2] Is., *XLI, 23;* Ioan., *X, 25, 37, 38; XV, 24;* 2ª Petr., *I, 19;* Conc. Vat., *l. c., cap. 3;* Origenes, *Contra Celsum, VI, 10.*

[3] S. Thomas, *p. 1ª, q. 110, a. 4.*

[4] S. Thomas, *2ª 2ªe, q. 171, a. 3.*

Q. 21. *Ubinam continentur veritates a Deo revelatae?*

R. Veritates a Deo revelatae continentur in sacra Scriptura et in Traditione. [1]

Q. 22. *Quid intelligis nomine* sacrae Scripturae?

R. Nomine *sacrae Scripturae* intelligo libros veteris ac novi Testamenti, qui, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque uti tales Ecclesiae ab ipso Deo traditi sunt. [2]

Q. 23. *In quonam consistit Spiritus Sancti inspiratio?*

R. Spiritus Sancti inspiratio in hoc consistit ut Spiritus Sanctus ita scriptores ad scribendum excitaverit et moverit, ita scribentibus adstiterit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent. [3]

Q. 24. *Quid intelligis per* vetus Testamentum *et quid per* novum Testamentum?

R. Per *vetus Testamentum* intelligo libros S. Scripturae conscriptos ante adventum Iesu Christi, per *novum Testamentum* libros conscriptos post eius adventum.

Q. 25. *Quid intelligis nomine* Traditionis?

R. Nomine *Traditionis* intelligo complexum veritatum revelatarum, quae ab Apostolis acceptae ex ipsius Christi ore vel a Spiritu Sancto dictante, quasi per

---

[1] S. Theophilus Antioch., *Ad Autolycum*, *III*, *12;* S. Epiphanius, *Haeres.*, *61*, *6*.

[2] Paul., *2ª ad Tim.*, *III*, *15*, *16;* *2ª* Petr., *I*, *20*, *21*.

[3] Conc. Trid., *sess. IV*, *Decret. de can. Script.;* Conc. Vat., *Const.* Dei Filius, *cap. 2;* Leo XIII, *Encycl.* Providentissimus Deus, *18 nov. 1893*.

manus traditae atque continua successione in Ecclesia catholica conservatae, ad nos usque pervenerunt. [1]

Q. 26. *Quomodo vocatur complexus omnium veritatum revelatarum?*

R. Complexus omnium veritatum revelatarum vocatur *fidei depositum.*

Q. 27. *Cuinam Iesus Christus voluit fidei depositum concredere?*

R. Iesus Christus voluit fidei depositum Ecclesiae concredere, ut ipsa, Spiritu Sancto adsistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret. [2]

Q. 28. *Quid in primis nobis necesse est ut vitam aeternam assequamur?*

R. Ut vitam aeternam assequamur, in primis nobis necesse est credere veritates quas Deus revelavit et Ecclesia nobis credendas proponit. [3]

Q. 29. *Ubinam praecipue reperiuntur veritates, quas Deus revelavit et Ecclesia nobis credendas proponit?*

R. Veritates quas Deus revelavit et Ecclesia nobis credendas proponit, praecipue reperiuntur in Symbolo Apostolorum. [4]

---

[1] Matth., *XXVIII, 19, 20;* Ioan., *XIV, 26; XVI, 13; XX, 30; XXI, 25;* Act., *I, 3;* Paul., *2ª ad Tess., 11, 15;* Conc. Trid., *l. c.;* Conc. Vat., *l. c.*

[2] Matth., *XXVIII, 20;* Ioan., *XIV, 16; XVI, 13;* Conc. Vat., *Const.* Dei Filius, *cap. 4,* et *Const.* Pastor aeternus, *cap. 4;* S. Irenaeus, *Adv. haereses, III, 3, 1, 2.*

[3] Marc., *XVI, 16;* Ioan., *III, 18;* Paul., *ad Hebr., XI, 6.*

[4] Fidei veritates *praecipue* in Symbolo reperiuntur, quia aliae plures sunt veritates fidei quae extra Symbolum vel in ipso catechismo traduntur; quae vero ad fidei virtutem spectant, exponuntur *q. 515 et seq.*

Caput III.

De Symbolo Apostolorum.

Q. 30. *Curnam hic elenchus veritatum fidei appellatur* Symbolum Apostolorum?

R. Hic elenchus veritatum fidei appellatur *Symbolum Apostolorum*, quia summam praecipuarum veritatum ab Apostolis traditarum refert, et vel a primis Ecclesiae temporibus in usu fuit, tamquam tessera christianorum.

Q. 31. *Quid continent duodecim Symboli articuli?*

R. Duodecim Symboli articuli continent mysterium unius Dei in tribus realiter distinctis Personis, Patre, Filio et Spiritu Sancto, una cum actionibus, quae, praecipua quadam ratione, singulis Personis attribuuntur. [1]

Q. 32. *Quonam modo in Symbolo Apostolorum doctrina huius mysterii distribuitur?*

R. In Symbolo Apostolorum doctrina huius mysterii in tres potissimum partes ita distribuitur, ut in una, divinae naturae prima Persona et creationis opus describatur; in altera, secunda Persona et opus humanae Redemptionis; in tertia, tertia item Persona et opus nostrae sanctificationis, nunc quidem inchoatae per gratiam et in futuro consummandae per gloriam. [2]

---

[1] S. Petrus Canisius, *De fide et symbolo fidei*, *cap. I*, *n. 7;* Catechismus ad parochos, *p. I*, *c. I*, *n. 4.*

[2] Catechismus ad parochos, *l. c.:* « Ut maiores nostri qui «in hoc argumento pie et accurate versati sunt, observarunt, in «tres potissimum partes ita distributum videtur [mysterium «Ssm̃ae Trinitatis] ut in una, divinae naturae prima Persona et

SECTIO 1ª. – **De primo Symboli articulo, quo traditur doctrina de prima sanctissimae Trinitatis Persona et de opere creationis.**

Art. 1. – DE DEO UNO ET TRINO.

Q. 33. *Quid significat verbum* Credo?

R. Verbum *Credo* significat: firmiter assentior, propter auctoritatem Dei revelantis, veritatibus quae in Symbolo continentur.

Q. 34. *Quid significant verba* Credo in Deum?

R. Verba *Credo in Deum* significant: firmiter credo Deum esse, et ad illum veluti ad summum ac perfectissimum bonum et ultimum finem tendo. [1]

Q. 35. *Quid intelligis nomine* Dei?

R. Nomine *Dei* intelligo spiritum purissimum (substantiam nempe spiritualem simplicem omnino et incommutabilem) intellectu ac voluntate praeditum omnique perfectione infinitum, in se et ex se beatissimum.

Q. 36. *Quaenam sunt praecipuae Dei perfectiones seu attributa?*

R. Praecipuae Dei perfectiones seu attributa sunt quae sequuntur:

Deus est:

1º *aeternus* quia nec initium nec finem nec successionem habet aut habere potest;

«mirum creationis opus describatur; in altera, secunda Persona «et humanae Redemptionis mysterium; in tertia, tertia item Per«sona, caput et fons sanctitatis nostrae».

[1] Catechismus ad parochos, *p. I, c. II, n. 1.*

2° *omnisciens*, quia omnia perspecta habet, ea etiam quae libera creaturarum actione futura sunt ipsosque cordis affectus et secretas mentis cogitationes;

3° *immensus*, quia est in caelo, in terra et in omnibus locis;

4° *iustus*, quia reddit unicuique iuxta merita sua in hac vel certe in altera vita;

5° *bonus*, quia infinita sua bonitate, potentiâ et sapientiâ omnia creavit, conservat, disponit; bona quibus fruimur, ab ipso proveniunt et preces supplicantium benignus audit;

6° *misericors*, quia volens omnes homines salvos fieri, eos redemit a servitute daemonis, singulis largitur media necessaria ad salutem et non vult «mortem «peccatoris, sed ut convertatur et vivat». [1]

Q. 37. *Deus estne a mundo distinctus?*

R. Deus est re et essentia a mundo distinctus et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus. [2]

Q. 38. *Unusne est Deus?*

R. Deus unus est unitate naturae in tribus tamen realiter distinctis Personis, Patre, Filio et Spiritu Sancto, quae Sanctissimam Trinitatem constituunt.

---

[1] Psalm. *VII, 10; XXXVII, 10; XLIII, 22; CXXXVIII, 1-12;* Ioan., *IV, 24;* Act. *XVIII, 25;* Paul., *1ª ad Tim., I, 17;* Apoc., *I, 8; IV, 8, 11;* Conc. Later. IV, *cap. I;* Conc. Vat., *Const.* Dei Filius, *cap. I;* S. Cyrill. Hier., *Cateches. IV, 5;* De omnipotentiae attributo, cf. *Q. 44.*

[2] Act., *XVII, 24, 25;* Paul., *ad Hebr., I, 10-12;* Conc. Vat., *l. c.*

Q. 39. *Quomodo inter se distinguuntur Pater, Filius et Spiritus Sanctus?*

R. Pater, Filius et Spiritus Sanctus inter se distinguuntur per oppositas Personarum relationes, quatenus Pater generat Filium, et ab utroque procedit Spiritus Sanctus. [1]

Q. 40. *Trium divinarum Personarum estne tempore una prior aliâ?*

R. Trium divinarum Personarum non est tempore una prior aliâ, sed omnes sunt aeque aeternae, quia scilicet nec initium nec finem habent aut habere possunt.

Q. 41. *Curnam tres Personae divinae sunt unus Deus?*

R. Tres Personae divinae sunt unus Deus, quia sunt consubstantiales, idest unam eandemque numero habent naturam divinam, et ideo easdem perfectiones seu attributa et opera ad extra. [2]

---

[1] Conc. Later. IV, *cap. 2;* Conc. Lugdun. II, *De proc. Spiritus Sancti;* Conc. Flor., *Decret. pro Graecis;* S. Aug., *De Trin., I, 7;* S. Epiphanius, *Ancoratus, 8;* S. Ioann. Damasc., *De fide orthodoxa, I, 12.* – Patres graeci hanc aeternam Spiritus Sancti processionem significarunt per formulam: « ex Patre per « Filium ».

[2] Conc. Later., sub S. Martino I, *can. 1;* S. Fulgentius, *De fide, 4;* S. Ephraem, *Hymnus de defunctis et Trinitate, 11-12;* S. Greg. Nazianz., *Oratio XXXIII, 16;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. IV, n. 3.* — Opera Dei ad extra sunt omnia quae a Deo extra se producuntur in ordine sive naturali sive supernaturali; et ita dicuntur, ut distinguantur ab actionibus Deo immanentibus, quibus vita intima Dei constituitur.

Q. 42. *Nonne potentiam Patri, sapientiam Filio, bonitatem Spiritui Sancto sacrae Litterae adscribere solent?*

R. Licet omnia divinitatis attributa communia sint singulis divinis Personis, nihilominus sacrae Litterae adscribere solent potentiam Patri, quia est omnis originis fons, sapientiam Filio, quia est Verbum Patris, bonitatem et sanctitatem Spiritui Sancto, quia est utriusque amor. [1]

Q. 43. *Quaenam est sanctissimae Trinitatis laus, quam fideles, praesertim in fine precum, recitare solent?*

R. Sanctissimae Trinitatis laus, quam fideles, praesertim in fine precum, recitare solent, haec est: *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.*

Q. 44. *Quid significatur per verbum* Omnipotentem?

R. Per verbum *Omnipotentem* significatur Deum, quaecumque vult, omnia, simplici suae voluntatis actu, facere posse. [2]

Art. 2. – De mundi creatione et de divina Providentia.

Q. 45. *Quid significant verba* Creatorem caeli et terrae?

R. Verba *Creatorem caeli et terrae* significant, Deum, liberrimo consilio, simul initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.

---

[1] Catechismus ad parochos, *l. c., et p. I, c. II, n. 14.*

[2] Psalm. *CXIII, 11;* Luc., *I, 37.*

Q. 46. *Curnam Deus haec omnia creare dignatus est?*

R. Deus, bonitate sua et omnipotenti virtute, haec omnia creare dignatus est, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quae creaturis impertitur. [1]

Q. 47. *Geritne Deus curam de omnibus rebus creatis?*

R. Deus gerit curam de omnibus rebus creatis, quatenus eas positive conservat, tuetur – secus statim in nihilum reciderent – ac gubernat, ita ut nihil sit aut esse possit, quod absque Dei voluntate vel permissione accidat. [2]

Q. 48. *Quomodo vocatur cura quam Deus gerit de rebus creatis?*

R. Cura quam Deus gerit de rebus creatis, vocatur *divina Providentia*. [3]

Q. 49. *Curnam igitur Deus non impedit peccatum?*

R. Deus non impedit peccatum, quia homini libertatem cum auxilio gratiae contulit, ut ipsemet auctor esset suae vel beatitatis vel perditionis, prouti gratiae vel cooperaretur vel resisteret; sed ex ipso libertatis abusu bonum mirabiliter trahit, ut semper et ubique iustitia eius et misericordia eluceant. [4]

---

[1] Gen., *I, 1;* Psalm. *CXXXIV, 6;* Paul., *ad Hebr., I, 10;* Conc. Lat. IV, *cap. I;* Conc. Vat., *Const.* Dei Filius, *cap. I;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. II, n. 20.*

[2] Sap., *XI, 26;* Matth., *VI, 30;* Luc., *XII, 6, 7;* Act., *XVII, 25;* Paul., *ad Rom., VIII, 30; ad Hebr., I, 3;* Conc. Vat., *l. c.;* Catechismus ad parochos, *l. c., n. 21, 22.*

[3] S. Ioann. Chrysost., *Contra Anomoeos, XII, 4.*

[4] S. Augustinus, *De spiritu et littera, 58.*

Q. 50. *Curnam Deus mala physica omne genus, quibus in hac mortali vita affligimur, vult aut permittit?*

R. Deus mala physica omne genus, quibus in hac mortali vita affligimur, vult aut permittit, ut peccatum puniat, vel ut peccatores ad se convertat, vel ut iustos probet aeternisque praemiis dignos efficiat, vel potioris boni intuitu.[1]

Q. 51. *Quaenam praestant inter ceteras creaturas?*

R. Inter ceteras creaturas praestant Angeli et homines.

Art. 3. – De creatione Angelorum.

Q. 52. *Quid sunt Angeli?*

R. Angeli sunt puri spiritus, intelligentia ac voluntate praediti, qui in statu iustitiae et sanctitatis fuerunt constituti, ut, gratiae Dei respondentes, gloriam sibi mererentur.[2]

Q. 53. *Responderuntne omnes Angeli gratiae Dei?*

R. Non omnes Angeli gratiae Dei responderunt; qui responderunt, in caelo fruuntur visione Dei beatifica, et vocantur simpliciter *Angeli*, in novem ordines divisi; qui non responderunt, in Infernum ob superbiae

[1] Gen., *III*, *16-19*; Tob., *II*, *12;* Iob, *II*, *6*, *7;* Ioan., *IX*, *3;* S. Ephraem, *Carmina Nisibena*, *III*, *8*, *10;* S. Thomas, *p. 1ª*, *q. 19*, *a. 9; q. 49*, *a. 2*.

[2] Matth., *XVIII*, *10;* Paul., *ad Hebr.*, *I*, *7*, *14;* S. Ioannes Damasc., *De fide orthodoxa*, *II*, *3*.

peccatum detrusi, appellantur *daemones*, quorum caput est Lucifer seu Satanas. [1]

Q. 54. *Utiturne Deus ministerio Angelorum?*

R. Multipliciter utitur Deus ministerio Angelorum praesertim in hominum cura, quibus singulis Angelum custodem ab ortu nativitatis attribuit. [2]

Q. 55. *Quid nobis praestat Angelus custos?*

R. Angelus custos nos protegit praesertim in tentationibus, bonas cogitationes inspirat, preces nostras Deo offert et pro nobis orat. [3]

Q. 56. *Expeditne ad nostram vitam spiritualem, ut peculiari pietatis cultu nostrum Angelum custodem prosequamur?*

R. Ad nostram vitam spiritualem valde expedit, ut peculiari pietatis cultu nostrum Angelum custodem prosequamur, illum venerantes et invocantes praesertim adversus tentationes, eius inspirationes sequentes, ei dignas agentes gratias, eiusque praesentiam numquam per peccatum offendentes.

Q. 57. *Quaenam est frequentior fidelium ad Angelum custodem precatio?*

R. Frequentior fidelium ad Angelum custodem precatio haec est: *Angele Dei, qui custos es mei, me, tibi com-*

---

[1] Is., *XIV, 12-15;* Iob, *IV, 18;* 2ª Petr., *II, 4;* Iuda, *6;* S. Athanasius, *De virginitate, 5;* S. Gregorius Magnus, *In Evangelia, 11, 34, 7. 8. 9.*

[2] Tob., *V, 15;* Psalm. *XC, 11;* Matth., *II, 13, 19; XVIII, 10;* Luc., *I, 26, 28;* Paul., *ad Hebr., I, 14;* S. Hieron., *lib. III Comment. in cap. XVIII S. Matthaei;* Catechismus ad parochos, *p. IV, c. IX, n. 4.*

[3] Exod., *XXIII, 20-23;* Tob., *III, 25; XII, 12, 13.*

missum pietate superna, illumina, custodi, rege et guberna. Amen.

Q. 58. *Quid daemones in homines possunt?*

R. Daemones possunt, iuste permittente Deo, homines malis afficere in rebus externis et in ipsis personis, eorum quoque corpora possidendo, et eos ad peccatum tentando incitare; non tamen possunt aeternae eorum saluti nocere sine libero eorundem consensu. [1]

Art. 4. – De creatione hominis et de originali peccato.

Q. 59. *Quid est homo?*

R. Homo est creatura, constans ex anima rationali et corpore organico. [2]

Q. 60. *Quid est anima rationalis?*

R. Anima rationalis est substantia spiritualis, intellectu et libera voluntate praedita, et immortalis, quae ita corpori substantialiter unitur, ut sit in homine omnis vitae principium. [3]

Q. 61. *Ad quem finem homo a Deo creatus est?*

R. Homo a Deo creatus est, ut eum cognosceret, amaret eique serviret, atque ita post mortem ipso, per beatificam visionem possesso, in aeternum frueretur in Paradiso. [4]

Q. 62. *In quonam consistit beatifica Dei visio?*

R. Beatifica Dei visio consistit in visione divinae

---

[1] Iob, *I, 12; II, 6;* Luc., *XXII, 3, 31;* Ioan., *XIII, 27;* 1ª Petr., *V, 8;* S. Irenaeus, *Adv. haereses, V, 24, 3 et 4.*

[2] Gen., *II, 7.*

[3] Conc. Later. V, *sess. VIII;* Pius IX, *Epist. ad Ep. Wratislav., 30 apr. 1860;* S. Ioann. Damasc., *De fide orthodoxa, II, 12.*

[4] Deut., *VI, 13;* Ioan., *XVII, 3;* 1ª Ioan., *III, 2.*

essentiae, immediate, nude, clare et aperte se ostendentis, ad quam anima nonnisi per lumen gloriae pertingere potest; et ex tali visione et fruitione homo veram, plenam et numquam defecturam felicitatem assequitur, idest vitam aeternam. [1]

Q. 63. *Beatifica Dei visio estne naturae debita?*

R. Beatifica Dei visio non est naturae debita, sed est supernaturalis, naturam quamlibet creatam prorsus excedens, sola divina bonitate creaturae rationali libere concessa. [2]

Q. 64. *Quinam fuerunt generis humani protoparentes?*

R. Generis humani protoparentes fuerunt Adam et Heva, quos Deus formavit et posuit in paradiso terrestri, ipsos elevans ad ordinem supernaturalem et singularibus gratiae et naturae donis cumulans. [3]

---

[1] Benedict. XII, *Const.* Benedictus Deus, *29 iun. 1336;* S. Ioann. Damasc., *De fide orthodoxa, IV, 27;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. XIII, n. 7 et seq.*

[2] Perfecta felicitas, ad quam omnes homines naturaliter tendunt, tantummodo in altera vita haberi potest in Dei possessione per perfectam cognitionem intellectus et consequentem amorem voluntatis, secundum illud S. Augustini, *Conf., l. I, c. 1, n. 1:* « Fecisti nos [Domine] ad te et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ». Deus autem, pro infinita sua bonitate, homines elevare dignatus est ad perfectam felicitatem supernaturalem, quae habetur in possessione Dei, ipsum videndo ut est in se, in quo nostra vita aeterna consistit. Paul., *1ª ad Cor., II, 9, 10;* S. Pius V, *Const.* Ex omnibus afflictionibus, *1 oct. 1567, contra errores Baii;* Clem. XI, *Const.* Unigenitus, *contra errores Quesnel, 8 sept. 1713, prop. 35;* Pius VI, *Const.* Auctorem fidei, *28 aug. 1794, prop. 16.*

[3] Gen., *II, 7 et seq.* – Homini, ad imaginem et similitudinem suam condito, subiecit Deus animalia terrae, quibus, itemque herbis ac frugibus, uteretur ad sui ipsius bonum. Quare

Q. 65. *Quomodo Deus protoparentes generis humani formavit?*

R. Deus corpus Adae formavit ex limo terrae, corpus Hevae ex costa Adae; animam vero utriusque ex nihilo creavit, eamque corpori, mirabili unione substantiali, coniunxit. [1]

Q. 66. *Quonam sensu in sacris Litteris dicitur Deus hominem fecisse* ad imaginem et similitudinem suam?

R. In sacris Litteris dicitur Deus hominem fecisse *ad imaginem et similitudinem suam*, quia hominem fecit intellectu et libera voluntate praeditum, quibus ipse naturam Dei speciali modo imitatur, ipsum simul elevans ad ordinem supernaturalem. [2]

Q. 67. *Quaenam est in ordine naturali differentia inter creationem protoparentum et originem posterorum qui ab ipsis naturali generatione descendunt?*

R. In ordine naturali sola differentia est in formatione corporis, quod generatione formatur, dum etiam anima uniuscuiusque ex Adami posteris a Deo immediate creatur et corpori substantialiter unitur.

---

animalibus, o christiane, noli abuti, verum recte utere; si temere nullaque ratione vexares in eaque saevires, faceres contra eam animi mansuetudinem, quae quidem cuique, maxime autem homini christiano, convenit.

[1] Gen., *l. c.;* S. Ioann. Chrys., *In Gen., XIII, 1.*

[2] Gen., *I, 26, 27;* Sap., *II, 23;* Psalm. *VIII, 5-8;* S. Ephraem, *In Genesim, cap. 2;* S. Basilius, *Sermo asceticus*, 1; S. Aug., *Enarr. in Psalm. 49, 2;* S. Thomas, *p. 1ª, q. 93.* – *Dei imago* et *similitudo* magis magisque perficitur ex addita gratia sanctificante, qua homo fit divinae consors naturae, templum Spiritus Sancti, amicus Dei eiusque filius adoptivus, heres caelestis gloriae (*q. 280*).

Q. 68. *Quaenam fuerunt dona, quibus Deus protoparentes cumulavit in paradiso terrestri?*

R. Dona quibus Deus protoparentes cumulavit in paradiso terrestri, haec fuerunt:

1° eos formavit perfectos corpore et animâ, cum scientia eorum statui congruente; [1]

2° eosdem ad finem supernaturalem ordinavit, eis conferens iustitiam et sanctitatem, idest gratiam sanctificantem, cum dono integritatis naturae, qua vires inferiores rationi perfecte subiciebantur, et dono immunitatis a morte aliisque vitae doloribus ac miseriis. [2]

Q. 69. *Quo consilio Deus iustitiam et sanctitatem aliaque dona protoparentibus contulit?*

R. Deus iustitiam et sanctitatem aliaque dona protoparentibus eo consilio contulit, ut ea collata vellet ipsi naturae humanae, tamquam donum toti naturae divinitus collatum, quod Adam, stipes humani generis, in posteros per generationem, una cum eadem natura, transmitteret. [3]

Q. 70. *Protoparentibus, in ordine supernaturali constitutis, quid Deus interdixit?*

R. Protoparentibus, in ordine supernaturali constitutis, Deus interdixit ne comederent de fructu ligni scientiae boni et mali. [4]

Q. 71. *Protoparentes servaveruntne Dei interdictum?*

R. Protoparentes Dei interdictum non servaverunt, atque ideo ob grave peccatum superbiae et inobedien-

---

[1] Eccli., *XVII, 1-12.*

[2] Gen., *I, 28; II, 17, 25; III, 3, 7, 19;* Sap., *I, 13; II, 23;* Eccli., *XXV, 33;* Paul., *ad Rom., V, 12-19; 1ª ad Cor., XV, 45-49.*

[3] S. Thomas, *1ª 2ªe, q. 81, a. 2.*

[4] Gen., *II, 17; III, 3.*

tiae amiserunt iustitiam et sanctitatem, et expulsi e terrestri paradiso, obnoxii fuerunt concupiscentiae et morti aliisque vitae doloribus ac miseriis.[1]

Q. 72. *Adam sua praevaricatione nocuitne etiam suis posteris?*

R. Adam sua praevaricatione nocuit etiam suis posteris, quia in eos transmisit non tantum concupiscentiam, mortem aliasque peccati poenas, sed ipsum quoque peccatum, idest privationem iustitiae et sanctitatis.

Q. 73. *Quonam modo Adam in posteros peccatum transmisit?*

R. Adam in posteros peccatum transmisit, quatenus in eos naturam transmisit privatam iustitia et sanctitate, quam Deus eidem collatam voluit, et haec privatio est naturae peccatum habituale, origine unum in Adamo, propagatione diffusum.

Q. 74. *Quomodo appellatur hoc peccatum in posteros transmissum?*

R. Hoc peccatum in posteros transmissum appellatur *peccatum originale*[2]

---

[1] Gen., *II, 17; III, 1-24;* Paul., *ad Rom., V, 19.*

[2] Iob, *XIV, 4* Psalm. *L, 6;* Ioan., *III, 5;* Paul., *1ª ad Tim. II, 6; ad Rom., V, 12-14, 18-19;* Conc. Carthag. (a. 418), *can. 2;* Conc. Arausic. II, *can. 1, 2;* Conc. Flor., *Decret. pro Iacobitis;* Conc. Trid., *sess. V, De peccato originali;* Pius IX, *Alloc.* Singulari quadam, *9 dec. 1854;* S. Cyrillus Alexandrinus, *In Epist. ad Rom., V, 18.* – Quae praecedunt, poterunt, si id opportunum videatur, ita declarari. Primus homo institutus est in statu perfecto, non solum quantum ad corpus ut posset alios statim generare, sed etiam quantum ad animam ut statim posset alios instruere et gubernare cum scientia ordinis naturalis ad id necessaria. Haec scientia data fuit utrique protoparenti, sed praesertim Adae, ad quem

Q. 75. *Fuitne aliquis immunis praeservatus ab originalis culpae labe?*

R. Una beata Maria Virgo, a primo instanti suae conceptionis, intuitu meritorum Iesu Christi, fuit, sin-

praecipue pertinebat alios instruere et gubernare, nec erat transitura in filios in statu innocentiae natos, qui tamen scientiam sibi convenientem, processu temporis, absque difficultate acquisivissent inveniendo vel addiscendo (S. Thomas, *p. 1ª, q. 94, a. 3*, et *q. 101, a. 1, 2*). – Deus, ordinans protoparentes ad statum supernaturalem, eisdem revelavit veritates quae ad ipsum statum referebantur, quasque Adam ad posteros transmittere debebat, et simul eis contulit iustitiam et sanctitatem cum ceteris donis. – Adam sua praevaricatione haec omnia amisit et sibi et posteris, sed nec scientiam ordinis naturalis amisit, nec veritatum revelatarum notitiam. Amissio autem iustitiae et sanctitatis, et nominatim integritatis naturae, initium fuit illius luctae inter vires inferiores et rationem, de qua S. Paul., *ad Gal., V, 17:* « Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, haec enim sibi invicem adversantur ». Atque ita ex culpa primi parentis inflictum est grave et acerbum vulnus humanae naturae, quippe quod et obfusae tenebrae menti, et prona effecta ad malum voluntas (Pius IX, *l. c.;* S. Thomas, *1ª 2ªe, q. 85, a. 3 et 5*). – Cum, pro sua infinita misericordia, Deus Redemptorem generis humani promisisset, protoparentes eorumque posteri plures, propter fidem in ipsum eiusque merita cum divina gratia, dum adhuc viverent, liberati fuerunt ab omni peccato tum originali tum actuali, et a reatu poenae actualium peccatorum, non tamen a reatu poenae peccati originalis, per quem excludebantur a gloria, nondum soluto pretio redemptionis (S. Thomas, *p. 3ª, q. 52, a. 5, ad 2um*). At ex posteris plerique notitiam veritatum de fide et moribus aut funditus amiserunt, aut substantialiter corruptam habuerunt. – Ex his apparet quam procul sit a veritate quod quidam contendunt, primum hominem fuisse in agresti immanitate conditum, vel e simia prognatum,

gulari Dei privilegio, immunis praeservata ab originalis culpae labe, et ideo dicitur *immaculate concepta.* [1]

Q. 76. *Quid ergo significat immaculata conceptio beatae Mariae Virginis?*

R. Immaculata conceptio beatae Mariae Virginis significat, a primo instanti suae conceptionis beatam Virginem Mariam habuisse iustitiam et sanctitatem seu gratiam sanctificantem, imo plenitudinem gratiae, cum virtutibus infusis donisque Spiritus Sancti, et naturae integritatem, licet obnoxia fuerit morti aliisque vitae doloribus ac miseriis, quibus ipse eius Filius subiacere voluit.

Q. 77. *Quid tenet Ecclesia de transitu beatae Mariae Virginis?*

R. Ecclesia de transitu beatae Mariae Virginis tenet eius corpus ab anima fuisse seiunctum, qua in re mors consistit; sed, animâ rursus corpori incorrupto coniunctâ, beatam Mariam Virginem, ministerio Angelorum, assumptam fuisse in caelum et super omnes Angelorum choros exaltatam.

Q. 78. *Dereliquitne Deus humanum genus in statu peccati originalis?*

R. Non dereliquit Deus humanum genus in statu peccati originalis, sed infinita misericordia motus, illico

---

ac successiva quadam evolutione perfectum: quae omnia, quisquis est catholicae fidei lumine illustratus, reiciet. Feritas illa et immanitas, in qua diu versata est hodieque versatur magna hominum pars, nihil est aliud, nisi primigeniae conditionis ob peccatum corruptio.

[1] Gen., *III, 15;* Luc., *I, 28;* Conc. Trid., *sess. V, in fine;* Sixtus IV, *Const.* Cum praeexcelsa, *28 febr. 1476;* Pius IX, *Const.* Ineffabilis Deus, *8 dec. 1854;* S. Ephraem, *Carmina Nisibena, XXVII, 8;* S. Aug., *De nat. et gratia, 42.*

promisit et suo tempore concessit Redemptorem, qui est Iesus Christus, Filius Dei, homo factus, ut per fidem in eum et eius merita, homines, fide et caritate ipsi coniuncti, etiam ante eius adventum, possent salvari. [1]

Sectio 2ª. – De aliis sex Symboli articulis, quibus traditur doctrina de secunda Persona sanctissimae Trinitatis et de opere Redemptionis.

Art. 1. – De Iesu Christo eiusque divinitate.

Q. 79. *Quid credimus per secundum Symboli articulum:* Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum?

R. Per secundum Symboli articulum: *Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum*, credimus Filium Dei, qui, factus homo, vocatur Iesus Christus, esse unicum Patris Filium, Dominum nostrum, verum Deum de Deo vero, in quem nos, sicut in Patrem, credimus. [2]

Q. 80. *Curnam credimus* in Iesum Christum *sicut* in Deum Patrem?

R. Credimus *in Iesum Christum* sicut *in Deum Patrem*, quia Iesus Christus est verus Deus sicut Pater, unus Deus cum Patre. [3]

Q. 81. *Quomodo evincitur Iesum Christum esse Messiam seu Redemptorem generis humani, a Deo in veteri Testamento promissum?*

R. Iesum Christum esse Messiam seu Redempto-

[1] Gen., *III, 15;* Matth., *IX, 13;* Paul., *1ª ad Tim., I, 15.*

[2] Ioan., *I, 1, 14, 18;* Paul., *ad Ephes, I, 20-23; ad Coloss., I, 13-20; 1ª ad Tim., VI, 15, 16.*

[3] Ioan., *I, 1; X, 30.*

rem generis humani, a Deo in veteri Testamento promissum, evincitur praecipue ex prophetiis, quae de Redemptore prolatae in Iesu Christo adamussim sunt adimpletae, atque ex testimonio ipsius Iesu Christi. [1]

Q. 82. *Quaenam sunt praecipua argumenta, quae nos movent ad divinitatem Iesu Christi admittendam?*

R. Praecipua argumenta, quae nos movent ad divinitatem Iesu Christi admittendam, sunt:

1° constans Ecclesiae catholicae magisterium;

2° prophetiae veteris Testamenti, quibus promissus Redemptor ut verus Deus portenditur; [2]

3° testimonium Dei Patris dicentis: « Hic est « Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, « ipsum audite »; [3]

4° testimonium ipsius Iesu Christi, vitae eius sanctitate, prophetiis ac miraculis, maxime miraculo resurrectionis, comprobatum; [4]

---

[1] Prophetae praedixerant Messiam esse *nasciturum in oppido Bethlehem* (Mich., *V*, *2*), *a virgine* (Is., *VII*, *14*), *e stirpe David* (Is., *XI*, *1*); *futurum doctorem magnum* (Is., *LXI*, *1*); *miracula patraturum* (Is., *XXXV*, *5-6*); *atrocissima quaeque passurum* (Is., *L*, *6; LIII*, *1-12;* Psalm. *LXVIII*, *22*); *moriturum* (Psalm. *XXI*, *1 et seq.*); *resurrecturum* (Psalm. *XV*, *10*); *ascensurum in caelum* (Psalm. *CIX*, *1;* Act., *II*, *24*). – Haec aliaque multa Prophetae de Messia praedixerant, quae in Iesu Christo perfecte impleta sunt. Accedunt testimonia ipsius Iesu Christi: ex. gr., Matth., *XI*, *3-6; XVI*, *13-19; XXVI*, *63*, *64;* Marc., *VIII*, *27-29; XIV*, *61*, *62;* Luc., *VII*, *20*, *23; IX*, *18-20; XXIV*, *26;* Ioan., *IV*, *25*, *26; XI*, *25; XIV*, *9*, *10; XVI*, *15*.

[2] Psalm. *II*, *7; XLIV*, *7; CIX*, *3;* Is., *IX*, *6*, *7; XL*, *3-11*.

[3] Matth., *III*, *17; XVII*, *5;* Marc., *I*, *11*.

[4] Matth., *XI*, *25-27; XVI*, *13-19; XXVI*, *63-65;* Luc., *XXII*, *66-71;* Ioan., *V*, *18*, *19*, *23; X*, *30*.

5° Apostolorum doctrina, miraculis confirmata; [1]

6° tot Martyrum confessio;

7° mirabilis Ecclesiae Christi propagatio et conservatio.

Q. 83. *Cur Filius Dei, factus homo, vocatus est* Iesus?

R. Filius Dei, factus homo, ex ipsa Dei voluntate vocatus est *Iesus* seu *Salvator*, quia per suam passionem et mortem a peccato et ab aeterna damnatione salvos nos fecit. [2]

Q. 84. *Cur Iesus dicitur etiam* Christus?

R. Iesus dicitur etiam graece *Christus*, hebraice *Messias*, quod est latine *Unctus*, eo quod olim reges, sacerdotes et prophetae ungebantur, et Iesus est rex, sacerdos et propheta. [3]

Q. 85. *Cur Iesus Christus dicitur* Dominus noster?

R. Iesus Christus dicitur *Dominus noster*, quia ipse, uti Deus, est creator et conservator omnium creaturarum, omnimodam in eas potestatem obtinens; uti Deus-homo, est Redemptor omnium hominum; unde merito et praedicatur et colitur: «Rex regum et Dominus dominantium». [4]

---

[1] Ioan., *XX, 31; 1ª* Ioan., *IV, 15; V, 20;* Paul., *ad Rom., IX, 5; ad Philipp., II, 6-7; ad Hebr., I, 2.*

[2] Matth., *I, 21;* Paul., *ad Philipp., II, 8-11;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. III, n. 6.*

[3] Exod., *XXX, 30; 1°* Reg., *IX, 16; XVI, 3; 3°* Reg., *XIX, 16;* Act., *X, 38;* Paul., *ad Hebr., I, 9;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. III, n. 7.*

[4] Matth., *XXV, 34; XXVIII, 18;* Ioan., *XVIII, 37;* Paul., *ad Philipp., II, 6-11; ad Coloss., I, 12-20; 1ª ad Tim., VI, 15;* Apoc., *I, 5; XIX, 16;* Pius XI, *Encycl.* Quas primas, *11 dec. 1925;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. III, n. 11.*

Q. 86. *Curnam secunda Persona sanctissimae Trinitatis appellatur* Verbum Patris*?*

R. Secunda Persona sanctissimae Trinitatis appellatur *Verbum Patris*, quia a Patre procedit secundum actum intellectus, ut conceptus mentis, sicuti etiam in nobis interior mentis conceptus *verbum* dicitur. [1]

Art. 2. – De Filii Dei incarnatione et nativitate.

Q. 87. *Quid credimus per tertium Symboli articulum:* Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine ?

R. Per tertium Symboli articulum: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*, credimus Dei Filium, super omnem naturae ordinem, Spiritus Sancti virtute, humanam naturam, corpus scilicet et animam, in sinu purissimo beatae Mariae Virginis sumpsisse, ab eaque natum esse. [2]

Q. 88. *Quomodo vocatur mysterium quo Dei Filius factus est homo?*

R. Mysterium quo Dei Filius factus est homo, vocatur *divina Verbi incarnatio.*

Q. 89. *Filius Dei, factus homo, desiitne esse Deus?*

R. Filius Dei, factus homo, non desiit esse Deus, sed permanens verus Deus, coepit esse etiam verus homo. [3]

---

[1] Ioan., *I, 1 et seq.; 1ª Ioan., I, 1; Apoc., XIX 13;* S. Thomas, *p. 1ª, q. 34, a. 1, 2.*

[2] Matth., *I, 20, 21;* Luc., *I, 31, 35.* – Iesus Christus, verus Deus et verus homo, nasci voluit in Bethlehem Iuda; et quia non erat ei locus in diversorio, a beata Maria Virgine in praesepe animalium repositus fuit, ut suo exemplo usque ab incunabulis homines doceret humilitatem, et fugam honorum ac voluptatum huius mundi.

[3] S. Ephraem, *In Hebdom. sanctam, VI*, 9.

Q. 90. *Quot Naturae et quot Personae sunt in Iesu Christo?*

R. In Iesu Christo duae sunt Naturae, divina et humana, sed una Persona, idest Persona Filii Dei. [1]

Q. 91. *Curnam Dei Filius humanam naturam assumere dignatus est?*

R. Dei Filius humanam naturam assumere dignatus est «propter nos homines et propter nostram salu«tem», ut scilicet Deo condignam pro peccatis satisfactionem praeberet, homines praedicatione et exemplis viam salutis doceret, eosque sua passione ac morte a servitute peccati redimeret, in Dei gratiam revocaret et ita in Paradisi gloriam restitueret. [2]

Q. 92. *Ad condignam pro peccatis satisfactionem necessariane fuit Verbi incarnatio?*

R. Ad condignam pro peccatis satisfactionem neces-

[1] Conc. Chalcedon., *Definitio de duabus naturis Christi;* Conc. Constantinop. III, *De duabus volunt. Christi;* Conc. Later. IV, *cap. I;* S. Leo IX, *Symbolum fidei.* « Nam, ait *Sym«bolum Athanasianum*, sicut anima rationalis et caro unus est «homo, ita Deus et homo unus est Christus».

[2] Redemptor generis humani Iesus Christus, merito passionis et mortis suae, voluit quidem iustitiam et sanctitatem, in qua primus homo fuit constitutus, restitui, minime vero naturae integritatem. Hinc per Baptismum deletur quidquid rationem peccati habet, sed fomes remanet concupiscentiae, quia haec, cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus, non valet, imo qui legitime certaverit, coronabitur (Conc. Trid., *sess. V*). Item, per Redemptionem haud est reddita humanae naturae immunitas mortis aliorumque vitae dolorum, quibus et divinus ipse Redemptor subiectus esse voluit, et ipsa eius sanctissima Mater fuit obnoxia. S. Epiphan., *Ancoratus*, 93.

saria fuit Verbi incarnatio, quia ex parte purae creaturae condigna seu adaequata pro peccatis satisfactio haberi non poterat.

Q. 93. *Curnam ex parte purae creaturae condigna seu adaequata pro peccatis satisfactio haberi non poterat?*

R. Ex parte purae creaturae condigna seu adaequata pro peccatis satisfactio haberi non poterat, quia peccatum mortale est gravitatis aliquo sensu infinitae propter infinitam Dei maiestatem quae offenditur. [1]

Q. 94. *Curnam opus incarnationis Spiritui Sancto adscribitur?*

R. Licet unus Dei Filius humanam naturam assumpserit, et opus incarnationis, sicut omnia opera ad extra, sit totius Trinitatis, tamen opus incarnationis Spiritui Sancto, speciali quadam ratione, adscribitur, quia Spiritus Sanctus est Patris et Filii caritas, et opus incarnationis singularem atque immensam Dei erga nos caritatem ostendit. [2]

Q. 95. *Beata Maria Virgo estne vera mater Dei?*

R. Beata Maria Virgo est vera mater Dei, quia concepit et peperit, secundum humanam naturam, Iesum

---

[1] S. Thomas, *p. 3ª, q. 1, a. 2, ad 2um*: « Peccatum contra « Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate « divinae maiestatis; tanto enim offensa est gravior, quanto maior « est ille in quem delinquitur: unde oportuit ad condignam « satisfactionem ut actus satisfacientis haberet efficaciam infi- « nitam ... ».

[2] Paul., *1ª ad Tim., III, 16;* Leo XIII, *Encycl.* Divinum illud munus, *9 maii 1897;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. IV, n. 3.*

Christum Dominum nostrum, qui est verus Deus et verus homo. [1]

Q. 96. *S. Ioseph, fuitne pater Iesu Christi?*

R. S. Ioseph non fuit generatione pater Iesu Christi; sed sic appellatur quia, verus sponsus beatae Mariae Virginis, erga eum iura et officia quae patris sunt exercuit, cum esset caput illius societatis coniugalis, quae ad Christum suscipiendum, defendendum et nutriendum fuit directe ordinata. [2]

---

[1] Luc., *I, 31, 35; II, 7;* Conc. Ephes., *Anathematismi Cyrilli, can. 1;* Conc. Constantinop. II, *Tria capitula, can. 6;* Conc. Constantinop. III, *Definitio de duabus voluntat. Christi;* S. Gregorius Nazianz., *Epist. 101;* S. Ioann. Damascenus, *Oratio prima, de Virg. Mariae nativitate.* – Mysteria divinae incarnationis Iesu Christi et divinae maternitatis beatae Mariae Virginis ita breviter exponit Catechismus ad parochos, *p. I, c. IV, n. 4:* Simul atque beata Maria Virgo, Angeli verbis assentiens, dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* statim, idest in ipso primo illo instanti, ex purissimo beatae Mariae Virginis sinu sanctissimum Christi corpus, virtute Spiritus Sancti, formatum fuit, anima humana (ex nihilo creata) corpori coniuncta, et divinitas cum corpore et anima copulata. Ex quo factum est, ut eodem temporis puncto perfectus Deus et perfectus homo esset, et beata Maria Virgo vere et proprie mater Dei et hominis diceretur, quod eodem momento hominem concepisset, qui Deus erat.

[2] Luc., *III, 23.* – *Ite ad Ioseph,* dicit Ecclesia fidelibus qui gratiis egent, ut dicebat olim Pharao esurientibus Aegyptiis, cum eos ad priscum illum Ioseph remitteret. Nec est dubitandum, quin sanctissimus Patriarcha cultorum suorum preces propitius semper excipiat, at potissimum in eorum mortis hora; nec fieri potest, ut quidquam illi deneget aut beatissima Virgo, cuius sponsus fuit amantissimus, aut Iesus Christus, cuius fuit custos fidelis ac providus. Leo XIII, *Encycl.* Quamquam pluries, *10 aug. 1885.*

Q. 97. *Fuitne beata Maria semper virgo?*

R. Beata Maria fuit semper virgo, et in ea, miro prorsus ac singulari modo, divinae maternitati perpetua virginitas coniuncta fuit. [1]

Art. 3. – De opere redemptionis generis humani.

Q. 98. *Quid credimus per quartum Symboli articulum:* Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus?

R. Per quartum Symboli articulum: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus*, credimus Iesum Christum, ut genus humanum suo pretioso sanguine redimeret, sub Pontio Pilato, Iudaeae Procuratore, passum esse, cruci affixum in eaque mortuum, inde depositum et sepultum.

Q. 99. *In quo consistit opus redemptionis a Iesu Christo patratum?*

R. Opus redemptionis a Iesu Christo patratum in hoc consistit, quod ipse « propter nimiam caritatem « qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno cru- « cis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo « Patri satisfecit » (Conc. Trid., *sess. VI, c.* 7).

Q. 100. *Iesus Christus passusne et mortuus est ut Deus, an ut homo?*

R. Iesus Christus passus et mortuus est ut homo, quia ut Deus nec pati nec mori poterat, sed ipsa eius

[1] Is., *VII, 14;* Matth., *I, 23;* Luc., *I, 27;* S. Leo M., *Epist. ad Flavianum, Constantinop. Episcopum;* S. Ephraem, *Oratio ad SS. Dei Matrem;* Didymus Alex., *De Trinitate, III, 4;* S. Epiphan., *Adv. haereses, haer. 78, 6;* S. Hieronymus, *Adv. Helvidium, 19.*

incarnatio et quaelibet pro nobis passio, vel minima, ex divina Persona infiniti pretii fuit.[1]

Q. 101. *Cur igitur Iesus Christus tam acerbam et tam probrosam passionem ac mortem subire voluit?*

R. Iesus Christus tam acerbam et tam probrosam passionem ac mortem subire voluit, ut divinae iustitiae cumulate satisfaceret, apertius amorem suum nobis ostenderet, maius peccati odium in nobis excitaret et virtutem nobis adderet ad sustinendas vitae aerumnas ac asperitates.

Q. 102. *Pro quibusnam Iesus Christus passus et mortuus est?*

R. Iesus Christus passus et mortuus est pro omnibus omnino hominibus.[2]

Q. 103. *Omnes igitur homines salvantur?*

R. Non omnes homines salvantur, sed ii dumtaxat

[1] S. Athanasius, *Epist. ad Epictetum*, 6. – Catechismus ad parochos, *p. I*, *c. IV*, *n. 6*, haec opportune addit: « Moritur homo « cum anima separatur a corpore; quare, quum Iesum mortuum « esse dicimus, id significamus eius animam a corpore divisam « esse; neque tamen concedimus divinitatem seiunctam a corpore, « quin potius constanter credimus et confitemur, anima eius a « corpore divisa, divinitatem tum corpori in sepulcro, tum ani- « mae apud inferos, coniunctam semper fuisse ».

[2] Is., *LIII*, *4-6;* Paul., *2ª ad Cor.*, *V*, *15;* *1ª ad Tim.*, *II*, *6;* *IV*, *10;* Innocentius X, *31 maii 1653*, *Contra prop. Jansenii*, *n. 5;* S. Ambrosius, *Epist. XLI*, *7*. – Tam praecellentis amoris argumentum numquam de hominum memoria excidere debet; toto Eum corde amare debemus, qui non invitus et coactus, sed nostri amore impulsus amarissimam mortem subiit. « Si amare « pigebat, ait S. Augustinus, *De catechiz. rudibus*, *7*, saltem nunc « redamare non pigeat; nulla est enim maior ad amorem invi- « tatio, quam praevenire amando, et nimis durus est animus qui « dilectionem, si nolebat impendere, nolit rependere ».

qui media adhibent ab eodem Redemptore constituta ad meritum passionis et mortis eius communicandum. [1]

Q. 104. *Iesus Christus, in cruce moriens, obtulitne seipsum Deo in verum et proprium sacrificium?*

R. Iesus Christus, in cruce moriens, seipsum obtulit Deo in verum et proprium sacrificium infiniti pretii ad redemptionem hominum, pro ipsis divinae iustitiae satisfactionem valoris infiniti exhibens. [2]

Q. 105. *Quid credimus per verba quinti articuli Symboli:* Descendit ad inferos?

R. Per verba quinti articuli Symboli: *Descendit ad inferos*, credimus animam Iesu Christi, a corpore separatam, sed cum divinitate semper coniunctam, descendisse ad inferos. [3]

Q. 106. *Quid hic intelligitur, cum dicitur:* Ad inferos?

R. Hic, cum dicitur: *Ad inferos*, intelligitur non *Infernus* nec *Purgatorium*, sed *Limbus* sanctorum Patrum, ubi animae iustorum promissam et optatissimam redemptionem exspectabant sine ullo doloris sensu. [4]

Q. 107. *Cur Iesus Christus ad Limbum descendit?*

R. Iesus Christus ad Limbum descendit ut, peractam redemptionem annuntians, immensa laetitia animas

---

[1] Conc. Trid., *sess. VI, cap. 3.* – Haec media enumerata habes *q. 178.*

[2] Paul., *ad Hebr., IX, 11-28;* Conc. Trid., *l. c., cap. 7;* Leo XIII, *Encycl.* Tametsi futura, *1 nov. 1900;* S. Ignatius Martyr, *Epist. ad Smyrnaeos, 2;* S. Ioannes Chrys., *In Epist. ad Hebr., XVII, 2;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. V, n. 9.*

[3] *1ª* Petr., *III, 19;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. VI, n. 2 et seqq.*

[4] S. Cyrillus Hier., *Catechesis IV, 11.*

iustorum impleret, quibus etiam beatificam Dei visionem impertivit, eas postea in caelum secum ducturus. [1]

Q. 108. *Quid credimus per alia verba quinti articuli Symboli:* Tertia die resurrexit a mortuis?

R. Per alia verba quinti articuli Symboli: *Tertia die resurrexit a mortuis*, credimus Iesum Christum, tertia die postquam mortuus fuerat, propria virtute, sicut praedixerat, animam suam cum corpore iterum coniunxisse, atque ita immortalem et gloriosum revixisse. [2]

Q. 109. *Quamdiu et curnam Iesus Christus post resurrectionem in terris permansit?*

R. Iesus Christus post resurrectionem per quadraginta dies in terris permansit, ut in suae resurrectionis fide firmaret Apostolos, atque divinam suam praedicationem et Ecclesiae institutionem compleret. [3]

Art. 4. – De Iesu Christi in caelum ascensu, eiusdemque in fine mundi reditu ad universale iudicium.

Q. 110. *Quid credimus per verba sexti Symboli articuli:* Ascendit ad caelos?

R. Per verba sexti Symboli articuli: *Ascendit ad caelos*, credimus Iesum Christum, perfecto iam et absoluto redemptionis opere, quadragesimo die post resurrectionem, cum anima et corpore ad caelos, virtute propria, ascendisse. [4]

---

[1] Catechismus ad parochos, *l. c.*, *n. 6.* – Limbus sanctorum Patrum, peracta redemptione, cessavit.

[2] Catechismus ad parochos, *p. I*, *c. VI*, *n. 8.*

[3] Act., *I*, *3.*

[4] Conc. Later. IV, *cap. I;* S. Leo IX, *Symbolum fidei;* S. Leo Magnus, *Sermones 73 et 74, de Ascensione Domini;* S. Irenaeus, *Adv. haereses*, *I*, *10*, *1.*

Q. 111. *Quid significant alia verba eiusdem articuli:* Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis?

R. Alia verba eiusdem articuli: *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*, significant perpetuam Redemptoris gloriam in caelis, ubi Iesus Christus, uti Deus, est aequalis Patri, et, uti homo, est in excellenti possessione divinorum bonorum prae ceteris creaturis. [1]

Q. 112. *Quid credimus per septimum Symboli articulum:* Inde venturus est iudicare vivos et mortuos?

R. Per septimum Symboli articulum: *Inde venturus est iudicare vivos et mortuos*, credimus Iesum Christum in fine mundi e caelo venturum esse cum Angelis suis, ut iudicet omnes homines, sive quos iudicii dies adhuc vivos, sive quos antea mortuos inveniet, « et tunc reddet « unicuique secundum opera eius ». [2]

Q. 113. *In universali iudicio quaenam erit sententia?*

R. In universali iudicio sententia in electos erit: « Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis « regnum a constitutione mundi »; in reprobos autem:

---

[1] Dan., *VII, 13, 14;* Marc., *XVI, 19;* Ioan., *V, 27;* Paul., *ad Rom., VIII, 34; ad Hebr., VIII, 1;* S. Gregorius Nazianz., *Oratio 45;* S. Thomas, *p. 3, q. 58, a. 4.* – Catechismus ad parochos, *p. I, c. VII, n. 3:* « *Sedere* hoc loco non situm et « figuram corporis significat, sed eam regiae summaeque potestatis ac gloriae firmam et stabilem possessionem, quam [Iesus « Christus] a Patre accepit, declarat ».

[2] Matth., *XVI, 27; XXIV, 30; XXV, 31-46;* Act., *X, 42;* Paul., *ad Hebr., IX, 28;* Conc. Later. IV, S. Leo IX et Benedict. XII, *l. c.;* S. Ioann. Chrysost., *In Epist. 1ª ad Corinth., XLII, 3;* S. Petrus Canisius, *De fide et symbolo, n. 15;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. XII, n. 8.*

« Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui « paratus est diabolo et angelis eius ». [1]

Q. 114. *Praeter universale iudicium in fine mundi, eritne aliud iudicium?*

R. Praeter universale iudicium in fine mundi, statim post mortem erit iudicium particulare pro unoquoque nostrum. [2]

Q. 115. *Quo consilio Deus voluit iudicium universale post particulare?*

R. Deus voluit iudicium universale post particulare ad gloriam sui ipsius, Christi et electorum, ad confusionem reproborum, et ut homo in anima et in corpore praemii aut poenae sententiam coram omnibus reciperet. [3]

---

[1] Matth., *XXV*, *34*, *41*. – S. Bonav., *Soliloq.*, *III*, *5:* « O « anima, numquam excidat a tua memoria: *Ite*, *maledicti*, *in* « *ignem aeternum; venite*, *benedicti*, *percipite regnum*. O quid po- « test lamentabilius et terribilius cogitari, quam: *ite?* Quid de- « lectabilius exprimi, quam: *venite?* Duae voces, quarum una « nihil horribilius, et altera nihil iucundius potest audiri ».

[2] Paul., *ad Hebr.*, *IX*, *27*. – Catechista moneat de iudicio particulari aliisque *Novissimis* agi *q. 580 et seq.*

[3] Sap., *V*, *1 et seqq.;* Matth., *XXV*, *31-46;* Catechismus ad parochos, *p. I*, *c. VIII*, *n. 4*. – Deus quidem infinite iustus est, sed suum cuique non semper huius vitae tempore tribuit, verum post mortem in iudicio tum particulari tum universali. Liquet igitur vere eos decipi, qui cum videant secundis rebus malos, adversis bonos hic saepe uti, Deum accusare iniustitiae non verentur. Atqui nec perfecta umquam est felicitas malorum, qui et peccatorum conscientia mordentur, et divinae ultionis formidine agitantur; nec afflicta bonorum conditio vacua solatio est, quos vel conscientiae tranquillitas, vel spes recreat praemii sempiterni. Ubi vero mors advenerit, tunc nullum iam relinquetur aut sine mercede meritum aut sine poena peccatum.

Q. 116. *Curnam potestas iudicandi genus humanum Iesu Christo tribuitur?*

R. Licet iudicandi potestas omnibus sanctissimae Trinitatis Personis communis sit, speciali tamen ratione Iesu Christo, uti Deo et uti homini, tribuitur, quia ipse est «Rex regum et Dominus dominantium»; inter regias autem potestates adnumeratur iudiciaria, quae id quoque comprehendit ut unicuique pro meritis aut praemia aut poenae deferantur. [1]

SECTIO 3ª. – **De reliquis quinque Symboli articulis, quibus traditur doctrina de tertia sanctissimae Trinitatis Persona et de opere nostrae sanctificationis, in terris quidem inchoatae per gratiam, in caelis consummandae per gloriam.**

ART. 1. – DE SPIRITU SANCTO, EIUSQUE MUNERIBUS IN FIDELES ET IN ECCLESIAM.

Q. 117. *Quid credimus per octavum Symboli articulum:* Credo in Spiritum Sanctum?

R. Per octavum Symboli articulum: *Credo in Spiritum Sanctum*, credimus Spiritum Sanctum esse tertiam sanctissimae Trinitatis Personam, quae a Patre Filioque procedit. [2]

Q. 118. *Curnam credimus* in Spiritum Sanctum *sicut* in Patrem et in Filium?

R. Credimus *in Spiritum Sanctum* sicut *in Patrem et in Filium*, quia Spiritus Sanctus est verus Deus

---

[1] Ioan., *V, 27:* «Et potestatem dedit [Pater] ei [Filio] iudi-«cium facere, quia Filius hominis est»; Pius XI, *Encycl.* Quas primas, *11 dec. 1925;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. VIII, n. 5, 6.*

[2] Matth., *XXVII 19;* 1ª Ioan., *XV, 26; XVI, 13-15.*

sicut Pater et Filius, unusque Deus cum Patre et Filio. [1]

Q. 119. *Curnam in sacris Litteris appellatio* Spiritus Sancti *tertiae sanctissimae Trinitatis Personae reservari solet?*

R. In sacris Litteris appellatio *Spiritus Sancti* tertiae sanctissimae Trinitatis Personae reservari solet, quia ipsa a Patre per Filium unica spiratione procedit per modum amoris, et est primus summusque Amor, qui animos movet agitque ad sanctitatem, quae demum amore in Deum continetur. [2]

Q. 120. *Quandonam Spiritus Sanctus visibiliter descendit super Apostolos, et quid in eos operatus est?*

R. Spiritus Sanctus visibiliter descendit super Apostolos die Pentecostes, eosque in fide confirmavit et omnium donorum copia replevit, ut Evangelium praedicarent et Ecclesiam in universum mundum propagarent. [3]

Q. 121. *Quid Spiritus Sanctus in fidelibus operatur?*

R. Spiritus Sanctus, per gratiam sanctificantem, virtutes infusas, sua dona et gratias actuales omnis generis fideles sanctificat eosque illuminat et movet ut ipsi, gratiae respondentes, ad vitae aeternae possessionem perveniant. [4]

---

[1] Matth., *XXVIII, 19; 1ª* Ioan., *V, 7.*

[2] Conc. Lugd. II, *l. c.;* Leo XIII, *Encycl.* Divinum illud munus, *9 maii 1897;* S. Aug., *De civ. Dei, XI, 24;* S. Thomas, *p. 1ª, q. 36, a. 1.*

[3] Act., *II, 1-4.*

[4] Ioan., *XIV, 16, 17;* Paul., *ad Rom., VIII, 26; 1ª ad Cor., III, 16;* S. Basilius, *Epist. 38, 4.* De gratia agitur *q. 278 et seq.;* de virtutibus aliisque Spiritus Sancti muneribus *q. 504 et seq.*

Q. 122. *Quid est et quid operatur Spiritus Sanctus in Ecclesia?*

R. Spiritus Sanctus est ipsius Ecclesiae quasi anima, quatenus eam praesentissima sua ope perpetuo vivificat, sibi unit et suis muneribus infallibiliter dirigit in via veritatis et sanctitatis. [1]

Art. 2. – De vera Iesu Christi Ecclesia.

Q. 123. *Quid credimus per primam partem noni Symboli articuli:* Sanctam Ecclesiam catholicam ?

R. Per primam partem noni Symboli articuli: *Sanctam Ecclesiam catholicam*, credimus esse societatem supernaturalem, visibilem, sanctam et universalem, quam Iesus Christus, dum in terris vitam agebat, instituit vocavitque Ecclesiam suam. [2]

Q. 124. *Quomodonam prima noni articuli pars pendet ab octavo articulo?*

R. Prima noni articuli pars pendet ab octavo articulo, quia licet Ecclesia Iesum Christum institutorem

---

[1] Ioan., *XIV, 16, 26; XVI, 13;* Leo XIII, *l. c.;* S. Thomas, *p. 3ª, q. 8, a. 1, ad 3um.*

[2] Catechismus ad parochos, *p. I, c. X, n. 22*, accurate adnotat: « Nunc, mutata dicendi forma, *sanctam* et non *in sanctam* « Ecclesiam credere profitemur, ut hac etiam diversa loquendi « ratione, Deus omnium effector a creatis rebus distinguatur, « praeclaraque illa omnia, quae in Ecclesiam collata sunt, bene- « ficia divinae bonitati accepta referamus ». – Ad pleniorem huius articuli intelligentiam addi potest, a theologis distingui tres Ecclesiae partes, triumphantem, militantem, purgantem, quae tamen unam Christi Ecclesiam constituunt, quia unum est caput, Iesus Christus, unus spiritus qui eas vivificat et unit, unus finis qui est vita aeterna, qua quidem alii iam fruuntur, alii sperant se fruituros. In Symbolo autem de Ecclesia militante agitur.

in ipsa continuo manentem habeat, sanctitate tamen donata est a Spiritu Sancto, qui omnis sanctitatis fons est et largitor. [1]

A) ***De Ecclesiae institutione et constitutione.***

Q. 125. *Curnam Iesus Christus Ecclesiam instituit?*

R. Iesus Christus Ecclesiam instituit ad continuandum in terris munus suum, ut scilicet in ea et per eam fructus redemptionis, in cruce consummatae, applicarentur hominibus in finem usque saeculorum. [2]

Q. 126. *Quomodo Iesus Christus Ecclesiam regi voluit?*

R. Iesus Christus Ecclesiam regi voluit auctoritate Apostolorum sub Petro capite, eorumque legitimorum successorum. [3]

---

[1] Catechismus ad parochos, *p. I, c. X, n. 1.*

[2] Matth., *XXVIII, 18-20;* Conc. Vat., *Const.* Pastor aeternus, *ab initio.*

[3] Concilium Ephesinum, *Ex Actis Concilii, Act. III;* Conc. Vat., *l. c., cap. I;* Inn. X, *ex Decret. S. Officii, 24 ian. 1647;* S. Ephraem, *In Hebdomadam sanctam, IV, 1.* – Iesus Christus (Matth., *XVI, 18, 19*) ante passionem Beato Petro primatum in sua Ecclesia promiserat: « Tu es Petrus, et super « hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non « praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelo- « rum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et « in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum « et in caelis ». Haec autem post resurrectionem (Ioan., *XXI, 15, 17*) confirmavit, B. Petro primatum conferens: « Pasce agnos « meos, ... pasce oves meas », idest: rege gregem meum universum, totam meam Ecclesiam. Cum vero Ecclesiam in suo capite perpetuo duraturam instituerit (Matth., *XXVIII, 19, 20*), B. Petri primatus ad eius legitimos successores transire debuit. Apostolorum vero missionem sub Petro capite S. Scriptura

Q. 127. *Quisnam est legitimus sancti Petri successor in regimine universalis Ecclesiae?*

R. Legitimus sancti Petri successor in regimine universalis Ecclesiae est Episcopus Urbis Romae, idest Romanus Pontifex seu Papa, quia ipse in primatu iurisdictionis sufficitur Petro, qui fuit et mortuus est Episcopus Urbis Romae. [1]

Q. 128. *Quisnam est verum Ecclesiae caput?*

R. Verum Ecclesiae caput est ipsemet Iesus Christus, qui eam invisibiliter inhabitat et regit eiusque membra in se coadunat. [2]

Q. 129. *Curnam Romanus Pontifex dicitur et est visibile caput Ecclesiae ac Vicarius Iesu Christi in terris?*

R. Romanus Pontifex dicitur et est visibile caput Ecclesiae ac Vicarius Iesu Christi in terris, quia, cum visibilis societas visibili capite egeat, Iesus Christus

---

aperte tradit, ex. gr., Matth., *XXVIII*, *19, 20;* Marc., *XVI*, *14, 15;* Act., *I*, *8; XV*, *6, 7; XX*, *28;* Paul., *ad Tit.*, *I*, *5; I^a ad Cor.*, *XII*, *28*.

[1] Conc. Ephesinum, *l. c.;* Conc. Vat., *l. c.*, *cap. 2.* – Nullius est in terris nec maior auctoritas, nec sanctius magisterium, nec paternitas altior patensque latius, quam Romani Pontificis, qui homines, Iesu Christi nomine ac vice, gubernat ut ad salutem deducat sempiternam, eosque quae divinitus revelata sunt, falli nescius, docet. Summo igitur Pontifici obedientiam, reverentiam, amorem praestare; eius non praeceptis dumtaxat obtemperare, sed ipsis consiliis optatisque obsequi; denique pro eo saepe ex eius mente ad Deum preces adhibere, memores sanctissimi officii, studeamus.

[2] Matth., *XXVIII*, *18 et seq.;* Ioan., *I*, *33;* Paul., *I^a ad Cor.*, *IV*, *1; ad Ephes.*, *I*, *22; ad Coloss.*, *I*, *18:* « Et ipse est caput corporis Ecclesiae »; Catechismus ad parochos, *p. I c. X*, *n. 13*.

Petrum eiusque usque ad mundi finem successorem constituit caput visibile, suae potestatis vicarium. [1]

Q. 130. *Quamnam igitur potestatem obtinet Romanus Pontifex in Ecclesia?*

R. Romanus Pontifex in Ecclesia obtinet, ex divino iure, primatum non solum honoris, sed etiam iurisdictionis tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen pertinent.

Q. 131. *Qualis est Romani Pontificis potestas?*

R. Romani Pontificis potestas est suprema, plena, ordinaria et immediata, tum in omnes et singulas Ecclesias, tum in omnes et singulos Pastores et fideles. [2]

Q. 132. *Quinam sunt legitimi successores Apostolorum?*

R. Legitimi successores Apostolorum ex divina institutione sunt Episcopi, qui particularibus Ecclesiis a Romano Pontifice praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria sub eiusdem auctoritate regunt. [3]

---

[1] Matth., *XVI, 18;* Luc., *XXII, 32;* Ioan., *XXI, 15, 17;* Paul., *ad Ephes, I, 22;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. X, n. 13.*

[2] Conc. Lugdun. II, *Prof. fidei Mich. Palaeologi;* Conc. Flor., *Decret. pro Graecis;* Conc. Vat., *Const.* Pastor aeternus, *cap. 3;* S. Leo IX, *Epist.* In terra pax, *2 sept. 1053;* Bonif. VIII, *Bulla* Unam sanctam, *18 nov. 1302.* – Romani Pontificis potestas dicitur *ordinaria*, tum quia non est ab alio delegata, sed ipsi eius primatui inhaerens, tum quia exerceri potest semper et ubique, et ita opponitur potestati extraordinariae, quae non exercetur nisi in aliquibus casibus, ex. gr., cum aliquis inferior Pastor muneri suo deest.

[3] Act., *XX, 28;* S. Ignatius Antioch., *Epist. ad Smyrnaeos, VIII, 1;* S. Irenaeus, *Adv. haereses, III, I, 1.* – Patriarchae autem, Archiepiscopi aliique Praelati sunt institutionis ecclesiasticae.

Q. 133. *Quid est igitur Ecclesia a Iesu Christo instituta?*

R. Ecclesia a Iesu Christo instituta est societas perfecta visibilis hominum baptizatorum, qui, professione eiusdem fidei et vinculo mutuae communionis bonorum spiritualium coniuncti, eumdem finem supernaturalem persequuntur, sub auctoritate Romani Pontificis et Episcoporum cum eo communionem habentium. [1]

Q. 134. *Quid intelligitur per* Ecclesiae corpus?

R. Per *Ecclesiae corpus* intelligitur id quod in ea est visibile et ipsam Ecclesiam visibilem reddit, idest fideles ipsi quatenus sunt simul aggregati, regimen externum, magisterium externum, externa fidei professio, Sacramentorum administratio, ritus, etc.

Q. 135. *Quid intelligitur per* Ecclesiae animam?

R. Per *Ecclesiae animam* intelligitur id quod est principium invisibile vitae spiritualis et supernaturalis Ecclesiae, scilicet iuge Spiritus Sancti auxilium, principium auctoritatis, interna obedientia regimini, gratia habitualis cum virtutibus infusis, etc. [2]

Q. 136. *Curnam Iesu Christi Ecclesia dicitur et est* via *seu* medium necessarium ad salutem?

R. Iesu Christi Ecclesia dicitur et est *via* seu *medium necessarium ad salutem*, quia Iesus Christus Ecclesiam instituit ut in ea et per eam fructus redemptionis applicarentur hominibus; hinc nemo eorum qui foris sunt, aeternam salutem adipisci potest iuxta axioma: «extra Ecclesiam nulla salus». [3]

---

[1] Pius XI, *Encycl.* Mortalium animos, *6 ian. 1928.*

[2] Paul., *ad Rom., XII, 4, 5; ad Ephes., IV, 16.*

[3] Marc., *XVI, 15, 16;* Conc. Lat. IV, *Contra Albigenses t. c.;* Conc. Florent., *Decret. pro Iacobitis;* Inn. III, *Epist. ad*

Q. 137. *Quomodo Ecclesia a Iesu Christo instituta distinguitur ab aliis Ecclesiis, quae christiano nomine gloriantur?*

R. Ecclesia a Iesu Christo instituta ab aliis Ecclesiis quae christiano nomine gloriantur, distinguitur *notis*, nempe *unitate*, *sanctitate*, *catholicitate*, *apostolicitate*, quae, a Iesu Christo suae Ecclesiae assignatae, in sola Ecclesia catholica, cuius caput est Romanus Pontifex, reperiuntur. [1]

Archiep. Tarracon., 18 dec. 1208; Bonif. VIII, *Bulla* Unam sanctam, *18 nov. 1302;* Pius IX, *Alloc.* Singulari quadam, *9 dec. 1854;* Leo XIII, *Encycl.* Satis cognitum, *29 iun. 1896;* S. Cyprianus, *De unitate Ecclesiae, 6;* S. Hieron., *Epist. 15, 2;* S. Aug., *Sermo ad Caesar. Eccl. plebem*, 6. Illud autem axioma melius exponitur *q. 162 seq.*

[1] Nomine *notarum Ecclesiae* intelliguntur proprietates visibiles et stabiles Ecclesiae a Iesu Christo institutae; eaeque plures sunt, sed in Symbolo Constantinopolitano illae quatuor enumerantur. Scilicet Iesu Christi Ecclesia, ex divini sui Conditoris voluntate, debet esse: *una*, regiminis, fidei et communionis unitate, qua omnia eiusdem membra unum sociale corpus efficiunt, id est corpus mysticum Iesu Christi, minime obstante rituum diversitate (Ioan., *X, 16;* Paul., *ad Rom., XII, 5, 6; 1ª ad Cor., I, 10; XII, 12, 13; ad Ephes., IV, 2-16*); *sancta*, sanctitate finis (qui est salus animarum), et doctrinae tum theoreticae tum practicae... unde consequitur multorum membrorum sanctitas, saepe etiam heroica, miraculis comprobata, (Ioan., *XVII, 17-19;* Paul., *ad Ephes., V, 25-27; ad Tit., II, 14*); *catholica* seu *universalis*, destinatione seu missione ad omnes ubique terrarum homines cum actuali mirabili diffusione, ipso aevo apostolico coepta eaque per difficultates omne genus numquam cessante, licet actualis diffusio pendeat ab humanis mediis propagationis sub Dei assistentia et ideo successivum incrementum admittat (Matth., *XXVIII, 19;*

Q. 138. *Potestne vera Ecclesia ab aliis Ecclesiis breviori ac simpliciori via discerni?*

R. Vera Ecclesia ab aliis Ecclesiis breviori ac simpliciori via discerni potest, scilicet ex essentiali ac visibili eiusdem Ecclesiae capite, congruenter antiquo Patrum principio: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia.* [1]

Q. 139. *Quomodo potest ex hoc principio id colligi?*

R. Ex hoc principio facile potest id colligi, quia cum Iesus Christus Ecclesiam suam, perpetuo duraturam, *super Petrum aedificaverit*, necesse est illam tantum esse veram Iesu Christi Ecclesiam, quae a legitimo Petri successore regitur et gubernatur; hic autem est Pontifex Romanus.

B) *De Ecclesiae potestate.*

Q. 140. *Quamnam potestatem Christus Dominus Ecclesiae suae tribuit, ut finem, ob quem instituta fuit, assequeretur?*

R. Christus Dominus Ecclesiae suae, ut finem ob quem instituta fuit assequeretur, tribuit potestatem

---

Luc., *XXIV*, *47;* Act., *I*, *8;* Pius XI, *Encycl.* Rerum Ecclesiae, *28 febr. 1926*); *apostolica*, origine, quatenus, fundata super fundamentum Apostolorum et praesertim Petri, ab eorundem legitimis successoribus perpetua continuatione regitur et gubernatur (Paul., *ad Ephes.*, *II*, *20;* Apoc., *XXI*, *14*). – Iamvero certum est has proprietates et Ecclesiae catholicae, cuius caput est Romanus Pontifex, convenire, et in omnibus falsis religionibus quae christiano nomine gloriantur, deesse (S. Aug., *Contra epist. Manichaei*, 5, et *De symbolo*, *sermo ad Catechum.*, *14;* Catechismus ad parochos, *p. I*, *c. X*, *n. 11 et seq*).

[1] S. Cyprianus, *Epist. 40*, *5;* S. Ambrosius, *In Psalm. XL*, *30.*

iurisdictionis et potestatem *ordinis;* potestas autem iurisdictionis includit potestatem *docendi*.[1]

Q. 141. *Quid est potestas docendi?*

R. Potestas docendi est ius et officium Ecclesiae doctrinam Iesu Christi custodiendi, tradendi et tuendi, eamque omni creaturae praedicandi independenter a qualibet humana potestate.[2]

Q. 142. *In exercitio potestatis docendi estne differentia inter baptizatos et non baptizatos?*

R. In exercitio potestatis docendi est differentia inter baptizatos et non baptizatos:

1º baptizatis enim Ecclesia doctrinam proponit et imponit, qui proinde eam admittere debent non solum ex lege divina, sed etiam ex potestate quam in eos Ecclesia, uti in subditos, habet;

2º non baptizatis vero Ecclesia doctrinam, Dei nomine, proponit, qui eam ediscere et amplecti tenentur, non iussu Ecclesiae, sed lege divina.

Q. 143. *Quinam in Ecclesia obtinent potestatem docendi?*

R. Potestatem docendi in Ecclesia obtinent Romanus Pontifex et Episcopi cum eo communionem habentes, quique proinde *Ecclesiam docentem* constituere dicuntur.[3]

---

[1] *Docendi:* Matth., *XXVIII, 19, 20;* Marc., *XVI, 15, 16; Iurisdictionis:* Matth., *XVI, 19; XXVIII, 18, 19*; Ioan., *XXI, 15, 17;* Act., *XX, 28; Ordinis:* Ioan., *XX, 22, 23;* Matth., *XVIII, 18;* Marc., *XVI, 16;* Act., *VIII, 15, 17*. – Exinde sequitur Ecclesiam esse societatem inaequalem.

[2] Matth., *l. c.;* Marc., *l. c.;* Codex I. C., *can. 1322*, § *2*.

[3] Ecclesiae quidem Pastores ius et officium habent Evangelii omni creaturae praedicandi, bonorum autem Ecclesiae filiorum

Q. 144. *In munere docendi Ecclesia estne infallibilis?*

R. In munere docendi Ecclesia, ob perpetuam Spiritus Sancti assistentiam a Iesu Christo promissam, est infallibilis, quando, sive ordinario et universali magisterio, sive solemni iudicio supremae auctoritatis, veritates fidei et morum vel in se revelatas, vel cum revelatis connexas ab omnibus tenendas proponit. [1]

Q. 145. *Cuiusnam proprium est huiusmodi solemne iudicium pronuntiare?*

R. Huiusmodi solemne iudicium pronuntiare proprium est tum Romani Pontificis, tum Episcoporum una cum Romano Pontifice, praesertim in oecumenico Concilio, congregatorum.

Q. 146. *Quid est Concilium oecumenicum?*

R. Concilium oecumenicum seu universale est conventus Episcoporum totius Ecclesiae catholicae, a Romano Pontifice convocatorum, eoque per se vel per suos Legatos praesidente, cuius est Concilii decreta, sua auctoritate, confirmare. [2]

---

est eis in tam sancto tamque salutari munere praesto esse. Tu igitur opus catholicarum Missionum precibus, eleemosynis actuosaque virtute pro viribus adiuvato. Ita egregia exsequeris misericordiae tum corporalis tum spiritualis officia erga fratres tuos qui in tenebris et in umbra mortis sedent, divinae gloriae servies, ac rem ab Ecclesia Romanisque Pontificibus commendatissimam praestabis.

[1] Matth., *XVI, 18; XXVIII, 19, 20;* Luc. *XXII, 32;* Ioan., *XIV, 16, 26; XVI, 13;* Act., *XV, 28;* Adamantius, *Dialog., V, 28;* S. Cyprianus, *Inter S. Cornelii Epist., epist. 12, 14;* S. Petrus Chrysol., *Epist. ad Eutychen, 2.*

[2] Codex I. C., *can. 222.*

Q. 147. *Quandonam Romanus Pontifex utitur praerogativa infallibilitatis personalis?*

R. Romanus Pontifex utitur praerogativa infallibilitatis personalis, cum *ex cathedra* loquitur, idest cum, omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, doctrinam de fide et moribus ab universa Ecclesia tenendam definit. [1]

Q. 148. *Quonam officio tenemur erga veritates fidei et morum quas Ecclesia tamquam divinitus revelatas ab omnibus credendas proponit?*

R. Veritates fidei et morum quas Ecclesia, sive ordinario et universali magisterio sive solemni iudicio tamquam divinitus revelatas ab omnibus credendas proponit, credere debemus fide divina et catholica. [2]

Q. 149. *Quomodo appellatur veritas ita definita?*

R. Veritas ita definita appellatur *fidei dogma*, cui directe opponitur *haeresis*.

Q. 150. *Quaenam sunt veritates in se non revelatae, sed cum revelatis connexae?*

R. Veritates in se non revelatae, sed cum revelatis connexae, sunt praecipue facta dogmatica et censurae illarum propositionum, quae ab Ecclesia proscriptae et prohibitae sunt. [3]

---

[1] Conc. Vat. *Const.* Pastor aeternus, *cap. 4.* – Infallibilitatis charisma Iesus Christus Petro eiusque in primatu successoribus aperte promisit (Luc., *XXII, 32*), dicens Simoni Petro: « Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando « conversus confirma fratres tuos ».

[2] Conc. Vat., *Const.* Dei Filius, *cap. 3.*

[3] Conc. Vat., *l. c., cap. 4.* – Nomine *factorum dogmaticorum* intelliguntur facta ab Ecclesia definita, in se quidem non revelata, quae tamen connexionem habent cum dogmate vel custo-

Q. 151. *Debemusne admittere etiam veritates in se non revelatas, sed cum revelatis connexas, quas Ecclesia, eodem modo, ab omnibus tenendas proponit?*

R. Etiam veritates in se non revelatas, sed cum revelatis connexas, quas Ecclesia, eodem modo, ab omnibus tenendas proponit, nos debemus corde et ore admittere propter Ecclesiae infallibilitatem, quae ad has quoque veritates extenditur. [1]

Q. 152. *Quid de aliis decretis doctrinalibus, quae Sedes Apostolica, circa res fidei et morum edit sive directe per se sive per sacras Romanas Congregationes?*

R. Alia decreta doctrinalia quae Sedes Apostolica circa res fidei et morum edit sive directe per se sive per sacras Romanas Congregationes, debemus ex conscientiae officio excipere propter obsequium erga Sedem Apostolicam, quae etiam hoc modo exercet magisterium sibi a Christo Domino commissum. [2]

---

diendo vel applicando vel rite proponendo. Praecipua facta dogmatica sunt: in hoc libro contineri propositiones quae deposito fidei opponuntur, aut non contineri; eos quos per definitivam sententiam canonizat Ecclesia, vere sanctos esse et aeterna gloria potiri; hoc Concilium esse vel non esse legitimum; hanc editionem vel versionem esse vel non esse conformem textui sacrae Scripturae, etc.

[1] Conc. Vat., *l. c., cap. 4, in fine;* Alex. VII, *Const.* Regiminis Apostolici, *15 febr. 1664;* Clemens XI, *Const.* Vineam Domini Sabaoth, *16 iulii 1705;* Pius X, *Decret.* Lamentabili, *3 iulii 1907, prop. 7 inter damnatas.* – Inde sequitur Ecclesiam ius habere prohibendi libros, idest interdicendi ne a fidelibus legantur aut retineantur.

[2] Pius IX, *Epist. ad Archiep. Monacen.-Frisingen., 21 dec. 1863;* Pius X, *l. c., prop. 8 inter damnatas.*

Q. 153. *Quid possunt et debent Episcopi in propria dioecesi vi potestatis* docendi?

R. Episcopi in propria dioecesi, vi potestatis *docendi*, possunt et debent per se vel per alios veritates fidei et morum ab Ecclesia receptas pro opportunitate subditis proponere et inculcare, periculosas de doctrina novitates reprimere, easque, si necesse fuerit, ad supremam Ecclesiae auctoritatem deferre. [1]

Q. 154. *Quid significat potestas iurisdictionis in Ecclesia?*

R. Potestas iurisdictionis in Ecclesia, significat Romanum Pontificem pro universa Ecclesia, Episcopos pro suis dioecesibus, habere, ad eius finem assequendum, potestatem regendi, idest potestatem legislativam, iudiciariam, coactivam, administrativam. [2]

Q. 155. *Quid est potestas ordinis?*

R. Potestas ordinis est potestas sacras perficiendi functiones, praesertim ad altaris ministerium, sacrae Hierarchiae, maxime Episcopis, commissa per sacramentum Ordinis, directe tendens ad curandam animarum sanctificationem per exercitium cultus divini atque administrationem sacramentorum et sacramentalium; quod venit nomine *curae animarum*. [3]

Q. 156. *Quinam sunt adiutores Episcoporum in cura animarum?*

R. Adiutores Episcoporum in cura animarum sunt presbyteri, praesertim parochi, qui eisdem subiecti sunt ad normam sacrorum canonum. [4]

---

[1] Codex I. C., *can. 336, 343.*

[2] Codex I. C., *can. 335.*

[3] Potestas ordinis pro licito exercitio est potestati iurisdictionis subordinata.

[4] Ipsi etiam Christi fideles utriusque sexus ministerium

C) ***De Ecclesiae membris.***

Q. 157. *Quinam sunt membra Ecclesiae a Iesu Christo institutae?*

R. Membra Ecclesiae a Iesu Christo institutae sunt baptizati, vinculo unitatis, fidei et communionis catholicae coniuncti.

Q. 158. *Quinam sunt extra Ecclesiam a Iesu Christo institutam?*

R. Extra Ecclesiam a Iesu Christo institutam sunt:

1° non baptizati;

2° manifesti apostatae, haeretici, schismatici, excommunicati vitandi. [1]

Ecclesiae efficaciter iuvare queunt tum per actionem personalem quae ad spirituale proximorum bonum spectet, tum per proprie dictam *Actionem Catholicam*, quae tam vehementer a Summo Pontifice commendatur quamque ipse S. Paulus satis aperte designat in *Epist. ad Philipp., IV, 3.* Huic igitur *Actioni Catholicae* Christi fideles, si poterunt, nomen dent; ita enim Episcopis obedientiam praestantes et normas ab Apostolica Sede desuper datas religiose observantes, efficaciter conferent ad Ecclesiae propositum assequendum, quod est triumphus in terris regni Iesu Christi ad humani generis salutem.

[1] S. Aug., *De fide et symbolo, 21;* Codex I. C., *can. 87;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. IX, n. 9.* – Non baptizatus est simpliciter extra Ecclesiam, licet, gratia Dei adiutus, possit per caritatem ad Ecclesiae animam pertinere. Baptizatus autem per validam Baptismi susceptionem aggregatur mystico Christi corpori quod est Ecclesia; et haec aggregatio est perpetua, quod indicatur charactere indelebili Baptismatis; hinc baptizatus semper aliquo modo ad Ecclesiam pertinet. At ipse potest se ab Ecclesia segregare, abrumpendo unionem fidei et communionis per apostasiam, haeresim, schisma; potest etiam a suprema ecclesiastica auctoritate, ob gravissimum peccatum, omnibus fidelium iuribus privari, atque ita a fidelium commu-

Q. 159. *Quinam sunt apostatae, haeretici, schismatici, excommunicati vitandi?*

R. *Apostatae* sunt baptizati, qui a fide christiana omnino recesserunt; *haeretici*, qui pertinaciter aut aliquod fidei dogma denegant aut de eo dubitant; *schismatici*, qui subesse renuunt Romano Pontifici, aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant; *excommunicati vitandi*, qui hac censura plectuntur ad normam sacrorum canonum. [1]

Q. 160. *Hi omnes manentne Ecclesiae legibus obnoxii?*

R. Hi omnes, utpote Ecclesiae subiecti, licet rebelles, manent Ecclesiae legibus obnoxii, nisi Ecclesia expresse vel tacite eos a sua lege exceptos habeat.

Q. 161. *Excommunicati tolerati suntne Ecclesiae membra?*

R. Excommunicati tolerati sunt Ecclesiae membra, sed excluduntur ab illis effectibus communionis fidelium qui in sacris canonibus enumerantur, nec eos recuperare possunt, nisi a contumacia recedant et ab hac gravissima poena absolvantur.

Q. 162. *Adultus qui sine Baptismo moritur, potestne salvus fieri?*

R. Adultus qui sine Baptismo moritur, potest salvus fieri, si ad Ecclesiam venerit saltem per actum fidei et perfectae caritatis qui vicem baptismi supplet; hinc

---

nione penitus excludi. Tunc ipse reapse extra Ecclesiam constituitur, sed officio tenetur ad ipsam redeundi, et interim Ecclesiae subiectus manet; sicut transfuga reapse est extra exercitum, sed ad exercitum redire debet, et quamvis careat privilegiis quae aliorum militum sunt, adhuc tamen est praepositis militiae subiectus, a quibus puniri potest.

[1] Codex I. C., *can. 2257 et seq.; can. 1325, § 2.*

salvari potest tum catechumenus qui profitetur veritates necessario credendas cum perfecta caritate, tum ille qui veram religionem invincibiliter ignorans, legem tamen naturalem servans et Deo obedire paratus, divinae lucis et gratiae operante virtute, actus fidei et caritatis eliciat.[1]

Q. 163. *Adultus valide baptizatus, sectae haereticae vel schismaticae inculpabiliter adscriptus, potestne salvus fieri?*

R. Adultus valide baptizatus, sectae haereticae vel schismaticae inculpabiliter adscriptus, potest pariter salvus fieri, si gratiam in Baptismo receptam non amiserit, vel peccatis amissam recuperet per debitam poenitentiam.[2]

Q. 164. *Quid de illis qui, cum cognoverint veritatem Ecclesiae Iesu Christi, voluntarie extra eam versantur?*

R. Qui, cum cognoverint veritatem Ecclesiae Iesu Christi, voluntarie extra eam versantur, graviter peccant, et ideo, si in hoc statu perseverent, salvi fieri nequeunt.

---

[1] *Divina lux* illuminat intellectum, ut necessarias fidei veritates profiteatur; *divina gratia* movet voluntatem, ut caritatis actum eliciat. Pius IX, *Epist.* Quanto conficiamur, *ad Episcopos Italiae, 10 aug. 1863.* S. Thomas, *De verit., q. 14, a. 11, ad 1um*, de illis qui, ex. gr., in silvis enutriti, sine ulla ipsorum culpa ad notitiam verae Ecclesiae non pervenerint, docet: « Hoc ad « divinam Providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de neces- « sariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si « enim aliquis taliter [in silvis] nutritus, ductum naturalis rationis « sequeretur in appetitu boni et fuga mali, *certissime est tenen-* « *dum*, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret « quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedica- « torem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium ». – Inn. II, *Epist.* Apostolicam Sedem, *ad Episc. Cremonensem.*

[2] Pius IX, *l. c.* – Haec poenitentia erit vel contritio perfecta cum voto, quod in illa includitur, veniendi ad veram Christi Ecclesiam et recipiendi Poenitentiae sacramentum, vel contritio imperfecta cum receptione eiusdem Sacramenti.

Q. 165. *Qui extra Iesu Christi Ecclesiam versantur et de hoc dubium aliquod habent, ad quid tenentur?*

R. Qui extra Iesu Christi Ecclesiam versantur et de hoc dubium aliquod habent, officio tenentur veritatem sincere quaerendi in Domino, et Christi doctrinam sibi propositam pro viribus ediscendi, agnitamque veram Christi Ecclesiam ingrediendi.

D) ***De distinctione Ecclesiae a Civitate seu Statu et de utriusque Societatis competentia.***

Q. 166. *Ecclesia, a Iesu Christo instituta, estne distincta a Civitate seu Statu?*

R. Ecclesia, a Iesu Christo instituta, est distincta a Civitate seu Statu; non tamen Civitas est aut constitui iure potest separata ab Ecclesia, licet separatio in specialibus gravibusque adiunctis possit quandoque tolerari aut etiam praeferri.[1]

[1] Doctrina de mutuis relationibus Ecclesiae et Civitatis ex pluribus Romanorum Pontificum documentis, praesertim Leonis XIII, *Encycl.* Immortale Dei, *1 nov. 1885; Encycl.* Au milieu, *16 feb. 1892; Epist.* Longinqua Oceani, *6 ian. 1895*, ita poterit breviter declarari. Ecclesia propositum habet, tamquam proximum finem, supernaturalem animarum sanctificationem, quae est conditio necessaria et mensura habendae in caelis felicitatis aeternae, cum Civitas pro fine proximo habeat bonum temporale, etiam ordinis moralis, commune, servando ordinem iuridicum et supplendo insufficientiam singulorum hominum et familiarum. – Licet autem Ecclesia directe et per se curet supernaturalem animarum sanctificationem, ita tamen vere et efficaciter promovet bonum temporale, privatum et publicum, ut plus promovere non posset, si illud directe curaret, ex. gr., singulis enixe inculcans exsecutionem omnium officiorum; sicuti etiam Civitas, curans directe commune bonum temporale, eo ipso indirecte supernaturalem animarum sanctificationem adiu-

Q. 167. *Quaenam sunt principia quibus competentia utriusque Societatis definitur?*

R. Principia, quibus competentia utriusque Societatis definitur, haec sunt:

1° quidquid ad salutem animarum cultumque Dei pertinet, subest potestati Ecclesiae;

2° cetera quae civile et politicum genus complectitur, subsunt potestati Status;

3° in negotiis vero mixti iuris, est secundum naturam itemque secundum Dei consilia inter utramque

---

vat. – Quoniam igitur societates distinguuntur ex earundem fine proximo, et finis Ecclesiae est distinctus a fine Civitatis, sequitur eas esse societates inter se distinctas: illa est societas spiritualis et supernaturalis; haec, societas naturalis et temporalis; utraque in genere suo est societas perfecta cum potestate maxima, cum unaquaeque earum in se et per se media habeat ad suum finem consequendum necessaria. Haec autem distinctio non ita est intelligenda ut Civitas possit, quasi omnino ab Ecclesia separata, se gerere tamquam si Deus non esset et curam religionis veluti alienam nihilque profuturam abiicere aut inter varias religiones seligere quam maluerit; ipsa enim, non minus quam singuli cives, debet Deum ea colere religione quam Deus iusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit; haec autem est tantum vera Iesu Christi Ecclesia. – Iuridica inter Ecclesiam et Civitatem separatio nonnisi in specialibus gravibusque adiunctis tolerari potest, cum scilicet per eandem maiora mala vitentur ac tuta vivendi agendique facultas Ecclesiae relinquatur. Itaque, cum societas spiritualis et supernaturalis excellentior et nobilior sit societate temporali (praestantiorem enim finem persequitur), Civitas, communi utilitati nata, in procurando bono temporali sic debet consulere civibus, ut fini Ecclesiae non modo nihil importet umquam incommodi, sed omnes, quascumque possit, opportunitates afferat.

potestatem concordia, cuius beneficio funestae utrique contentiones devitantur. [1]

Q. 168. *Ecclesia potestne iudicium ferre etiam de negotiis quae civile et politicum genus complectitur?*

R. Ecclesia etiam de negotiis quae civile et politicum genus complectitur, potest iudicium ferre, si haec negotia cum regula fidei vel morum ideoque cum salute animarum connectuntur.

Q. 169. *Cuiusnam est de hac connexione iudicium ferre?*

R. De hac connexione iudicium ferre est ecclesiasticae auctoritatis, cuius magisterio non licet catholicis obsequium detrectare. [2]

Art. 3. – De sanctorum communione.

Q. 170. *Quomodonam altera noni articuli pars:* Sanctorum communionem *cum prima connectitur?*

R. Altera noni articuli pars: *Sanctorum communionem*, cum prima connectitur quia est illius explicatio quaedam, docens quid utilitatis capiant Ecclesiae membra ex sanctificatione in ea et per eam obtenta. [3]

Q. 171. *Quid credimus per hanc alteram noni articuli partem?*

R. Per hanc alteram noni articuli partem credimus inter Ecclesiae membra, ob intimam unionem qua sub unico capite Christo inter se coniunguntur, esse mutuam communicationem spiritualium bonorum. [4]

---

[1] Leo XIII, *Encycl.* Diuturnum illud, *29 iun. 1881* et *Encycl.* Immortale Dei, *1 nov. 1885;* Pius X, *Encycl.* Vehementer, *16 febr. 1906*.

[2] Pius IX, *Epist.* Gravissimas inter, *11 dec. 1862;* Leo XIII, *Encycl.* Immortale Dei, *1 nov. 1885*.

[3] Catechismus ad parochos, *p. I, art. IX, n. 23, 24.*

[4] Paul., *ad Rom., XII, 4, 5; 1ª ad Cor., XII, 11-31; ad*

Q. 172. *Omniane Ecclesiae membra hac communione plene fruuntur?*

R. Hac communione non omnia Ecclesiae membra plene fruuntur, sed ea tantum quae sunt in gratia, et ideo haec communio appellatur *Communio sanctorum.*

Q. 173. *Qui in peccato mortali sunt, privanturne hac communione?*

R. Qui in peccato mortali sunt, hac communione plene non privantur, et possunt ad gratiam recuperandam adiuvari tum publicis Ecclesiae precibus, tum precibus ac bonis operibus eorum qui sunt in gratia Dei.

Q. 174. *Estne communio cum iis qui Paradisi gloria potiuntur?*

R. Est communio cum iis qui Paradisi gloria potiuntur, quatenus nos eos honoramus et suppliciter invocamus, et ipsi pro nobis apud Deum intercedunt.[1]

Q. 175. *Estne communio etiam cum animabus in Purgatorio detentis?*

R. Est communio etiam cum animabus in Purgatorio detentis, quatenus nos possumus eas iuvare nostris suffragiis, scilicet Missae sacrificio, indulgentiis, orationibus, eleemosynis aliisque pietatis et poeniten-

---

Ephes., IV, 4-13; Catechismus ad parochos, *p. I, c. X, n. 24, 25.* – Spiritualia Ecclesiae communia bona sunt: Iesu Christi merita infinita, beatae Mariae Virginis et Sanctorum merita superabundantia, indulgentiae, preces et bona opera quae in Ecclesia fiunt, Sacramenta, sacrificium Missae, publicae preces externique ritus, quibus omnibus, veluti sacris vinculis, fideles cum Christo et inter se coniunguntur.

[1] Tob., *XII, 12;* Eccli., *XLIV, 1;* Dan., *III, 35;* II Mach., *XV, 14;* Apoc., *V, 8; VIII, 3;* Conc. Trid., *sess. XXV, De invoc., venerat. ... Sanctorum;* S. Hieron., *Contra Vigilantium, 6.*

tiae operibus; et ipsae vicissim suis orationibus apud Deum nos iuvant. [1]

Q. 176. *Quaenam sunt orationes, quas fideles frequentius pro animabus in Purgatorio detentis recitare solent?*

R. Orationes quas fideles frequentius pro animabus in Purgatorio detentis recitare solent, sunt psalmus *De profundis*, et haec alia brevis oratio: *Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. Requiescant in pace. Amen.* [2]

Art. 4. – De peccatorum remissione.

Q. 177. *Quid credimus per decimum Symboli articulum:* Remissionem peccatorum?

R. Per decimum Symboli articulum: *Remissionem peccatorum*, credimus in Ecclesia esse veram potestatem remittendi peccata ob Iesu Christi merita. [3]

Q. 178. *Quibus mediis in Ecclesia peccatorum remissionem assequimur?*

R. In Ecclesia peccatorum mortalium remissionem assequimur per Sacramenta a Christo Domino ob id

---

[1] S. Cyrill. Hier., *Cateches. V, 8;* S. Augustinus, *De civit. Dei, XX, 9, 2.*

[2] « Sancta... et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare »; II Mach., *XII, 46.* – Est enim *sanctissimum* caritatis officium animas in Purgatorio detentas suffragiis nostris adiuvare, praesertim cum de iis agitur qui vel carnis cognatione vel grati animi causa nobis coniuncti fuere. Quod nobis etiam *saluberrimum* est, quia caritate hac nostra erga animas tam Deo caras et Dei benevolentiam nobis et ipsarum sanctarum animarum gratam voluntatem conciliamus.

[3] Matth., *XVI, 19; XVIII, 18;* Ioan., *XX, 23;* Conc. Later. IV, *cap. 1;* Conc. Trid., *sess. XIV, cap. I, et can. 1;* S. Leo IX, *Symbolum fidei.*

ipsum instituta, vel per actum contritionis perfectae cum voto eorundem Sacramentorum; peccatorum vero venialium remissionem possumus aliis quoque religionis actibus assequi, remanente debito poenae temporalis, cuique solvendo in hac vel in altera vita scilicet in Purgatorio. [1]

Art. 5. – De mortuorum resurrectione et aeterna vita.

Q. 179. *Quid credimus per undecimum Symboli articulum:* Carnis resurrectionem?

R. Per undecimum Symboli articulum: *Carnis resurrectionem*, credimus in fine mundi futurum ut omnes mortui ad vitam revocentur et resurgant ad universale iudicium, unaquaque anima illud resumente corpus, cui in hac vita coniuncta fuerat, numquam iam ab eo seiungenda. [2]

---

[1] Ad adipiscendam peccatorum venialium remissionem in homine iusto sufficit quilibet actus, divinae gratiae ope patratus, in quo saltem implicita culpae detestatio contineatur. Itaque levium peccatorum venia impetrari potest non modo per Sacramenta, quibus gratia confertur, sed etiam per actus quibuscum aliqua detestatio culpae coniungitur, uti est, ex. gr., dicere *Confiteor* vel *Pater noster*, pectus percutere... vel per actus quibus manifestatur reverentia in Deum et res divinas, ex. gr., per benedictionem sacerdotalem, aspersionem aquae benedictae, quamlibet sacramentalem unctionem, orationem in ecclesia dedicata... (S. Thomas, *Suppl.*, *p. 3ª*, *q. 87*, *a. 3*).

[2] Iob, *XIX*, *25-27;* Matth., *XIII*, *40-43;* Ioan., *V*, *28*, *29;* *VI*, *39*, *40;* Act., *XXIV*, *15;* Paul., *1ª ad Cor.*, *XV*, *12 et seqq.;* Conc. Later. IV, *cap. I;* S. Leo IX, *l. c.;* Inn. III, *Profess. fidei Waldensibus praescripta;* S. Cyrill. Alex., *In Ioan.*, *VIII*, *51;* S. Ioan. Chrysost., *De resurrect. mortuorum*, *8;* Catechismus ad parochos, ***p. I, c. XII, n. 6 et seq.***

Q. 180. *Quanam virtute carnis resurrectio fiet?*

R. Carnis resurrectio fiet divina Iesu Christi virtute, qui sicut suum corpus e mortuis suscitavit, ita in fine mundi corpora eorum suscitabit, quos iudicaturus est. [1]

Q. 181. *Cur voluit Deus mortuorum corpora resurgere?*

R. Voluit Deus mortuorum corpora resurgere, ut totus homo perpetuo pro meritis consequeretur vel praemium in Paradiso vel poenam in Inferno.

Q. 182. *Omniumne mortuorum corpora resurgent eodem modo?*

R. Omnium mortuorum corpora resurgent immortalia, sed sola corpora electorum, ad similitudinem corporis Christi, resurgent dotibus corporis gloriosi praedita. [2]

Q. 183. *Quaenam sunt dotes corporis gloriosi?*

R. Dotes corporis gloriosi quatuor recenseri solent: *impassibilitas*, *claritas*, *agilitas et subtilitas*. [3]

---

[1] Ioan., *V, 28, 29;* S. Ioan. Chrysost., *l. c., 7;* S. Thomas, *p. 3, q. 56, a. 1.*

[2] Paul., *1ª ad Cor., XV, 52; ad Philipp., III, 21;* Apoc., *XX, 12, 13;*. S. Cyrillus Hier., *Cateches. XVIII, 18-19.*

[3] Paul., *1ª ad Cor., XV, 42-44.* – Catechismus ad parochos, *p. I, c. XII, n. 13,* haec ita declarat: « *Impassibilitas* efficiet « ne corpus gloriosum quicquam pati ulloque dolore aut incom- « modo affici queat. Impassibilitatem consequitur *claritas*, nempe « fulgor quidam ex summa animae felicitate in corpus redun- « dans, ita ut sit quaedam communicatio illius beatitudinis qua « anima fruitur. Claritati coniuncta est *agilitas*, qua corpus facil- « lime in quamcumque partem anima voluerit, moveri poterit. « His vero addita est *subtilitas*, cuius virtute corpus animae im- « perio subiicietur eique serviet et ad nutum praesto erit ». – S. Thomas, *Suppl., q. 82 et seq.*

Q. 184. *Quid credimus per ultimum Symboli articulum:* Vitam aeternam?

R. Per ultimum Symboli articulum: *Vitam aeternam*, credimus, electis post mortem paratam esse perfectam et numquam defecturam beatitudinem in Paradiso, cum reprobos aeternae Inferni poenae maneant.[1]

Q. 185. *Quid significat verbum* Amen *in fine Symboli?*

R. Verbum *Amen* in fine Symboli significat, omnia et singula, quae in Symbolo continentur, vera esse, eaque nos sine ulla dubitatione credere et profiteri.

Q. 186. *Ad vitam aeternam assequendam sufficitne credere quae credenda sunt?*

R. Ad vitam aeternam assequendam non sufficit credere quae credenda sunt, sed necesse praeterea est servare quae Deus ipse et Ecclesia servanda mandarunt.[2]

---

[1] Matth., *XXV*, *46*. – S. Petrus Canisius, *De fide et symbolo fidei*, *n. XXI:* « Cuius vitae consequendae causa nullum pietatis « opus arduum, nullus labor gravis, nullus dolor acerbus, nul- « lum in agendo patiendoque tempus diuturnum ac molestum « vere credenti debet existimari. Quod si vita hac, quae ca- « lamitatibus alioquin plena est, nihil dulcius ac optabilius « ducitur, quanto illa demum potior habenda est, quae ab « omni malorum sensu ac metu procul abest, quae caelestibus « et ineffabilibus sine fine gaudiis, deliciis ac voluptatibus omni « ex parte semper abundat? »

[2] Matth., *V*, *16; VII*, *26*, *27; IX*, *15; XXV*, *35 et seq.*; Iac., *II*, *14 et seq.*

Caput IV.

De Decalogo. [1]

Q. 187. *Quid significat* Decalogus?

R. *Decalogus* significat *decem verba* seu *decem mandata*, quae Deus dedit Moysi in monte Sinai, et Iesus Christus in nova Lege confirmavit. [2]

Q. 188. *Quomodo dividuntur decem Decalogi mandata?*

R. Decem Decalogi mandata ita dividuntur ut tria priora Deum respiciant, cetera septem ad nosmet-ipsos et proximum referantur.

Q. 189. *Cur Deus Decalogo praemisit verba:* Ego sum Dominus Deus tuus?

R. Deus Decalogo praemisit verba: *Ego sum Dominus Deus tuus*, ut moneret se, uti Deum et Dominum, iure mandata ferre, quae nos servare debemus. [3]

---

[1] Decalogi mandata, ab ipso Deo in monte Sinai solemniter promulgata, et a Iesu Christo in nova Lege explicata et confirmata, omnes discere debent et maxima cura custodire et observare. Haec enim divina mandata non solum sunt singulis via ad aeternam salutem assequendam, sed sunt quoque omnis civilis consortii fundamentum.

[2] Exod., *XX*, *2-17;* Matth., *V*, *17*, *18; XIX*, *17-20.* – Haec mandata, duabus tabulis conscripta, Deus Moysi tradidit. Tria priora mandata vocantur *mandata primae tabulae;* cetera, *mandata alterius tabulae.* – Catechismus ad parochos, *p. III*, *c. V*, *n. 3 et seq.*

[3] Exod., *XX*, *2-6;* Lev., *XXVI*, *1;* Deut., *V*, *6 et seq.;* Catechismus ad parochos, *p. III*, *c. II*, *n. 3.*

Sectio 1ª. – De primis tribus Decalogi mandatis quae Deum respiciunt.

Art. 1. – De primo decalogi mandato.

Q. 190. *Quid Deus prohibet primo Decalogi mandato:* Non habebis deos alienos coram me?

R. Primo Decalogi mandato: *Non habebis deos alienos coram me*, Deus prohibet ne cultus, sibi debitus, aliis praestetur. [1]

Q. 191. *Quemnam cultum Deo praestare debemus?*

R. Deo, et soli Deo, praestare debemus cultum supremum, idest cultum adorationis.

Q. 192. *Cur Deum colere et adorare debemus?*

R. Deum colere et adorare debemus, quia est noster creator, providus conservator et ultimus finis.

Q. 193. *Quomodo Deum colere et adorare debemus?*

R. Deum colere et adorare debemus tamquam rerum omnium creatorem, providum conservatorem, primum principium et ultimum finem, per actus religionis tum internos tum externos, quos natura ipsa magisque revelatio nobis suggerit, quorum praecipuus est sacrificium, quod nulli creaturae offerri potest.

Q. 194. *Quomodo peccatur contra primum Decalogi mandatum?*

R. Contra primum Decalogi mandatum peccatur:

1º *superstitione*, idest idololatria, divinatione, vana observantia, spiritismo, qui postremus divinationi et vanae observantiae accensetur;

---

[1] Exod., *XX, 2-6;* Lev., *XXVI, 1;* Deut., *V. 6 et seq.;* Catechismus ad parochos, *p. III, c. II n. 3.*

2° *irreligione*, idest omissione actus cultus qui poni debet, sacrilegio, simonia. [1]

Q. 195. *Nonne etiam Sanctis cultus a nobis praestandus est?*

R. Etiam Sanctis, praesertim beatae Mariae Virgini, cultus a nobis praestandus est, sed diversi et inferioris ordinis, nempe cultus venerationis, ut eos honoremus eorumque patrocinium nobis conciliemus. [2]

Q. 196. *Quomodo appellatur cultus praestitus Deo, Sanctis, beatae Mariae Virgini?*

R. Cultus praestitus Deo appellatur cultus *latriae* seu adorationis; praestitus Sanctis, *duliae* seu venerationis; praestitus beatae Mariae Virgini, *hyperduliae*, idest excellentioris venerationis. [3]

---

[1] *Idololatria* est superstitio, qua cultus divinus imaginariae divinitati, vel creaturae vel daemoni, adhibetur. *Divinatio*, superstitio, qua res futura vel occulta inquiritur ope daemonis, expresse vel tacite invocati. *Vana observantia*, superstitio, qua quis ad aliquem effectum assequendum utitur mediis ineptis, cum expressa vel tacita daemonis invocatione. *Spiritismus*, superstitio, qua quis communicat cum spiritibus malis, et vult, eorum ope, res occultas cognoscere. *Sacrilegium*, indigna tractatio rei personaeve sacrae, aut loci Deo divinove cultui dicati. *Simonia*, contractus circa spiritualia aut spiritualibus adnexa aut temporalia intuitu religionis, a iure vel naturali et divino vel canonico prohibitus.

[2] Catechismus ad parochos, *p. III*, *c. II*, *n. 7 et seq.*

[3] Cultus *latriae* est cultus soli Deo debitus, quo homo servitutem suam profitetur Deo habenti plenum et principale dominium omnium creaturarum. Cultus *duliae* est cultus, quo Sanctos veneramur et colimus uti creaturas Deo caras, ut eius filios et amicos, ut Christi membra et uti nostros apud Deum intercessores. Cum vero beata Maria Virgo, quae pura quidem creatura est, sed, utpote vera Dei genitrix, supra omnes alios cum

Q. 197. *Debemusne etiam Martyrum aliorumque Sanctorum cum Christo viventium reliquias venerari?*

R. Debemus etiam Martyrum aliorumque Sanctorum cum Christo viventium reliquias venerari, quia eorum corpora fuerunt viva membra Christi et templum Spiritus Sancti, a Christo ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda; per quas reliquias multa beneficia a Deo hominibus praestantur. [1]

Q. 198. *Debetne etiam sacris imaginibus debitus honos et veneratio impertiri?*

R. Etiam sacris imaginibus debitus honos et veneratio impertiri debet, quia honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quae illae repraesentant; ita ut per reverentiae signa eisdem praestita, Christum ipsum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. [2]

Q. 199. *Quomodo igitur Deus in veteri Testamento sculpturas et imagines prohibuit?*

R. Deus in veteri Testamento non prohibuit simpliciter sculpturas et imagines, sed eas ad adorandum, more gentilium, adhiberi vetuit, ne quid simulacris, quasi diis, colendis, de veri Dei cultu detraheretur. [3]

Deo specialissima ratione est coniuncta, speciali cultu colitur, qui *hyperdulia* dicitur. – S. Ioannes Damasc., *De imaginibus, oratio II, 5; III, 41.*

[1] IV Reg., *II, 14; XIII, 21;* Matth., *IX, 20-22; XIV, 36;* Act., *V, 15; XIX, 12;* Conc. Nicaen. II, *De sacris imaginibus, actio VII;* Conc. Trid., *sess. XXV, De invocatione ... Sanctorum.*

[2] Conc. Nicaen. II, *l. c.;* Conc. Trid., *l. c.;* S. Cyrill. Alex., *In Psalm. CXIII, 16.*

[3] Exod., *XX, 4, 5;* Deut., *IV, 15-19;* S. Thomas, *p. 3, q. 25, a. 3, ad 1um.*

Art. 2. – De secundo Decalogi mandato.

Q. 200. *Quid Deus prohibet secundo Decalogi mandato:* Non assumes nomen Dei tui in vanum?

R. Secundo Decalogi mandato: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, Deus prohibet quamlibet irreverentiam erga suum nomen. [1]

Q. 201. *Quinam huius irreverentiae rei sunt?*

R. Huius irreverentiae rei sunt, qui nomen Dei sine iusta causa et debita veneratione pronuntiant, vel vota nuncupata violant, vel iuramenta falsa, temeraria et iniusta edunt, ac praesertim qui blasphemias proferunt. [2]

---

[1] Exod., *XX*, *7;* Lev., *XIX*, *12;* Deut., *V*, *11*.

[2] Lev., *XIX*, *12; XXIV*, *11-16;* IV Reg., *XIX*, *6 et seq.* – *Votum* est promissio deliberata Deo facta de bono meliore. *Iuramentum*, invocatio divini nominis ad fidem faciendam vel ad promissionem firmandam; est autem *falsum*, si assertio non est menti conformis; *temerarium*, si absolute emittitur, sine subiectiva facti certitudine; *iniustum*, si est mala vel assertio in iuramento assertorio vel res promissa in promissorio. *Blasphemia*, locutio contumeliosa in Deum. – Pius XI, *Epist. ad Episc. Veronensem*, *3 dec. 1924*, ita blasphemiae deliberatae gravitatem describit: « Blasphemia bonitatem Dei admodum iniuriose contemnit, cum ipsi professioni fidei adversetur, nec solum in se malitiam apostasiae contineat, sed eam maxime aggravet tum detestatione cordis tum oris imprecatione. Blasphemia igitur, si quidem omnino scienter consultoque iactetur, ob eam quam habet in se et perversitatem contumeliae petentis ipsum Deum, auctorem legum, et implicitam eiurationem fidei, peccatum est omnium gravissimum, licet extrinsecus ex damni effectibus non videatur ».

Q. 202. *Vetamurne in vanum assumere etiam nomina Sanctorum?*

R. Vetamur in vanum assumere etiam nomina Sanctorum, et praesertim beatae Mariae Virginis, ob eandem rationem qua eos colere debemus.

Art. 3. – De tertio Decalogi mandato.

Q. 203. *Quid Deus praecipit tertio Decalogi mandato:* Memento ut dies festos sanctifices?

R. Tertio Decalogi mandato: *Memento ut dies festos sanctifices*, Deus praecipit ut dies festi, idest dies ipsi sacri, divino cultu celebrentur, negotiis sepositis corporisque laboribus. [1]

Q. 204. *Quinam erant dies festi in veteri Testamento?*

R. In veteri Testamento plures erant dies festi, sed praecipuus erat dies sabbati, quod ipso nomine requiem ad Deum colendum necessariam significabat, et ideo dies sabbati memoratur.

Q. 205. *Curnam in novo Testamento non observatur dies sabbati?*

R. In novo Testamento non observatur dies sabbati, quia Ecclesia diei sabbati substituit diem dominicum, in honorem resurrectionis Iesu Christi et descensus Spiritus Sancti in Pentecoste, addens alios dies festos. [2]

---

[1] Exod., *XX, 8; XXXI, 13;* Deut., *V, 12-15.*

[2] Mandatum de sabbati cultu, si statutum tempus spectetur, non fixum et constans fuit, sed mutabile, neque ad mores, sed ad caeremonias pertinebat; si vero res ipsa consideretur, aliquid habet quod ad mores naturaeque ius attinet. Porro

Q. 206. *Ad quid ergo circa dierum festorum sanctificationem nos hodie tenemur?*

R. Circa dierum festorum sanctificationem nos hodie tenemur ad dies dominicos aliosque dies festos ab Ecclesia praescriptos sanctificandos eo modo, quo Ecclesia praecipit. [1]

Sectio 2ª. – De reliquis septem Decalogi mandatis quae ad nosmetipsos et ad proximum referuntur.

Art. 4. – De quarto Decalogi mandato.

Q. 207. *Quid Deus praecipit quarto Decalogi mandato:* Honora patrem tuum et matrem tuam?

R. Quarto Decalogi mandato: *Honora patrem tuum et matrem tuam*, Deus praecipit ut parentibus, et iis qui locum parentum obtinent, debitus honor praestetur; cui haec omnia coniuncta sunt: amor, observantia, obedientia et cultus. [2]

---

tempus quo sabbati cultus tollendus erat, illud ipsum fuit, quo ceteri hebraici cultus caeremoniaeque antiquandae erant, morte scilicet Christi. – Catechismus ad parochos, *p. III, c. IV, n. 4 et seq.*

[1] Dies festi, ex Ecclesiae praecepto sanctificandi, postea exponuntur *q. 243 et seq.*

[2] Exod., *XX, 12;* Deut., *V, 16; XXVII, 16;* Eccli., *VII, 29, 30;* Paul., *ad Ephes., VI, 1-3; ad Coloss., III, 20.* – Catechismus ad parochos, *p. III, c. V, n. 7:* « *Honorare* est de aliquo « honorifice sentire, et quae illius sunt, maximi putare omnia. « Huic autem honori haec omnia coniuncta sunt: amor, obser- « vantia, obedientia et cultus ».

Q. 208. *Solumne honorem debemus parentibus praestare?*

R. Parentibus debemus non solum honorem praestare, sed etiam auxilium, praesertim in eorum necessitatibus spiritualibus et temporalibus.

Q. 209. *Quid praemii Deus promittit filiis, qui parentibus debitum honorem praestant?*

R. Deus filiis, qui parentibus debitum honorem praestant, promittit benedictionem et, si id animae saluti expedire iudicaverit, vitam longaevam. [1]

Q. 210. *Hoc mandato solumne filiorum officia in parentes praescribuntur?*

R. Hoc mandato non praescribuntur solum officia filiorum in parentes, sed indirecte etiam officia coniugum inter se et erga filios, itemque mutua iura ac officia tum subditorum ac superiorum, tum operariorum ac dominorum. [2]

Q. 211. *Quaenam sunt officia coniugum inter se?*

R. Coniuges sibi debent mutuum amorem, adiutorium et fidelitatem, et uxor viro suo obedientiam. [3]

Q. 212. *Quaenam sunt officia parentum in filios?*

R. Officia parentum in filios ex ipso naturae iure

---

[1] Deut., *V, 16;* Eccli., *III, 2-18;* Paul., *ad Ephes., VI, 1-3;* Catechismus ad parochos, *p. III, c. V, n. 17-19.*

[2] Sola Christi Ecclesia potest inter varias hominum classes pacem concordiamque tueri; non enim ideo diversae sunt classes sociales ut sese invicem odio persequantur, sed potius ut mutuo amore et auxilio homines copulentur, sicut decet eos qui in Christo fratres sunt. Haec aliaque permulta docet et inculcat Leo XIII, *Encycl.* Rerum novarum, *15 maii 1891.*

[3] Paul., *1ª ad Cor., XI, 3; ad Ephes., V, 22-33; ad Coloss., III, 18, 19; ad Tit., II, 4-5;* 1ª Petr., *III, 1;* Codex I. C., *can. 1033, 1128.*

sunt: curare rectam eorum educationem, maxime religiosam et moralem, atque etiam temporali eorum bono pro viribus providere. [1]

Q. 213. *Praeter parentes cuinam competit ius et officium curandi rectam iuvenum educationem?*

R. Ius et officium curandi rectam iuvenum educationem, praeter parentes, competit Statui, qui supplet parentum insufficientiam in bonum communitatis, et praestantiore quodam modo Ecclesiae ex ipso munere a Christo Domino eidem commisso docendi omnes gentes easque perducendi ad supernaturalem sanctificationem et tandem ad vitam aeternam. [2]

Q. 214. *Quaenam sunt officia subditorum erga suos legitimos superiores?*

R. Subditi suis legitimis superioribus, sive ecclesiasticis sive civilibus, debent reverentiam et obedientiam

---

[1] Eccli., *VII, 25-27; XXX, 1-3;* Paul., *ad Ephes., VI, 4; ad Coloss., III, 21;* Codex I. C., *can. 1131;* Catechismus ad parochos, *p. III, c. V, n. 21.* – Quoniam vero religionis morumque disciplina institutione catechistica maxime nititur, consequens est magno teneri parentes officio curandi ut sui ipsorum filii catechismo recte instruantur; maximeque mater, quae suos natos debet usque a teneris unguiculis ea quae catechismi initio sunt, gradatim docere. Et si filiorum educationem aliis delegare coguntur, meminerint parentes officii sui sanctissimi et instituta et praeceptores eligendi, qui ad has tanti muneris partes recte explendas sint idonei. Nec vero omittant religiosam et moralem, quae suis liberis traditur, educationem diligenter inspicere; quam si mancam repererint, eam suppleant: si mendosam, filios melioribus educatoribus credere ne dubitent.

[2] Pius XI, *Encycl.* Divini illius Magistri, *31 dec. 1929.*

cum quadam similitudine pietatis, quae liberorum est erga parentes. [1]

Q. 215. *Quinam sunt superiores ecclesiastici, quibus non solum reverentia, sed etiam obedientia praestari debet?*

R. Superiores ecclesiastici quibus non solum reverentia, sed etiam obedientia praestari debet ad normam sacrorum canonum, sunt Romanus Pontifex, proprius Episcopus aliusve Praelatus ecclesiastica iurisdictione pollens, ac proprius parochus in exercitio ministerii paroecialis.

Q. 216. *Curnam reverentia et obedientia debetur auctoritati civili?*

R. Reverentia et obedientia debetur legitimae auctoritati civili, quavis eam in persona esse constiterit, quia haec, non secus ac societas, a natura proptereaque a Deo ipso oritur, naturae auctore. [2]

Q. 217. *Ad quid tenentur superiores erga suos subditos?*

R. Superiores debent, pro suo quisque officio, suorum subditorum curam habere, bonum eis exemplum in omnibus praebere, rationem reddituri non solum hominibus, sed ipsi Deo. [3]

---

[1] Paul., *ad Rom., XIII, 1-7; 1ª ad Tim., II, 1-3; ad Hebr., XIII, 17; 1ª* Petr., *II, 13-18;* Leo XIII, *Encycl.* Immortale Dei, *1 nov. 1885.*

[2] Sap., *VI, 4;* Prov., *VIII, 15;* Paulus, *ad Rom., XIII, 1, 2:* « Non est potestas, nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt ». – Leo XIII, *cit. Encycl.* Immortale Dei, *n. 6, 7, 11;* S. Ioan. Chrysost., *In Epist. ad Rom., XXXIII, 1.*

[3] Paul., *ad Hebr., XIII, 17; 1ª ad Tim., IV, 12.*

Q. 218. *Erga suos dominos ad quid tenentur operarii?*

R. Operarii erga suos dominos debent: quod libere et cum aequitate pactum sit, id integre et fideliter reddere, non rei ullo modo nocere, non personam violare dominorum, in ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem induere umquam, nec cum flagitiosis hominibus commisceri. [1]

Q. 219. *Quaenam sunt officia dominorum erga suos operarios?*

R. Domini suos operarios debent: ex animo, uti fratres in Christo, diligere, debitam mercedem eis retribuere, curare ut iidem pietati, idoneo temporis spatio, vacent, nullo pacto eos abducere a domestica cura parsimoniaeque studio, neque iisdem imponere opera quae vel sanitati noceant vel vires excedant vel cum aetate sexuque dissideant. [2]

---

[1] Paul., *ad Ephes., VI, 5-8; ad Coloss., III, 22-25; ad Tit., II, 9, 10; 1ª* Petr., *II, 18;* Leo XIII, *Encycl.* Rerum novarum, *15 maii 1891;* Catechismus ad parochos, *p. III, c. VIII, n. 9.*

[2] Paul., *ad Ephes., VI, 9; ad Coloss., IV, 1;* Iac., *V, 4;* Codex I. C., *can. 1524.* – « Ut mercedis statuatur ex aequitate « modus causae sunt considerandae plures; sed generatim locu- « pletes atque heri meminerint, premere, emolumenti sui causa, « indigentes ac miseros, alienâque ex inopia captare quaestum, « non divina, non humana iura sinere. Fraudare vero quemquam « mercede debita, grande piaculum est, quod iras e caelo ultrices « clamore devocat: *Ecce merces operariorum ... quae fraudata « est a vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth « introivit* (Iac., *V, 4*). Postremo religiose cavendum locupletibus « ne proletariorum compendiis quicquam noceant nec vi, nec « dolo, nec fenebribus artibus: idque eo vel magis quod non « satis illi sunt contra iniurias atque impotentiam muniti, eorum-

Q. 220. *Quandonam parentibus aliisque superioribus debemus non obedire?*

R. Parentibus aliisque superioribus debemus non obedire, quando praeceptum urget maioris potestatis, uti si quid mandaverint quod praeceptis Dei vel Ecclesiae sit contrarium. [1]

Q. 221. *Quandonam eisdem possumus non obedire?*

R. Eisdem possumus non obedire, quando praeceptum est ea de re, in qua non sumus subditi, ex. gr., praeceptum de statu vitae eligendo. [2]

Art. 2. – De quinto Decalogi mandato.

Q. 222. *Quid Deus prohibet quinto Decalogi mandato:* Non occides?

R. Quinto Decalogi mandato: *Non occides*, Deus prohibet iniuste proximo mortem, aliudve damnum sive corporis sive animae inferre, vel ad illud cooperari. [3]

« que res, quo exilior, hoc sanctior habenda »; Leo XIII, *cit. Encycl.* Rerum novarum. Consonat Pius XI in *Encycl.* Quadragesimo, *15 maii 1931.*

[1] Matth., *X, 37;* Luc., *XIV, 26;* Act., *V, 29:* « Obedire « oportet Deo magis quam hominibus »; Leo XIII, *Encycl.* Quod apostolici muneris, *28 dec. 1878;* S. Thomas, $2^a\ 2^{ae}$, *q. 104, a. 5.*

[2] « In deligendo genere vitae, non est dubium quin in po- « testate sit arbitrioque singulorum alterutrum malle, aut Iesu « Christi sectare de virginitate consilium, aut maritali se vinculo « obligare ». Leo XIII, *cit. Encycl.* Rerum novarum.

[3] Exod., *XX, 13;* Deut., *V, 17;* Matth., *V, 21, 22, 43-47; XVIII, 6-9.* – Hinc hoc mandato ipsa procuratio abortus prohibetur. – At vim vi repellere contra iniustum aggressorem servato moderamine inculpatae tutelae, omnes leges omniaque iura permittunt.

Q. 223. *Quonam modo damnum animae infertur?*

R. Damnum animae infertur per scandalum, idest per dictum vel factum minus rectum, praebens proximo occasionem spiritualis ruinae. [1]

Q. 224. *Ad quid tenetur qui proximi personae iniuste damnum intulit?*

R. Qui proximi personae damnum intulit, tenetur ad illatum damnum pro viribus resarciendum.

Q. 225. *Hoc mandato prohibetne Deus etiam suicidium?*

R. Hoc mandato prohibet Deus etiam suicidium, quod, sicut homicidium, est contra iustitiam, laedendo iura Dei in vitam hominis, et contra caritatem quam nobismetipsis aliisve debemus, et ipsum poenitentiae tempus per se adimit. [2]

Q. 226. *Hoc mandatum vetatne etiam duellum?*

R. Hoc mandatum vetat etiam duellum, ob quamlibet rationem, privata auctoritate, initum, quia duellum induit malitiam homicidii et suicidii. [3]

Q. 227. *Solumne hae actiones hoc mandato prohibentur?*

R. Hoc mandato non tantum hae actiones prohibentur, sed etiam privatae vindictae, irae, odia, invidiae, altercationes, convicia, quae facile ad illas provocant. [4]

---

[1] S. Thomas, *2ª 2ªe, q. 43, a. 1.*

[2] Codex I. C., *can. 1240, § 1, n. 3, et can. 2350, § 2;* S. Thomas, *2ª 2ªe, q. 64, a. 5.*

[3] Alex. VII, *Prop. 2 inter damnatas, 24 sept. 1665;* Leo XIII, *Epist.* Pastoralis officii, *22 sept. 1891;* Codex I. C., *can. 1240, § 1, n. 4,* et *can. 2351.*

[4] Matth., *V, 21, 22; 1ª* Ioan., *III, 15.*

Art. 3. – De sexto Decalogi mandato.

Q. 228. *Quid Deus prohibet sexto Decalogi mandato:* Non moechaberis?

R. Sexto Decalogi mandato: *Non moechaberis*, Deus prohibet non solum infidelitatem in matrimonio, sed etiam quodlibet aliud peccatum externum contra castitatem, et quidquid ad peccatum impuritatis inducit. [1]

Q. 229. *Quaenam sunt praecipuae causae quae inducunt ad peccatum contra castitatem et quae debent sedulo vitari?*

R. Praeter diaboli suggestiones et concupiscentiae motus, praecipuae causae quae inducunt ad peccatum contra castitatem et quae debent sedulo vitari, sunt: otium, intemperantia in cibo et potu, societas mala, sermones obsceni, lectiones pravae, spectacula turpia, choreae immodestae, vestes indecentes, familiaritates et occasiones periculosae, etc. [2]

---

[1] Exod., *XX, 14;* Deut., *V, 18;* Matth., *V, 27, 28;* Paul., *ad Rom., I, 26, 27; 1ª ad Cor., V, 9 et seqq.; VI, 9, 10, 13 et seq.; ad Ephes., V, 3-7; 1ª ad Thess., IV, 4; 1ª ad Tim., I, 9, 10; ad Hebr., XIII, 4.* Peccatum contra castitatem profluit ex *incontinentia* seu *luxuria*, quae definitur: inordinatus appetitus vel usus rei venereae; et, directe volita, expresse intenta et cum plena deliberatione admissa, a lethali nunquam vacat. Sexto Decalogi mandato prohibetur externum luxuriae peccatum; nono, internum.

[2] Prov., *VII, 5 et seq.;* Eccli., *IX, 1-13; XIX, 2; XLII, 12;* Paul., *1ª ad Cor., XV, 33; ad Ephes., V, 3, 4, 18; ad Coloss., III, 8;* Pius XI, *Encycl.* Divini illius Magistri, *31 dec. 1929.* – Ad custodiendam pulcherrimam castitatis virtutem vigilantia tibi, o christiane, multo maiore opus est quam ad reliquas

Q. 230. *Quaenam esse solent praecipua consectaria peccati incontinentiae?*

R. Praeter damna quae saepe obveniunt sanitati, praecipua consectaria peccati incontinentiae esse solent: mentis obscuratio, Dei timoris excussio, taedium rerum divinarum ac virtutis, duritia cordis, fidei amissio et non raro impoenitentia finalis. [1]

Q. 231. *Quaenam sunt praecipua media ad castitatem servandam?*

R. Praecipua media ad castitatem servandam sunt: custodia et castigatio sensuum, fuga pravarum occasionum, temperantia in cibo et potu, oratio ac tenera pietas erga beatam Mariam Virginem, et praesertim frequens Confessio et Communio.

---

virtutes tuendas, quia pretioso illi thesauro non modo externae perpetuo insidiantur illecebrae, sed etiam animi motus et voluptatis appetitus, qui ex ipsa carne nostra oriuntur atque excitantur. Verum quantacumque diligentia adhibebitur, omni ea carebit effectu, nisi caelestibus fulciatur auxiliis, quae tamen Deus nemini denegat qui rite postulaverit. Quare, o christiane, si non ad verbum, saltem ad sensum, illam dic saepe preculam, quam sacerdos in praeparatione ad Missam recitat: «Ure «igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum Domine, «ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus».

[1] Iob, *XXXI, 9-12;* Prov., *XXIII, 27; XXIX, 3;* Eccli., *XIX, 3;* Os., *IV, 11, 12; V, 4;* Paul., *ad Rom., I, 24 et seq.; 1ª ad Cor., II, 14; V, 1-5; ad Ephes., V, 3, 4; ad Coloss., III, 5-8; 1ª* Petr., IV, *3, 4;* S. Thomas, *2ª 2ªe, q. 153, a. 5,* ubi filiae luxuriae enumerantur et explicantur: caecitas mentis, inconsideratio, praecipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi et horror futuri.

Art. 4. – De septimo Decalogi mandato.

Q. 232. *Quid Deus prohibet septimo Decalogi mandato:* Non furtum facies?

R. Septimo Decalogi mandato: *Non furtum facies*, Deus prohibet quamlibet iniustam rei alienae vel usurpationem, vel damni illationem, vel ad utrumque cooperationem. [1]

Q. 233. *Qui hoc mandatum violat, ad quid tenetur?*

R. Qui hoc mandatum violat, pro viribus tenetur ex iustitia ad rem alienam restituendam et damnum reparandum.

Q. 234. *Quandonam obligatio restitutionis et reparationis gravis est?*

R. Obligatio restitutionis et reparationis gravis est, si materia gravis fuit aut ex communi aestimatione, aut ex gravitate damni quod rei dominus passus est.

Art. 5. – De octavo Decalogi mandato.

Q. 235. *Quid Deus prohibet octavo Decalogi mandato:* Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium?

R. Octavo Decalogi mandato: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, Deus prohibet ne mendacium proferamus, ne iuremus falsum, neve quidquam damni proximo verbis inferamus. [2]

---

[1] Exod., *XX*, *15;* Deut., *V*, *19;* Paul., *1ª ad Cor.*, *VI*, *10;* Apoc., *IX*, *21*.

[2] Exod., *XX*, *16;* Deut., *V*, *20;* Prov., *VI*, *19; XII*, *22;* Sap., *I*, *11;* Eccli., *VII*, *13; XX*, *26-28;* Paul., *ad Ephes.*, *IV*, *25; ad Coloss.*, *III*, *9*.

Q. 236. *Quomodo damnum proximo verbis infertur?*

R. Damnum proximo verbis infertur praesertim calumnia, detractione, contumelia, iudicio temerario emisso, violatione secreti. [1]

Q. 237. *Ad quid tenetur qui verbis bonam proximi famam laesit?*

R. Qui verbis bonam proximi famam laesit, tenetur ex iustitia ad illam pro viribus resarciendam, et ad illatum damnum compensandum; quae obligatio gravis est, si damnum illatum grave fuit.

Art. 6. – De duobus ultimis Decalogi mandatis.

Q. 238. *Quid Deus prohibet nono Decalogi mandato:* Non desiderabis uxorem eius?

R. Nono Decalogi mandato: *Non desiderabis uxorem*

[1] *Mendacium*, stricte sumptum, est propositio scienter contraria veritati et per se apta ad inducendum proximum in errorem. *Calumnia* est laesio alienae famae per narrationem criminis falsi; qui vero alienam famam narratione criminis quidem veri, sed occulti, laedit sine iusta causa, is *detractionem* committit. *Contumelia* est per se honoris laesio, quae irrogatur personae vel physice vel moraliter praesenti, sed latiore sensu comprehendit quoque honoris laesionem absenti vel voce vel scriptis irrogatam. *Iudicium temerarium* definitur iudicium firmum de alieno peccato sine sufficienti ratione conceptum. *Violatio secreti* est iniusta aut exploratio aut manifestatio rei occultae vel occultandae, itemque usus secreti iniuste acquisiti. « Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem « habentes », Eccli., *XXVIII, 15;* Prov., *VIII, 13;* S. Thomas, $2^a\ 2^{ae}$, *q. 73, a. 2:* « Auferre alicui famam, valde grave est, quia « inter res temporales videtur fama esse pretiosior, per cuius de- « fectum impeditur homo a multis bene agendis; propter quod « dicitur *Eccli., XLI: Curam habe de bono nomine: hoc enim « magis permanebit tibi, quam mille thesauri magni et pretiosi* ».

eius, Deus prohibet non modo huiusmodi pravum desiderium, sed etiam quodlibet peccatum internum contra castitatem, sicuti externum expresse prohibet sexto mandato. [1]

Q. 239. *Quid Deus prohibet decimo Decalogi mandato:* Non concupisces eius bona?

R. Decimo Decalogi mandato: *Non concupisces eius bona*, Deus prohibet iniuste et inordinate appetere bona aliena. [2]

Q. 240. *Quaenam est summa omnium Decalogi mandatorum?*

R. Summa omnium Decalogi mandatorum haec est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, et proximum tuum sicut teipsum. [3]

Q. 241. *Tenenturne omnes etiam ad officia proprii status servanda?*

R. Tenentur omnes etiam ad officia proprii status diligenter servanda, officia nempe quibus adstringuntur ratione suae quisque conditionis vel muneris.

---

[1] Exod., *XX*, *17;* Deut., *V*, *21*.

[2] Exod., *XX*, *17;* Deut., *V*, *21;* Paul., *1ª ad Tim.*, *VI*, *10*.

[3] Lev., *XIX*, *18;* Deut., *VI*, *5;* Matth., *XXII*, *37-40*, Marc., *XII*, *30-31;* Luc., *X*, *27;* Paul., *ad Rom.*, *XIII*, *10; ad Gal.*, *V*, *14;* Iac., *II*, *8;* S. Leo Magnus, *Sermo IX*, *De ieiunio septimi mensis:* « Dilectio proximi dilectio Dei est, qui plenitu- « dinem legis et prophetarum in hac geminae caritatis unitate « constituit »; S. Thomas, *1ª 2ªe*, *q. 100*, *a. 3*, *ad 1um;* Catechismus ad parochos, *p. III*, *c. I*, *n. 1*.

Caput V.

De praeceptis Ecclesiae.

Q. 242. *Quot sunt Ecclesiae praecepta?*

R. Ecclesiae praecepta plura sunt, quae omnia catholicus servare debet, ex. gr. non leggendi nec retinendi libros prohibitos, non dandi nomen sectae massonicae aliisve eiusdem generis sectis, abstinendi a solemni nuptiarum benedictione tempore clauso, corpora fidelium non cremandi, aliaque; sed initio huius Catechismi catholici quinque tantum enumerata sunt, quae ad ordinariam vitam spiritualem omnium fidelium magis attinent.

Art. 1. – De primo Ecclesiae praecepto.

Q. 243. *Quid Ecclesia praescribit primo praecepto:* Diebus dominicis aliisque festis de praecepto Missam audire et ab operibus servilibus vacare?

R. Primo praecepto: *Diebus dominicis...*, Ecclesia modum praescribit diem dominicum aliosque dies festos de praecepto sanctificandi; quod fit praesertim Missam audiendo et abstinendo ab operibus servilibus. [1]

Q. 244. *Nonne ipsum naturae ius exigit ut homo aliquod tempus divino cultui tribuat?*

R. Ipsum naturae ius exigit ut homo aliquod tempus divino cultui tribuat, quatenus a negotiis corporisque laboribus feriatus, Deum creatorem, a quo in-

[1] Codex I. C., *can. 1248.*

super summa et innumerabilia beneficia accepit, et animo et corpore pie colat ac veneretur. [1]

Q. 245. *Quinam sunt dies festi de praecepto in Ecclesia universali?*

R. Dies festi de praecepto in Ecclesia universali, praeter dies dominicos, sunt dies Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et SSm̃i Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis beatae Mariae Virginis, S. Ioseph eius sponsi, Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum. [2]

Q. 246. *Praeter auditionem Missae, in quaenam opera convenit ut christianus diebus dominicis aliisque festis de praecepto incumbat?*

R. Praeter auditionem Missae, diebus dominicis aliisque festis de praecepto convenit ut christianus, pro sua facultate, incumbat in opera pietatis et religionis, maxime sacris functionibus assistendo, ac sacras conciones et catechesim audiendo.

Q. 247. *Quaenam opera dicuntur servilia?*

R. Dicuntur servilia opera quae a servis seu mercenariis fieri solent, et ea sunt quae praecipue corporis viribus fiunt et ad corporis praecipue utilitatem diriguntur.

Q. 248. *Suntne aliqua opera servilia quae diebus dominicis aliisque festis de praecepto permittuntur?*

R. Diebus dominicis aliisque festis de praecepto permittuntur opera servilia, quae ad Dei cultum proxime pertinent, vel ad ordinariam domestici vel publici servitii necessitatem, aut quae vel caritas exigit, vel

---

[1] Catechismus ad parochos, *p. III, c. IV, n. 11.*

[2] Codex I. C., *can. 1247 et seq.*

sine incommodo gravi omitti nequeunt, vel probata consuetudo permittit.

Q. 249. *Diebus dominicis aliisque festis de praecepto solumne ab operibus servilibus est abstinendum?*

R. Diebus dominicis aliisque festis de praecepto abstinendum est non solum ab operibus servilibus, sed etiam ab actibus forensibus, et, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, a publico mercatu, nundinis aliisque publicis emptionibus et venditionibus.

Q. 250. *Peccantne qui dies dominicos aliosque festos de praecepto non servant, vel aliis impedimento sunt ne eosdem servent?*

R. Graviter peccant qui sine iusta causa dies dominicos aliosque festos de praecepto non servant, vel aliis impedimento sunt ne eosdem servent.

Art. 2. – De secundo Ecclesiae praecepto.

Q. 251. *Quid praescribitur secundo praecepto:* Diebus ab Ecclesia statutis ab esu carnium abstinere et ieiunium servare?

R. Secundo praecepto: *Diebus ab Ecclesia...*, praescribitur ut diebus ab Ecclesia statutis servemus aut solum ieiunium, aut solam abstinentiam ab esu carnium, aut ieiunium simul et abstinentiam. [1]

Q. 252. *Quid iubet solius ieiunii lex?*

R. Solius ieiunii lex iubet ut una dumtaxat per diem comestio fiat, sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata, quod ad ciborum quan-

[1] Codex I. C., *can. 1250 et seq.*

titatem et qualitatem pertinet, probata locorum consuetudine.

Q. 253. *Quid vetat lex solius abstinentiae ab esu carnium?*

R. Lex solius abstinentiae ab esu carnium vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.

Q. 254. *Quibus diebus obligant hae leges?*

R. Nisi aliter a legitima auctoritate indultum fuerit:

1° lex solius abstinentiae obligat singulis feriis sextis;

2° lex abstinentiae simul et ieiunii, feria IV Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae, feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Assumptionis beatae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini;

3° lex solius ieiunii, reliquis Quadragesimae diebus, dominicis exceptis.

Q. 255. *Suntne aliqui dies quibus hae leges non urgent?*

R. Diebus dominicis aliisque festis de praecepto et Sabbato Sancto post meridiem lex abstinentiae, vel abstinentiae et ieiunii, vel ieiunii tantum, non urget, excepto festo de praecepto tempore Quadragesimae; nec pervigilia anticipantur. [1]

Q. 256. *Quinam abstinentiam et ieiunium servare debent?*

R. Nisi sint legitime excusati vel dispensati, abstinentiam servare debent omnes qui, rationis satis com-

[1] Codex I. C., *can.*, *1252*, § 4.

potes, septimum annum compleverunt; ieiunium vero omnes a completo vicesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum.

Q. 257. *Curnam Ecclesia praescribit ieiunium et abstinentiam?*

R. Ecclesia praescribit ieiunium et abstinentiam, ut fideles poenitentiam agant de peccatis commissis, praecaveant a futuris, atque ita efficacius vacent orationi. [1]

Art. 3. – De tertio et quarto Ecclesiae praecepto.

Q. 258. *Quid Ecclesia praescribit tertio praecepto:* Peccata saltem semel in anno confiteri?

R. Tertio praecepto: *Peccata saltem semel in anno confiteri*, Ecclesia praescribit ut fideles, cum ad aetatem discretionis pervenerint, confessionem saltem annuam peccatorum mortalium peragant, quae non fuerunt in praecedentibus confessionibus directe remissa. [2]

---

[1] Tob., *XII, 8;* Ioel, *II, 12, 15;* Matth., *VI, 16; IX, 15; XVII, 20;* Marc., *II, 20;* Luc., *II, 37; V, 35;* Paul., *ad Rom., XIII, 13; 2ª ad Cor., VI, 5; XI, 27; ad Ephes., V, 18; 1ª ad Thess., V, 6; ad Tit., II, 2.*

[2] Conc. Lat. IV, *cap. 21;* Conc. Trid., *sess. XIV, de Poenitentia, cap. 5.* – Si vis animam tuam a peccatis immunem servare, recteque vitam, ut christianum decet, agere, frequenter ad Poenitentiae sacramentum accede, et quidem diligenti praeparatione semper adhibita; neve aliter confiteri assuescas, quam si illico post confessionem esses moriturus. Accepta autem absolutione, Deo gratias age, quod tam misericordem tibi se praebuerit; deinde, si potes, poenitentiam statim persolve.

Q. 259. *Quid Ecclesia praescribit quarto praecepto:* Eucharistiae sacramentum saltem in Paschate recipere?

R. Quarto praecepto: *Eucharistiae sacramentum saltem in Paschate recipere*, Ecclesia praescribit ut quisque fidelis, qui discretionis aetatem attigerit, saltem tempore paschali Eucharistiam recipiat.[1]

Q. 260. *Debentne fideles huic praecepto satisfacere in suo quisque ritu et in propria paroecia?*

R. Licet fideles stricta obligatione ad id non teneantur, suadendum tamen ipsis est, ut huic praecepto satisfaciant in suo quisque ritu et in propria paroecia; et qui in alieno ritu vel in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de servato praecepto certiorem facere.[2]

Q. 261. *Curnam Ecclesia tertio et quarto praecepto addidit verbum* saltem?

R. Ecclesia tertio et quarto praecepto addidit verbum *saltem*, ut edoceret valde expedire et in suis optatis esse, ut fideles, etiam ii qui non habent nisi peccata venialia aut peccata mortalia iam directe remissa, saepius confiteantur; et frequenter, imo etiam quotidie, ad Eucharisticam mensam pie accedant.[3]

---

[1] Conc. Lat. IV, *l. c.;* Conc. Trid., *sess. XIII, De Eucharistia, can. 9;* Codex I. C., *can. 859, § 1.*

[2] Codex I. C., *l. c., § 3, et can. 866, § 2.* – In Ecclesia latina sacra Communio praebetur sub unica specie panis, in plerisque orientalibus Ecclesiis sub utraque.

[3] S. C. Concilii, *Decret.* Sacra Trid. Synodus, *20 dec. 1905;* S. Congr. de discipl. Sacram., *Decret.* Quam singulari, *8 aug. 1910, n. VI.* – Frequenter ad sacram Communionem accede puro animo ardentique desiderio. Nullum tempus pretiosius

Q. 262. *Quaenam est aetas discretionis, qua utrumque praeceptum Confessionis et Communionis urgere incipit?*

R. Aetas discretionis, qua utrumque praeceptum Confessionis et Communionis urgere incipit, ea est in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum aetatis annum sive supra sive etiam infra. [1]

Q. 263. *Haec obligatio quae pueros gravat, reciditne etiam in alios?*

R. Haec obligatio quae pueros gravat, in eos quoque et praecipue recidit, qui ipsorum curam habere debent, hoc est in parentes, in tutores, in institutores, in confessarium et in parochum. [2]

Q. 264. *Quaenam doctrinae christianae cognitio requiritur, ut puer ad primam Communionem admitti possit et debeat?*

R. Ut puer ad primam Communionem admitti possit et debeat:

1º in periculo mortis satis est ut sciat Corpus Christi a communi cibo discernere, illudque reverenter adorare;

2º extra periculum mortis requiritur praeterea ut fidei saltem mysteria necessaria de necessitate medii pro suo captu percipiat, atque Eucharisticum panem a communi et corporali distinguat, ut ea devotione,

---

est illo quo amantem Salvatorem tuum intime tibi unitum tenes. Ne graveris per aliquod tempus cum eo in gratiarum actione commorari.

[1] S. C. de discipl. Sacram., *l. c.*, *n. I.*

[2] S. C. de discipl. Sacram., *l. c.*, *n. IV;* Codex I. C., *can. 860, 1340.*

quam ipsius fert aetas, ad sanctissimam Eucharistiam accedat.[1]

Q. 265. *Peracta prima Communione, ad quid pueri tenentur?*

R. Peracta prima Comunione, pueri tenentur integrum catechismum, in eorum gratiam compositum, pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.[2]

Q. 266. *Quodnam est hac de re officium parentum aliorumque qui puerorum curam habent?*

R. Parentum aliorumque qui puerorum curam habent, est hac de re officium gravissimum providendi ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant; sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant.[3]

Q. 267. *Quandonam currit tempus paschale ad Communionem recipiendam?*

R. Tempus paschale ad Communionem recipiendam currit a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, nisi aliter a legitima Ecclesiae auctoritate indultum fuerit.[4]

Q. 268. *Cessatne praeceptum Communionis, cui paschali tempore non sit satisfactum?*

R. Praeceptum Communionis, cui paschali tempore non sit satisfactum, nequaquam cessat, et intra eundem annum, cum primum fieri poterit, servandum est.

---

[1] S. C. de discipl. Sacram., *l. c., n. II, III;* Codex I. C., *can. 854;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. IV, n. 62, 63 et c. V, n. 44.* – Conditiones requisitae ad sacram Communionem digne ac devote recipiendam, exponuntur *qq. 399 et seq.*

[2] S. C. de discipl. Sacram., *l. c., n. II.*

[3] S. C. de discipl. Sacram., *l. c., n. VI.*

[4] Codex I. C., *can. 859, § 2.*

Q. 269. *Obtemperaturne praecepto annuae Confessionis vel paschalis Communionis per sacrilegam Confessionem vel Communionem aut per Confessionem voluntarie nullam?*

R. Nec per sacrilegam Confessionem vel Communionem, nec per Confessionem voluntarie nullam praecepto annuae Confessionis vel paschalis Communionis obtemperatur, quin imo ex novo peccato praeceptum magis urget. [1]

Art. 4. – De quinto Ecclesiae praecepto.

Q. 270. *Quid Ecclesia praecipit quinto praecepto:* Ecclesiae clerique necessitatibus subvenire?

R. Quinto praecepto: *Ecclesiae clerique necessitatibus subvenire*, Ecclesia divinum mandatum fidelibus inculcat, ut necessitatibus temporalibus Ecclesiae ac cleri subveniant, secundum peculiaria statuta et laudabiles consuetudines. [2]

Q. 271. *Curnam id praecipitur?*

R. Id praecipitur, quia iustum est ut fideles sacrorum administris, pro ipsorum salute laborantibus, suppeditent unde et divini cultus expensis sufficere et se ipsi honeste sustentare possint.

---

[1] Codex. I. C., *can. 97*; S. C. S. Officii, *Decret. 24 Sept. 1665, prop. 14 damn.*

[2] Deut., *XVIII, 1-8;* Matth., *X, 10;* Luc., *X, 7;* Paul., *1ª ad Cor., IX, 9-14; 1ª ad Tim., V, 18;* Codex I. C., *can. 1502;* S. Thom., *2ª 2ªe, q. 87, a. 1.*

Caput VI.

De consiliis evangelicis.

Q. 272. *Praeter Dei mandata et praecepta Ecclesiae, suntne etiam consilia?*

R. Praeter Dei mandata et praecepta Ecclesiae, sunt etiam consilia a Christo Domino primum in Evangelio data, quae proinde dicuntur *consilia evangelica*.

Q. 273. *Quid sunt consilia evangelica?*

R. Consilia evangelica sunt media a Iesu Christo proposita ad spiritualem perfectionem facilius et plenius assequendam.

Q. 274. *Quaenam sunt praecipua consilia evangelica?*

R. Praecipua consilia evangelica sunt: paupertas voluntaria, castitas perfecta et peculiaris obedientia propter amorem Iesu Christi praestanda. [1]

Q. 275. *Quomodo horum consiliorum exercitio spiritualis perfectio facilius et plenius acquiritur?*

R. Horum consiliorum exercitio spiritualis perfectio facilius et plenius acquiritur, quia voluntatem per obedientiam, corpus per castitatem, externa bona per paupertatem Deo dedicantes, ad perfectam disponimur caritatem. [2]

---

[1] *De paupertate:* Matth., *XIX*, *21;* Marc., *X*, *21;* Luc., *XVIII*, *22*. *De castitate:* Matth., *XIX*, *12;* Paul., *1ª ad Cor.*, *VII*, *25*, *32*, *34*. *De obedientia:* Luc., *X*, *16;* Ioan., *XIII*, *20;* S. Thomas, *2ª 2ae*, *q. 86*, *a. 9*, *ad 1um*.

[2] Pius XI, *Encycl.* Quas primas, *11 dec. 1925*, *circa finem;* S. Thomas, *1ª 2ae*, *q. 108*, *a. 4*.

Q. 276. *Quinam consilia evangelica sequi debent?*

R. Consilia evangelica sequi debent qui libere ad id sese obligaverunt, uti, ex. gr., Religiosi, qui voto adstringuntur ad tria consilia evangelica servanda secundum regulam proprii Instituti. [1]

Q. 277. *Ut valeamus, sicuti oportet, credere quae credenda sunt, mandata Dei et Ecclesiae praecepta servare, et consilia evangelica sequi, indigemusne aliquo auxilio?*

R. Ut valeamus, sicuti oportet, credere quae credenda sunt, mandata Dei et Ecclesiae praecepta servare et consilia evangelica sequi, indigemus Dei gratia. [2]

---

[1] Quicumque divinae vocationi obsequentes, aliquod religiosae vitae Institutum, ab Ecclesia approbatum, amplectuntur, cum, pro suo quisque iure, christianae perfectioni, secundum evangelica consilia, student, etiam proximorum saiuti atque ipsi societati civili valde se utiles praebent; idque vel orationis assiduitate, vel virtutum exemplis, vel infirmorum atque omnis generis inopum cura, vel iuventutis institutione, vel sacrarum rerum et litterarum doctrina. Quare iustum est ut eos et singuli et familiae et civitates peculiaribus reverentiae, admirationis gratique animi significationibus prosequantur. – Leo XIII, *Epist. ad Card. Gibbons, 22 ian. 1899;* et *Epist. ad Card. Richard, 23 dec. 1900;* Pius XI, *Epist.* Unigenitus Dei Filius, *19 mart. 1924;* Codex I. C., *can. 487.*

[2] Ioan., *XV, 5;* Paul., *1ª ad Cor., III, 6; IV, 7; 2ª ad Cor., III, 5; ad Ephes., II, 8-10.*

Caput VII.

De gratia.

Q. 278. *Quid est gratia?*

R. Gratia est donum supernaturale, creaturae rationali a Deo gratuito concessum in ordine ad vitam aeternam assequendam.[1]

Q. 279. *Quotuplex est gratia?*

R. Gratia est alia habitualis, quae etiam sanctificans, seu iustificans vel etiam gratum faciens, appellatur, alia actualis.

Q. 280. *Quid est gratia habitualis?*

R. Gratia habitualis est supernaturalis qualitas, animae inhaerens, qua homo fit divinae consors naturae, templum Spiritus Sancti, amicus Dei eiusque filius adoptivus, heres caelestis gloriae, et ideo idoneus ad ponendos actus meritorios vitae aeternae.[2]

Q. 281. *Gratia habitualis estne necessaria ad vitam aeternam assequendam?*

R. Gratia habitualis est omnibus hominibus, etiam

---

[1] *Supernaturale* est id quod naturam excedit. Duplicis est generis: aliud quidem ex *modo* quo fit naturam superat, sed in se est ordinis naturalis, ex. gr., vita mortuo restituta; aliud vero etiam in seipso et quoad *essentiam* transcendit totum naturae ordinem, quia participat vitam Dei intimam, ut gratia sanctificans, virtutes infusae earumque actus, et ipsa vita aeterna, visio scilicet intuitiva Dei et amor Dei beatificus.

[2] Sap., *VII, 14;* Ioan., *I, 12, 13; III, 5; XV, 4, 14;* Paul., *ad Rom., V, 5; VIII, 14-17; 1ª ad Cor., IV, 7; XII, 3; ad Ephes., II, 8 et seq.; 2ª* Petr., *I, 4; 1ª* Ioan., *III, 1;* Conc. Trid., *sess. VI, De iustificatione, can. 11;* S. Cyrill. Alex., *In Ioann., I, 9.*

parvulis, absolute necessaria ad vitam aeternam assequendam.

Q. 282. *Operibus bonis, quae per Dei gratiam et Iesu Christi merita iustificati facimus, quid meremur?*

R. Operibus bonis, quae per Dei gratiam et Iesu Christi merita iustificati facimus, meremur augmentum gratiae, vitae aeternae (si tamen in gratia decedimus) consecutionem, atque etiam gloriae augmentum. [1]

Q. 283. *Quomodo amittitur gratia habitualis?*

R. Gratia habitualis amittitur quolibet peccato mortali. [2]

Q. 284. *Quomodo gratia habitualis recuperatur?*

R. Gratia habitualis recuperatur per cessationem a peccatis mortalibus coniunctam cum usu mediorum, quae Christus Dominus constituit ad iustificationem consequendam. [2]

Q. 285. *In statu peccati mortalis possuntne aliqua bona opera fieri?*

R. In statu peccati mortalis possunt aliqua bona opera fieri, sed non meritoria vitae aeternae, quibus tamen peccator, gratiae actualis ope, ad iustificationem disponitur. [3]

Q. 286. *Quid est gratia actualis?*

R. Gratia actualis est supernaturale Dei auxilium, quo Deus intellectum nostrum illuminat et voluntatem

---

[1] Conc. Arausic. II, *can. 18;* Conc. Trid., *l. c., can. 32.*

[2] Paul., *ad Rom., VI, 23; 1ª ad Cor., VI, 9 et seq.;* Iac., *I, 15; 1ª* Ioan., *III, 8;* Conc. Trid., *l. c., can. 27;* S. Basilius, *Sermo asceticus, I.* Haec media vide *q. 178.*

[3] Eccli., *XXI, 1;* Ezech., *XVIII, 30;* Dan., *IV, 24;* Paul., *ad Rom., II, 14;* Conc. Trid., *l. c.;* S. Aug., *De spiritu et litt., 48.*

movet ad bonum faciendum et ad malum vitandum in ordine ad vitam aeternam. [1]

Q. 287. *Gratia actualis estne nobis necessaria?*

R. Gratia actualis est nobis absolute necessaria, ut bonum operemur et malum vitemus in ordine ad vitam aeternam; quia, cum haec sit ordinis supernaturalis, solis viribus naturalibus nihil omnino cogitare, velle et perficere possumus, sicut oportet, ad eam assequendam. [2]

Q. 288. *Conceditne Deus omnibus gratias quibus indigent ad vitam aeternam?*

R. Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, omnibus concedit gratias quibus indigent ad vitam aeternam assequendam; sed, ut ad eam perveniant, si adulti sunt, necesse est ut Deo libere cooperentur cum eius auxilio,

---

[1] S. Ephraem, *De Epiphania, X, 14;* S. Cyrill. Alex., *De adoratione in spiritu et veritate, I.* – Solummodo interna gratia in habitualem et actualem dividitur; sed generali gratiae nomine intelligi potest et saepe intelligitur quodvis donum hominibus a Deo, salutis aeternae causa, gratuito collatum, cuiusmodi sunt etiam gratiae externae, uti recta institutio, Sacramenta, Ecclesiae magisterium, sacrae conciones, bonorum lectiones librorum, monita, poenae; immo etiam aegrotationes et ea quae vocantur vitae mala vel incommoda, et ipsa mors possunt aliquando gratiae actuales appellari, utpote quae a divina vel ordinatione vel permissione ad nostram salutem ordinentur vel permittantur. Hoc sub lumine supernaturali magni interest ut christianus omnia vitae suae eventa consideret.

[2] Paul., *2ª ad Cor., III, 5; ad Philipp., II, 13;* Conc. Arausic. II, *can. 3 et seq.;* Conc. Trid., *sess. VI, De iustif., can. 1-3;* S. Greg. Naz., *Oratio XXXVII, 13;* S. Ioann. Chrysost., *In Genesim, XXV, 7.*

quod eorum bona opera et adspirando praevenit et adiuvando prosequitur. [1]

Q. 289. *Quaenam sunt praecipua media ad Dei gratiam consequendam?*

R. Praecipua media ad Dei gratiam consequendam sunt oratio qua gratia impetratur, et Sacramenta quae eam continent et conferunt.

Caput VIII.

De oratione.

Sectio 1ª. – De oratione in genere.

Q. 290. *Quid est oratio?*

R. Oratio est pia animae in Deum elevatio, ad eum adorandum, ad gratias pro acceptis beneficiis agendas, ad veniam pro peccatis impetrandam et ad alia nobis aliisve necessaria vel utilia petenda.

Q. 291. *Estne necesse nobis orare?*

R. Necesse nobis est orare, quia haec est Dei voluntas, et quia Deus auxilia, quibus perpetuo indigemus, generatim non solet nisi petentibus concedere. [2]

[1] Ezech., *XXXIII, 11;* Ioan., *I, 9;* Paul., *1ª ad Tim., II, 4; IV, 10; 2ª* Petr., *III, 9;* Conc. Trid., *l. c., cap. 11;* Innoc. X, *31 maii 1653, contra errores Iansenii, prop. 1ª;* S. Ioann. Chrysost., *In Epist. ad Hebr., XVI, 4.*

[2] Eccli., *XVIII, 22;* Matth., *VII, 7, 8;* Luc., *XI, 9-13; XVIII, 1;* Paul., *ad Rom., XII, 12; ad Ephes., VI, 18; ad Coloss., IV, 2; 1ª ad Thess., V, 17;* S. Ioann. Chrysost., *In Gen., XXX, 5;* Catechismus ad parochos, *p. IV, c. I, n. 2.* – Sicut

Q. 292. *Quot sunt orationis species?*

R. Orationis species duae sunt: *mentalis*, qua mente et corde Deum alloquimur et veritates aeternas meditamur; *vocalis*, quae cum mentis attentione et cordis devotione ore funditur.

Q. 293. *Quotuplex est oratio vocalis?*

R. Oratio vocalis duplex est: *privata*, quae fit a singulari persona vel familia sive pro se sive pro aliis absque ministrorum Ecclesiae interventu; *publica*, quae per ministros Ecclesiae fit, Ecclesiae nomine, quaeque audit *liturgica*, si ab Ecclesia in suis libris instituitur.

Q. 294. *Quaenam oratione petere praecipue debemus?*

R. Oratione petere praecipue debemus Dei gloriam, nostram aliorumque aeternam salutem et media necessaria atque opportuna ad eam adipiscendam. [1]

Q. 295. *Licetne petere etiam bona temporalia?*

R. Licet petere etiam bona temporalia congruenter Dei voluntati, quatenus scilicet vel ad Dei gloriam profutura sint, vel nobis aliisve ad vitae aeternae adeptionem aliquo modo prosint, vel saltem ne quid obsint. [2]

---

respiratio ad vitam corporis, ita precatio ad animae vitam necessaria est: *quisquis orare solet, salutem; quisquis orare non consuevit, damnationem sibi parit.* Saepe igitur ore, saepius etiam, o christiane, corde Deum obsecrato: matutinas vespertinasque orandi formulas pie usurpato: atque in tentationibus et in vitae difficultatibus Deo supplex esto, illud alte insculptum in animo habens: *recte novit vivere, qui recte novit orare.*

[1] Matth., *VI, 9-13; XXI, 22; XXVI, 41.*

[2] Matth., *VIII, 2, 6, 25; IX, 18; XV, 22; XVII, 14;* Marc., *I, 40-42; VII, 32;* S. Thomas, 2^a 2^{ae}, *q. 83, a. 6;* Catechismus ad parochos, *p. IV, c. IV, n. 1 et seq.*

Q. 296. *Ad quemnam oratio ordinatur?*

R. Omnis quidem oratio ordinatur ad Deum, qui solus praestare nobis potest quae petimus; sed, ut pro nobis apud Deum intercedant, exoramus etiam Caelites omnes, praesertim beatam Mariam Virginem, et ipsas animas in Purgatorio detentas. [1]

Q. 297. *Quomodo oratio, ut sit efficax, fieri debet?*

R. Oratio, ut sit efficax, fieri debet: in nomine Iesu Christi cuius meritis innititur, pie, cum fide, spe, humilitate et perseverantia. [2]

Q. 298. *Curnam interdum non impetramus quae oratione petimus?*

R. Interdum non impetramus quae oratione petimus, vel quia non recte petimus, vel quia quae petimus non expediunt; sed tunc non est dubitandum quin congruo tempore alias gratias, vel potiores, Deus nobis largiturus sit. [3]

Q. 299. *Quaenam est oratio omnium perfectissima?*

R. Oratio omnium perfectissima est oratio dominica seu *Pater noster*, cui addi solet salutatio angelica seu *Ave, Maria*.

---

[1] Tob., *XII, 12;* Iob, *XLII, 8;* II Mach., *XV, 14;* Apoc., *V, 8; VIII, 3.*

[2] Tob., *XII, 8;* Eccli., *XXXV, 21;* Matth., *VI, 5, 6; VII, 7-11; XVII, 20; XXI, 22;* Marc., *XI, 24;* Ioan., *XVI, 23, 24;* Iac., *I, 5, 6; IV, 3; V, 16-18;* S. Aug., *Tract. 102 in Ioannem;* S. Thomas, $2^a\ 2^{ae}$, *q. 83, a. 4.*

[3] Catechismus ad parochos, *p. IV, c. II, n. 4.*

Sectio 2ª. – De oratione dominica et salutatione angelica.

Art. 1. – De oratione dominica.

Q. 300. *Curnam* Pater noster *appellatur* oratio dominica?

R. *Pater noster* appellatur *oratio dominica*, quia ipsemet Dominus noster Iesus Christus eam nos docuit.[1]

Q. 301. *Curnam oratio dominica est omnium perfectissima?*

R. Oratio dominica est omnium perfectissima, quia omnia continet quae petere debemus sive quod attinet ad Deum (primis tribus petitionibus), sive quod attinet ad nosmetipsos et proximum (reliquis petitionibus).[2]

Q. 302. *Quemnam invocamus per verba:* Pater noster?

R. Per verba: *Pater noster*, invocamus Deum tamquam tenerrimum patrem, ut nostrum amorem ac fiduciam in eum exprimamus, et eius benevolentiam et misericordiam nobis conciliemus.

---

[1] Matth., *VI, 9-13;* Luc., *XI, 2-4.*

[2] « Oratio dominica perfectissima est quia, sicut Augustinus « dicit (*Ep. 130, al. 121, ad Probam, c. 12*): *Si recte et congruenter « oramus, nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista oratione « dominica positum est.* Quia enim oratio est quodammodo desi- « derii nostri interpres apud Deum, illa recte solum orando « petimus, quae recte desiderare valemus. In oratione autem « dominica non solum petuntur omnia, quae recte desiderare pos- « sumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt; ut sic haec « oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informativa « totius nostri affectus »; S. Thomas, *2ª 2ªe, q. 83, a. 9.* – Omnes igitur orationem dominicam digne, attente ac devote saepe recitent.

Q. 303. *Curnam Deum vocamus* Patrem nostrum?

R. Deum vocamus *Patrem nostrum*, non solum quia ipse nos creavit, conservat, gubernat, sed maxime quia per gratiam suam nos filios suos adoptivos efficit. [1]

Q. 304. *Curnam dicimus:* Pater noster, *potius quam:* Pater mi?

R. Dicimus: *Pater noster*, potius quam: *Pater mi*, quia ex dono divinae adoptionis omnes fideles sunt fratres in Christo, et ideo unusquisque debet alios fraterno amore prosequi, et non solum pro se, sed et pro aliis orare. [2]

Q. 305. *Quid significamus per verba:* Qui es in caelis?

R. Per verba: *Qui es in caelis*, excitamur ad contemplandam infinitam Dei potestatem ac maiestatem, quae maxime elucet in opere caelorum, simulque recordamur caelestia bona, et quae cum his coniuncta sunt, praecipue a Deo esse petenda. [3]

Q. 306. *Quid postulamus prima petitione:* Sanctificetur nomen tuum?

R. Prima petitione: *Sanctificetur nomen tuum*, postulamus ut sanctum Dei nomen fiat omnibus notum, et corde, verbis ac bonis operibus ab omnibus celebretur. [4]

Q. 307. *Quid postulamus secunda petitione:* Adveniat regnum tuum?

R. Secunda petitione: *Adveniat regnum tuum*, postulamus ut Deus regnet in nos et in omnes homines per

---

[1] Deut., *XXXII, 6;* Ioan., *XVI, 26, 27;* Paul., *ad Rom. VIII, 15-17, 29; 1ª ad Cor., I, 9; 1ª* Ioan., *III, 1-3;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. II, n. 9.*

[2] Catechismus ad parochos, *p. IV, c. IX, n. 14 et seq.*

[3] Catechismus ad parochos, *p. IV, c. IX, n. 19, 20.*

[4] Psalm. *CXII, 1-3;* Paul., *ad Philipp., II, 9-11.*

gratiam suam atque in societatem nationesque per suam legem in terris, ut tandem participes fieri possimus eius gloriae aeternae in caelis. [1]

Q. 308. *Quomodo cooperari possumus in adventum regni Dei in terris?*

R. In adventum regni Dei in terris cooperari possumus et debemus, tum servando Christi legem et supernaturalem gratiae vitam in nobis excolendo, tum prece atque opera nostra operam Ecclesiae iuvando quae eo spectat ut vita privata, domestica, ac publica ad divinam legem conformetur, ut omnes errantes ad unitatem ipsius Ecclesiae redeant et lumen Evangelii populis afferatur, qui in tenebris et umbra mortis sedent.

Q. 309. *Quid postulamus tertia petitione:* Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra?

R. Tertia petitione: *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*, postulamus ut, sicuti Caelites omnes et animae in Purgatorio degentes, ita homines in terris peramanter voluntatem Dei semper et in omnibus faciant.

Q. 310. *Quid postulamus quarta petitione:* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?

R. Quarta petitione: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, postulamus ut Deus nobis concedat et panem spiritualem, id est omnia ad spiritualem animae vitam necessaria, signanter panem Eucharisticum, et panem corporalem, scilicet omnia quae ad corporis sustentationem requiruntur.

---

[1] Paul., *ad Rom.*, *XIV*, *17*; *1ª ad Cor.*, *VI*, *9*, *10*; *XV*, *50*; *ad Galat.*, *V*, *19-21*; *ad Ephes.*, *V*, *5*; Catechismus ad parochos, *p. IV*, *c. XI*, *n. 1 et seq.*

Q. 311. *Quid postulamus quinta petitione:* Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris?

R. Quinta petitione: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, postulamus a Deo ut peccata quae in ipsum commisimus et poenas quas pro peccatis meriti sumus, nobis condonet, sicuti nosmetipsi offensas nobis illatas offensoribus nostris condonamus. [1]

Q. 312. *Quid postulamus sexta petitione:* Et ne nos inducas in tentationem?

R. Sexta petitione: *Et ne nos inducas in tentationem*, nos, infirmitatem nostram agnoscentes, ad Deum oratione recurrimus ut nos liberet a tentationibus; sin minus, ut auxilium gratiae suae nobis praestet, quo tentationes superemus.

Q. 313. *Curnam Deus nos tentari permittit?*

R. Deus nos tentari permittit, ut infirmitatem nostram agnoscamus, ut fidelitas nostra probetur, et ut eius gratiâ tentationes superando, nosmetipsos in virtute exerceamus et merita vitae aeternae assequamur; numquam tamen Deus permittit nos tentari supra id quod, gratia sua adiuti, sustinere possumus. [2]

Q. 314. *Quaenam sunt efficaciora remedia adversus tentationes?*

R. Efficaciora remedia adversus tentationes sunt: fuga occasionum, meditatio *Novissimorum* et frequens

---

[1] Matth., *VI, 14, 15; XVIII, 35;* Marc., *XI, 25, 26;* Luc., *XI, 4.*

[2] Tob., *XII, 13;* Sap., *III, 5;* Paul., *1ª ad Cor., X, 13;* Iac., *I, 2, 14; 2ª* Petr., *II, 9;* Conc. Trid., *sess. VI, De iustif., cap. 11.*

Sacramentorum usus; in actu vero tentationis: signum crucis, humilis invocatio Angeli custodis, et praesertim sanctissimi nominis Iesu et beatae Mariae Virginis. [1]

Q. 315. *Quid postulamus septima petitione:* Sed libera nos a malo?

R. Septima petitione: *Sed libera nos a malo*, postulamus praesertim ut Deus nos liberet a malo spirituali quod est peccatum, ac proinde a diabolo qui ad peccatum impellit, nec non a ceteris malis, saltem ab illis quae nobis occasionem praebere possunt ad peccatum.

Q. 316. *Quid significat verbum* Amen *in fine ultimae petitionis?*

R. Verbum *Amen* in fine ultimae petitionis significat: *ita fiat, sicuti supra petivimus;* quod simul nostram fiduciam Dei promissis ostendit.

Art. 2. – De salutatione angelica.

Q. 317. *Curnam orationi dominicae addi solet* salutatio angelica?

R. Orationi dominicae addi solet *salutatio angelica*, ut per intercessionem beatae Mariae Virginis ea quae in oratione dominica imploramus, facilius a Deo impetremus.

Q. 318. *Cuiusnam sunt verba:* Ave, [Maria] gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus?

R. Verba: *Ave, [Maria] gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, sunt Archangeli Gabrielis, annuntiantis beatae Mariae Virgini mysterium incarnationis; et ideo haec oratio dicitur *salutatio angelica.* [2]

---

[1] Prov., *XVIII, 10;* Matth., *XVII, 20; XXVI, 41.*

[2] Luc., *I, 28.*

Q. 319. *Quid facimus, cum salutationem angelicam recitamus?*

R. Cum salutationem angelicam recitamus, nos gratulamur beatae Mariae Virgini de singularibus privilegiis et donis, quae Deus eidem prae omnibus aliis creaturis largitus est, et Deum ipsum propter haec glorificamus.

Q. 320. *Cuiusnam sunt et quid significant verba:* Benedictus fructus ventris tui?

R. Verba: *Benedictus fructus ventris tui*, sunt S. Elisabeth, beatam Mariam Virginem hospitio excipientis, et significant Christum Dominum, filium beatae Mariae Virginis, esse super omnia benedictum in saecula. [1]

Q. 321. *Cuiusnam sunt verba:* Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae, *et quid per ea postulamus?*

R. Verba: *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae,* sunt addita ab Ecclesia, et per ea postulamus patrocinium beatae Mariae Virginis in omnibus nostris necessitatibus, sed praesertim in hora nostrae mortis. [2]

Q. 322. *Beata Maria Virgo, mater Dei, estne etiam mater nostra?*

R. Beata Maria Virgo, mater Dei, est etiam mater nostra per adoptionem, qua nos sumus fratres Filii eius; quod ipsemet Iesus Christus, in cruce moriens, confirmavit, dum omnes homines, in persona S. Ioannis, dedit filios beatae Mariae Virgini illis verbis: *Mulier, ecce filius tuus*, et omnibus hominibus ma-

---

[1] Luc., *I, 28.*

[2] Ecclesia orientalis hanc alteram partem salutationis angelicae non habet, sed aliam orationem verbis angelicis addit.

trem dedit beatam Mariam Virginem illis verbis: *Ecce mater tua.* [1]

Q. 323. *Quid emolumenti capiunt qui tenera pietate beatam Mariam Virginem colunt?*

R. Qui tenera pietate beatam Mariam Virginem colunt, hoc magnum emolumentum capiunt, ut ab eadem peculiari materno redamentur et protegantur amore. [2]

Q. 324. *Quodnam est officium pietatis erga beatam Mariam Virginem, quod praecipue commendat Ecclesia?*

R. Officium pietatis erga beatam Mariam Virginem, quod speciali modo commendat Ecclesia, est recitatio Sanctissimi Rosarii.

Caput IX.

De Sacramentis.

Sectio 1ª. – De Sacramentis in genere.

Q. 325. *Quid intelligitur nomine* Sacramenti novae Legis?

R. Nomine *Sacramenti novae Legis* intelligitur si-

[1] Ioan., *XIX, 26, 27;* Paul., *ad Rom., VIII, 29;* Leo XIII, *Encycl.* Adiutricem populi, *5 sept. 1895;* Pius X, *Encycl.* Ad illum diem, *2 febr. 1904;* Bened. XV, *Epist. ad Sodal. nostrae Dominae a bona Morte, 22 martii 1918;* Pius XI, *Encycl.* Rerum Ecclesiae, *28 febr. 1926.*

[2] S. Bernardus (*Hom. II*, super *Missus est*) pietatem erga beatam Mariam Virginem his verbis inculcat: « In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca... Ipsam « sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas; ipsa tenente, « non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; « ipsa propitia, pervenis ». – Haec autem facile poterunt exemplis confirmari, quibus libri ascetici abundant.

gnum sensibile, a Iesu Christo institutum, ad gratiam significandam eamque Sacramentum digne suscipientibus conferendam. [1]

Q. 326. *Quibusnam elementis Sacramenta perficiuntur?*

R. Sacramenta perficiuntur tribus elementis, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri, conferentis Sacramentum cum intentione saltem faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum. [2]

Q. 327. *Quot et quaenam sunt Sacramenta novae Legis?*

R. Sacramenta novae Legis sunt septem, scilicet *Baptismus*, *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Poenitentia*, *Extrema Unctio*, *Ordo*, *Matrimonium*.

---

[1] Conc. Flor., *Decret. pro Armenis;* Conc. Trid., *sess. VII*, *can. 1*, *6;* Pius X, *Decret.* Lamentabili, *4 iulii 1907*, *prop. 39*, *40*, *41*, *inter damnatas;* Catechismus ad parochos, *p. II*, *c. I*, *n. 4*.

[2] Conc. Flor., *l. c.;* Conc. Trid., *l. c.*, *can. 11*. – Exinde sequitur haec Sacramentorum elementa, sicuti ipsamet Sacramenta, esse divinae institutionis. Neque obstat differentia quae, probante Ecclesia, in administratione quorumdam Sacramentorum reperitur apud diversas Ecclesias aut etiam in diversis eiusdem Ecclesiae temporibus. Sane differentia quae sit mere accidentalis, divinae institutioni non adversatur, quae ad materiae substantiam et ad significationem formae dumtaxat pertinet. Si qua autem differentia gravior habeatur, hanc explicare potes, dicens Christum Dominum in nonnullis instituendis Sacramentis non ipsam materiam et formam particulariter definivisse, sed generatim voluisse signum aliquod idoneum ad ipsorum Sacramentorum significationem exprimendam, facta Ecclesiae potestate res et verba eligendi.

Q. 328. *Curnam Iesus Christus haec septem Sacramenta, neque plura neque pauciora, instituit?*

R. Iesus Christus haec septem Sacramenta, neque plura neque pauciora, instituit, quia haec ad Ecclesiae finem necessaria sunt et sufficiunt.

Q. 329. *Quomodonam haec septem Sacramenta ad Ecclesiae finem necessaria sunt et sufficiunt?*

R. Haec septem Sacramenta ad Ecclesiae finem necessaria sunt et sufficiunt, quia quinque priora ad spiritualem uniuscuiusque hominis in seipso perfectionem, duo postrema ad totius Ecclesiae regimen multiplicationemque fidelium ordinata sunt. [1]

Q. 330. *Quamnam gratiam nobis conferunt Sacramenta?*

R. Sacramenta nobis conferunt gratiam sanctificantem eiusve incrementum, et gratiam sacramentalem seu ius ad auxilia specialia, quibus obtineatur singulorum Sacramentorum finis. [2]

Q. 331. *Quomodo gratiam Sacramenta conferunt?*

R. Gratiam non ponentibus obicem Sacramenta conferunt vi ipsis insita a divino Institutore, seu, ut dicitur, ex opere operato. [3]

Q. 332. *Quinam obicem ponunt?*

R. Obicem ponunt qui ad Sacramenta accedunt absque dispositionibus necessariis ad gratiam recipiendam.

---

[1] Conc. Flor., *l. c.;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. I, n. 20.*

[2] S. Thomas, *p. 3ª, q. 62, a. 2.*

[3] Conc. Trid., *l. c., can. 7, 8;* S. Aug., *Epist. 98, 2;* et *In Ioann., tract. 80, 3.*

Q. 333. *Minister sua pravitate potestne Sacramentorum vim impedire?*

R. Minister sua pravitate nequit Sacramentorum vim impedire, quia in illa sacra functione ipse non suam, sed Christi personam gerit. [1]

Q. 334. *Quaenam sunt Sacramenta mortuorum et quaenam Sacramenta vivorum?*

R. Sacramenta mortuorum sunt Baptismus et Poenitentia; cetera sunt Sacramenta vivorum.

Q. 335. *Curnam Baptismus et Poenitentia dicuntur* Sacramenta mortuorum, *et cetera* Sacramenta vivorum?

R. Baptismus et Poenitentia dicuntur *Sacramenta mortuorum*, quia propter illos potissimum instituta sunt, qui vita supernaturali, idest gratia sanctificante, carent, peccati causa; cetera dicuntur *Sacramenta vivorum*, quia ea recipere non licet, nisi iis qui vitam supernaturalem iam habent.

Q. 336. *Qui ad Sacramenta vivorum accedit cum conscientia peccato mortali gravata, quodnam peccatum committit?*

R. Qui ad Sacramenta vivorum accedit cum conscientia peccato mortali gravata, non solum gratiam non recipit, sed insuper committit grave sacrilegii peccatum.

Q. 337. *Nonne gratia sanctificans, seu reconciliatio cum Deo, acquiri potest etiam priusquam Sacramentum mortuorum suscipiatur?*

R. Etiam priusquam Sacramentum mortuorum suscipiatur, gratia sanctificans, seu reconciliatio cum Deo, acquiri potest actu contritionis perfectae; sed etiam hoc in casu reconciliatio contritioni non est adscri-

---

[1] Catechismus ad parochos, *p. II, c. I, n. 25.*

benda sine Baptismi aut Poenitentiae voto, quod in illa includitur. [1]

Q. 338. *Quid est hoc Sacramenti votum?*

R. Hoc Sacramenti votum est vera, seria, firma voluntas recipiendi Sacramentum.

Q. 339. *Quaenam sunt Sacramenta quae semel tantum recipi possunt?*

R. Sacramenta quae semel tantum recipi possunt, sunt Baptismus, Confirmatio et Ordo, quia indelebilem characterem in anima imprimunt.

Q. 340. *Quid est character sacramentalis?*

R. Character sacramentalis est signum spirituale indelebile in anima impressum qui etiam in alia vita permanet, in iis quidem qui salvi facti sunt, ad gloriam, in damnatis autem ad ignominiam. [2]

Q. 341. *Quid praestat sacramentalis character?*

R. Sacramentalis character duo praestat, scilicet ut aliqua nota alter ab altero internoscatur, et ut apti ad aliquid sacri suscipiendum vel peragendum efficiamur. [3]

Q. 342. *Quinam character in tribus supradictis Sacramentis imprimitur?*

R. 1° In Baptismo imprimitur character quo quis fit membrum mystici corporis Christi, quod est Ecclesia, aptum ad alia Sacramenta suscipienda;

2° in Confirmatione character quo quis fit miles Christi ad fidem publice profitendam;

---

[1] Conc. Trid., *sess. XIV, cap. 4.*

[2] S. Aug. *Contra epistolam Parmeniani, II, 28;* Codex I. C., *can. 732.*

[3] Conc. Flor., *l. c.;* Conc. Trid., *sess. VII, De Sacramentis, can. 9;* Innoc. III, *Epist.* Maiores Ecclesiae causas; Catechismus ad parochos, *p. II, c. I, n. 30 et seq.*

3 in Ordine character quo quis fit minister Christi cum potestate Sacramenta conficiendi et ministrandi. [1]

Q. 343. *Curnam in Baptismo et Confirmatione assignantur patrini?*

R. In Baptismo et Confirmatione assignantur patrini, ut ipsi baptizatum vel confirmatum perpetuo sibi commendatum habeant eiusque christianam educationem diligenter curent, praesertim si parentes desint, aut suum munus negligant. [2]

Q. 344. *Ex valido Baptismo et Confirmatione oriturne aliqua cognatio?*

R. Ex valido Baptismo oritur cognatio spiritualis inter baptizatum et baptizantem et inter baptizatum et patrinum; ex valida Confirmatione inter confirmatum et patrinum. [3]

Q. 345. *Aequalisne est omnium Sacramentorum necessitas?*

R. Non est aequalis omnium Sacramentorum necessitas, cum Baptismus omnibus necessarius sit, Poenitentia illis qui post Baptismum in mortale peccatum prolapsi sunt; Ordo toti Ecclesiae, etsi non singulis fidelibus; Matrimonium universitati hominum ad christianam familiam constituendam. [4]

Q. 346. *Quodnam est excellentissimum inter omnia Sacramenta?*

R. Excellentissimum inter omnia Sacramenta est

---

[1] Catechismus ad parochos, *p. II, c. I, n. 31.*

[2] Codex I. C., *can. 762 et seq.* – Ecclesia orientalis in administrando Baptismo et Confirmatione non utitur patrinis.

[3] Codex I. C., *can. 768, 797, 1079.*

[4] Catechismus ad parochos, *p. II, c. I, n. 22.*

Sanctissima Eucharistia, in qua non tantum gratia, sed ipsemet auctor gratiae vere, realiter et substantialiter continetur, Iesus Christus Dominus noster. [1]

Q. 347. *Quid intelligitur verbo* Sacramentalium?

R. Verbo *Sacramentalium* intelliguntur res aut actiones quibus Ecclesia, in aliquam Sacramentorum imitationem, solet uti ad assequendos, ex sua impetratione, effectus praesertim spirituales, ut sunt, ex. gr., exorcismi et rerum vel personarum piae consecrationes et benedictiones. [2]

Sectio 2ª. – De singulis Sacramentis.

Art. 1. – De sacramento Baptismi.

Q. 348. *Quid est sacramentum Baptismi?*

R. Sacramentum Baptismi est Sacramentum per modum ablutionis a Iesu Christo institutum, quo baptizatus fit membrum mystici corporis Christi, quod est Ecclesia; obtinet remissionem peccati originalis et omnium peccatorum actualium, si qua adsint, cum tota poena eisdem debita; et fit capax suscipiendi alia Sacramenta. [3]

Q. 349. *Quaenam est materia et quaenam forma Baptismi?*

R. Materia remota Baptismi est aqua naturalis, proxima est ablutio corporis per ipsam aquam; forma vero

[1] S. Thomas, *p. 3, q. 65, a. 3.*

[2] Codex I. C., *can. 1144 et seq.*

[3] Marc., *XVI, 16;* Act., *II, 38;* Paul., *ad Rom., VI, 3-6; 1ª ad Cor., VI, 11; ad Coloss., II, 11-13; ad Tit., III, 5;* 1ª Petr., *III, 21;* Pius X, *Decret.* Lamentabili, *3 iulii 1907, prop. 42 inter damnatas;* S. Basilius, *Homil. 13, 5.*

sunt verba: « Ego te baptizo in nomine Patris et Filii « et Spiritus Sancti ». [1]

Q. 350. *Quid igitur significatur quando in sacris Litteris dicitur Apostolos* in nomine Christi *baptizavisse?*

R. Quando in sacris Litteris dicitur Apostolos *in nomine Christi* baptizavisse, significatur Apostolos Baptismum non qui a Ioanne, sed qui a Iesu Christo institutus fuit, contulisse, eadem utique servata forma quam idem Salvator et Dominus noster servandam praeceperat. [2]

Q. 351. *Quisnam est minister Baptismi?*

R. Sacerdos est Minister ordinarius Baptismi, sed eius collatio reservatur parocho vel alii sacerdoti de eiusdem parochi vel Ordinarii loci licentia; extraordinarius est diaconus de Ordinarii loci vel parochi licentia, nonnisi ex gravi causa concedenda.

Q. 352. *In casu necessitatis quisnam potest Baptismum conferre?*

R. In casu necessitatis quilibet potest Baptismum sine solemnitate conferre; sed si adsit sacerdos, is diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, vir feminae, nisi forte, pudoris gratia, deceat a femina

---

[1] Matth., *XXVIII, 19;* Ioan., *III, 5;* Act., *VIII, 36;* Paul., *ad Ephes., V, 26; ad Hebr., X, 22;* Conc. Vienn., *Const. de Trinit. et fide;* Conc. Flor., *Decret. pro Armenis;* Conc. Trid., *sess. VII, can. 2;* Innoc. III, *Epist.* Non ut apponeres, *1 mart. 1206;* Didaché, *VII, 1.* - In orientali Ecclesia verba sunt: « Baptizatur *vel* baptizetur servus Christi in nomine Pa- « tris et Filii et Spiritus Sancti ». Ut vero corporis ablutio habeatur, necesse est ut aqua corpus, praecipue caput, tangat et fluat ea copia qua quis vere ablutus dici possit.

[2] Catechismus ad parochos, *p. I, c. II, n. 16.*

potius quam a viro Baptismum conferri, vel femina noverit melius formam et modum baptizandi. [1]

Q. 353. *Quomodo ablutio fieri potest ad Baptismi validitatem?*

R. Ad Baptismi validitatem ablutio fieri potest vel immersione in aquam, vel aquae infusione, vel aspersione secundum probatum propriae Ecclesiae ritum. [2]

Q. 354. *Quandonam infantes baptizandi sunt?*

R. Infantes baptizandi sunt quam primum; et graviter peccant parentes aliique quibus infantium cura incumbit, si eos sine Baptismo mori sinant, vel eorum Baptismum diutius sine gravi ratione differant. [3]

Q. 355. *Quomodo adultus ad Baptismum accedere debet?*

R. Adultus ad Baptismum accedere debet sciens et volens, probeque instructus et dispositus; praeterea de peccatis suis mortalibus, si qua habeat, saltem per attritionem doleat necesse est. [4]

---

[1] Conc. Later. IV, *cap. 1;* Conc. Flor., *Decret. pro Armenis;* S. Aug., *Contra epist. Parmeniani, II, 29;* Codex I. C., *can. 738, 741, 742.*

[2] Codex I. C., *can. 758;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. II, n. 17 et seq.* – Sed Baptismus per aspersionem in desuetudinem abiit, quia in ea dubitari facile potest utrum necessaria corporis ablutio adfuerit, necne. Hinc baptizatus per aspersionem rebaptizari solet sub conditione. Catechista ne omittat exponere quomodo Baptismus in casu necessitatis conferri debeat.

[3] Conc. Flor., *Decret. pro Iacobitis;* Pius X, *l. c., prop. 43 inter damnatas;* Codex I. C., *can. 770.*

[4] Act., *II, 38;* Rit. Rom., *tit. I, cap. III. n. 1.* Codex I. C., *can. 752, § 1;* Catechismus ad parochos, *l. c., n. 40;* S. Thomas, *in 4 d. 6, q. 1, a. 5, ad 5um.*

Q. 356. *Quid si adultus Baptismum recipit cum conscientia mortali peccato gravata, cuius nec attritionem habet ?*

R. Si adultus Baptismum recipit cum conscientia mortali peccato gravata, cuius nec attritionem habet, Baptismus valet et character imprimitur, sed baptizatus grave sacrilegii peccatum committit, nec gratiam obtinet, nisi cum peccati remissionem, per contritionem vel attritionem, virtute Baptismi, obtinuerit. [1]

Q. 357. *Quonam officio tenetur baptizatus?*

R. Baptizatus officio tenetur et fidem Christi in Ecclesia catholica profitendi, et mandata Christi et Ecclesiae catholicae servandi. [2]

Q. 358. *Baptismus estne omnibus necessarius ad salutem?*

R. Baptismus est omnibus necessarius ad salutem, cum Iesus Christus dixerit: « Nisi quis renatus fuerit « ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in « regnum Dei ». [3]

Q. 359. *Quid erit de anima illorum, qui sine Baptismo cum solo peccato originali moriuntur?*

R. Anima illorum qui sine Baptismo cum solo peccato originali moriuntur, caret beatifica Dei visione propter originale peccatum, quod per naturam habet,

---

[1] S. Thomas, *p. 3ª, q. 69, a. 10;* S. Alphonsus, *Theol. mor., lib. VI, tract. I, cap. III, n. 87.*

[2] Paul., *ad Rom., VI, 3-13; ad Galat., III, 27; da Coloss., II, 12;* Conc. Trid., *l. c., can. 7.*

[3] Ioan., *III, 5;* Conc. Carthag., *can. 2;* Conc. Flor., *l. c.,* Conc. Trid., *l. c., can. 5;* S. Cyrillus Hierosol., *Catechesis III, 10.*

absque dolore possidet, citra poenas, quibus personalia peccata puniuntur. [1]

Q. 360. *Potestne aliquid supplere vicem Baptismi?*

R. Vicem Baptismi supplere potest actus fidei et perfectae caritatis, qui martyrio maxime comprobatur et necessario continet perfectam de peccatis contritionem, et Baptismi votum; sed unus aquae Baptismus et characterem imprimit et capacitatem confert alia Sacramenta recipiendi. [2]

Q. 361. *In quonam consistit martyrium, quod supplere potest vicem Baptismi?*

R. Martyrium quod supplere potest vicem Baptismi consistit in morte iniuste inflicta et ab adulto acceptata propter Christum, in fidei vel christianae virtutis testimonium. [3]

Q. 362. *Curnam baptizato nomen alicuius Sancti imponitur?*

R. Baptizato nomen alicuius Sancti imponitur, ut ipso utatur peculiari patrono et virtutis exemplum in eius vita habeat. [4]

---

[1] Innoc. III, *Epist.* Maiores, *ad Archiep. Arelaten.;* Pius VI, *Const.* Auctorem fidei, *prop. 26;* Pius IX, *Epist. ad Ep. Italiae, 10 aug. 1863;* S. Thomas, *in 2, d. 33, q. 2, a. 1 et 2;* et *De malo, q. 5, a. 2 et 3.* – Locus statusve harum animarum *Limbus* appellari solet, longe diversus a Limbo Ss. Patrum, de quo in *q. 106.*

[2] Matth., *X, 32; XVI, 25;* Marc., *VIII, 35;* Luc., *IX, 24; XII, 8;* Ioan., *XIV, 21, 23;* Innoc. II, *Epist.* Apostolicam Sedem, *ad Episc. Cremonen.*; S. Fulgentius, *De fide, 41*; S. Thomas, *p. 3ª, q. 68, a. 2; et q. 69, a. 4, ad 2um.* – Martyrium appellari solet Baptismus *sanguinis*, et actus caritatis, Baptismus *desiderii.*

[3] S. Thomas, *2 2ae, q. 124, a. 1.*

[4] Codex I. C., *can. 761.* – Noli oblivisci quae Deo in Baptismo spoponderis, et cur sacerdos, tradens tibi vestem candidam,

Art. 2. – De sacramento Confirmationis.

Q. 363. *Quid est sacramentum Confirmationis?*

R. Sacramentum Confirmationis est Sacramentum a Iesu Christo institutum ad conferendam specialem gratiam et dona Spiritus Sancti, quibus confirmatus roboratur ad fidem, ut perfectus Christi miles, verbo et opere profitendam. [1]

Q. 364. *Quaenam est materia Confirmationis?*

R. Materia remota Confirmationis est chrisma, idest oleum olivarum balsamo commixtum et ab Episcopo benedictum, quo per impositionem manus ministri confirmandus in fronte ad modum crucis ungitur; haec autem unctio est materia proxima. [2]

Q. 365. *Quaenam est Confirmationis forma?*

R. Forma Confirmationis sunt verba, quae minister profert in applicatione materiae: « Signo te signo crucis, « confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et « Filii et Spiritus Sancti ».

Q. 366. *Quisnam est minister Confirmationis?*

R. Minister Confirmationis ordinarius est Episco-

---

his te verbis hortatus sit: « Accipe vestem candidam, quam « immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Iesu « Christi ut habeas vitam aeternam ».

[1] Act., *VIII, 14-17; XIX, 5, 6;* Conc. Lugd. II, *Prof. fidei Mich. Pal.*; Conc. Flor., *Decret. pro Armenis;* Conc. Trid., *sess. VII, De Confirm., can. 1, 2, 3;* Innoc. III, *Epist. ad Basilium Archiep. Trinovitan., 25 febr. 1204;* Pius X, *Decret.* Lamentabili, *3 iulii 1907, prop. 44 inter damnatas;* S. Cyrill. Hieros., *Catechesis XXI (myst. III), 3;* S. Cyrill. Alex., *In Ioel, 32;* S. Thomas, *p. 3ª, q. 72, a. 7;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. III, n. 20.*

[2] Catechismus ad parochos, *l. c., n. 24.*

pus, extraordinarius est presbyter cui ea facultas legitime data fuerit. [1]

Q. 367. *Praeter Baptismum et statum gratiae, quid requiritur in eo qui Confirmationem recipit?*

R. Praeter Baptismum et statum gratiae, in eo qui Confirmationem recipit, requiritur, si rationis usum habet, cognitio praecipuorum mysteriorum fidei aliarumque veritatum quae ad hoc Sacramentum spectant.

Q. 368. *Quid si quis ad Confirmationem accedit cum conscientia peccati mortalis?*

R. Si quis ad Confirmationem accedit cum conscientia peccati mortalis, sacrilegii peccatum committit, licet Sacramentum valeat; et confirmatus tunc solum gratiam recipiet, cum remissionem peccatorum obtinuerit vel per attritionem una cum sacramento Poenitentiae vel per contritionem una cum eiusdem Sacramenti voto. [2]

Q. 369. *Quanam aetate Confirmatio administratur?*

R. Licet Confirmationis administratio convenienter in Ecclesia latina differatur ad septimum circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur. [3]

---

[1] Codex I. C., *can. 780, 781, 782.* In orientali Ecclesia, excepta Ecclesia maronita et malabarica, presbyter, quando solemniter baptizat, tenetur sacramentum Confirmationis conferre cum chrismate ab Episcopo vel Patriarcha benedicto et forma: *Signaculum doni Spiritus Sancti.*

[2] Haec responsio vera est etiam de sacramentis Extremae Unctionis, Ordinis ac Matrimonii; de sacramento autem Poenitentiae vide *q. 445 et seq.*

[3] Codex I. C., *can. 788.*

Q. 370. *Confirmatio estne absolute necessaria ad salutem?*

R. Confirmatio non est absolute necessaria ad salutem, sed non licet illam negligere, quia est medium ad eam facilius et plenius consequendam. [1]

Art. 3. – De Eucharistia.

Q. 371. *Quid est Eucharistia?*

R. Eucharistia, quasi *bona gratia* vel *gratiarum actio*, est divinissimum Redemptoris donum et fidei mysterium, in quo sub speciebus panis et vini ipsemet Iesus Christus continetur, offertur, sumitur, sacrificium simul et sacramentum novae Legis. [2]

A) ***De praesentia reali Iesu Christi in Eucharistia.***

Q. 372. *Quandonam Iesus Christus sanctissimam Eucharistiam instituit?*

R. Iesus Christus sanctissimam Eucharistiam instituit in novissima coena, antequam pateretur, cum, accepto pane, gratias egit, deditque discipulis suis dicens: « Accipite et comedite, hoc est corpus meum »; et accepto calice, dedit eis dicens: « Bibite, hic est « enim sanguis meus », addens: « Hoc facite in meam « commemorationem ». [3]

[1] Catechismus ad parochos, *p. II, c. III, n. 16, 17.* – Memento te militem Christi esse, eiusque causam tibi esse defendendam. Abiecto igitur omni metu falsoque timore deposito, et verbis et factis fidem tuam libere profitere, atque honori habe te, ea de causa, contumelias et persecutiones pati.

[2] Conc. Later. II, *can. 23*; Conc. Trid., *sess. XIII, cap. I;* Leo XIII, *Encycl.* Mirae caritatis, *28 maii 1902;* Codex I. C., *can. 801;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. IV, n. 3.*

[3] Matth., *XXVI, 26-28;* Marc., *XIV, 22-24;* Luc., *XXII, 19, 20;* Paul., *1ª ad Cor., XI, 23-25;* Conc. Trid., *l. c.*

Q. 373. *Quid factum est quando Iesus Christus verba consecratoria super panem et vinum protulit?*

R. Quando Iesus Christus verba consecratoria super panem et vinum protulit, facta est mirabilis et singularis conversio totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem Iesu Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini. [1]

Q. 374. *Quomodo vocatur haec conversio?*

R. Haec conversio vocatur *transubstantiatio.* [2]

Q. 375. *Quid intelligitur per species panis et vini?*

R. Per species panis et vini intelligitur quantitas, figura, odor, color, sapor aliaque omnia quae in pane et vino sensibus obiiciuntur.

Q. 376. *Quid Iesus Christus voluit per addita verba:* Hoc facite in meam commemorationem?

R. Iesus Christus per addita verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, Apostolos suos constituit sacerdotes novi Testamenti, et eis eorumque in sacerdotio successoribus praecepit ut pariter consecrarent, offerrent et ministrarent corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini. [3]

---

[1] Conc. Trid., *l. c., cap. 4;* S. Iustinus, *Apologia 1, 66;* S. Ephraem, *In Hebdom. sanctam, IV, 4,6;* S. Athanasius, *Sermo ad baptizatos;* S. Cyrill. Hier., *Catech. XXII et XXIII;* S. Ioan. Chrysost., *In Matth., LXXXII, 4;* S. Ioann. Damasc., *De fide orthod., IV, 13.*

[2] Conc. Later. IV, *De fide catholica, cap. I;* Conc. Lugd. II, *Prof. fidei Mich. Pal.;* Conc. Constantiense, *sess. VIII, prop. 1 et seqq.;* Conc. Trid., *l. c. et can. 2;* Bened. XII, *Ex libello* Iamdudum; Pius VI, *Const.* Auctorem Fidei, *prop. 29;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. IV, n. 38.*

[3] Luc., *XXII, 19;* Paul., *1ª ad Cor., XI, 24, 25;* Conc. Trid., *sess. XXII, cap. I et can. 2.*

Q. 377. *Sacerdotes quandonam hanc potestatem exercent et hoc mandatum exsequuntur?*

R. Sacerdotes hanc potestatem exercent et hoc mandatum exsequuntur, cum, gerentes personam Iesu Christi, Missae sacrificium celebrant.

Q. 378. *Quid igitur evenit, quando sacerdos in Missa super panem et vinum verba consecratoria profert?*

R. Quando sacerdos in Missa super panem et vinum verba consecratoria profert, sub speciebus panis et vini fit praesens vere, realiter et substantialiter corpus et sanguis domini nostri Iesu Christi, una cum eius anima et divinitate.

Q. 379. *Post consecrationem, sub specie panis estne solum Iesu Christi corpus, et sub specie vini solus eius sanguis?*

R. Post consecrationem, sub specie panis non est solum Iesu Christi corpus, nec sub specie vini solus eius sanguis, sed sub unaquaque specie, et sub singulis uniuscuiusque speciei partibus, totus et integer Iesus Christus, Deus et homo, continetur. [1]

Q. 380. *Iesus Christus, exsistens sub speciebus sacramentalibus, desinitne esse in caelo?*

R. Iesus Christus, exsistens sub speciebus sacramentalibus, non desinit esse in caelo, sed simul est in caelo et sub speciebus sacramentalibus.

Q. 381. *Quamdiu Iesus Christus sub speciebus sacramentalibus manet?*

R. Iesus Christus sub speciebus sacramentalibus

[1] Ioan., *VI, 58;* Paul., *1ª ad Cor., XI, 26, 27;* Conc. Trid., *sess. XIII, cap. 3 et can. 3;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. IV, n. 36.*

manet non tantum dum sumitur, sed donec species corruptae non sint.

Q. 382. *Quaenam est materia apta ad sanctissimam Eucharistiam conficiendam?*

R. Materia apta ad sanctissimam Eucharistiam conficiendam est panis triticeus et vinum de vite. [1]

Q. 383. *Quaenam sunt verba necessaria ad Eucharistiam conficiendam?*

R. Verba necessaria ad Eucharistiam conficiendam sunt ipsa verba quae Christus Dominus in ultima coena protulit super panem et vinum, quaeque sacerdos vicem Christi gerens, in celebratione Missae repetit. [2]

---

[1] Ex Ecclesiae praescripto debet in Occidente azymus adhiberi, in plerisque vero orientalibus Ecclesiis panis fermentatus; insuper ante consecrationem paululum aquae vino admisceri debet. Concilium Florentinum, *Decret. pro Graecis*, et *Decret. pro Armenis;* Concilium Tridentinum, *sess. XXII, cap. 7.*

[2] Conc. Flor., *Decret. pro Armenis;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. IV, n. 12 et seq.* – Iesus Christus, Dominus noster, – ut est in Evangelio S. Ioannis, *XIII, 1* – in ultima coena, *cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, hoc est, sanctissimam Eucharistiam instituendo, infinitum erga eos amorem ostendit. Itaque, ex Conc. Trid., *sess. XIII, cap. 2*, per Eucharistiae institutionem Redemptor noster « divitias divini sui « erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabi- « lium suorum », quia, uti recte pius quidam auctor scripsit: « cum esset omnipotens, plus dare non potuit; cum esset sapien- « tissimus, plus dare nescivit; cum esset ditissimus, plus dare « non habuit ». Tale igitur divinae caritatis pignus, saepe, o christiane, pie tecum recolito, ut hac cogitatione magis magisque exciteris ad eum redamandum, qui tanto te amore et prosecutus est et prosequi non cessat.

B) ***De sacrificio Missae.***

Q. 384. *Quid est sacrificium?*

R. Sacrificium est oblatio rei sensibilis, per aliquam eius immutationem, soli Deo facta in signum supremi honoris et reverentiae, quam homo debet Deo tamquam creatori, domino et ultimo fini. [1]

Q. 385. *Missa estne verum et proprium novae Legis sacrificium?*

R. Missa est verum et proprium novae Legis sacrificium, quo Iesus Christus, ministerio sacerdotis, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini, mystica immolatione, Deo Patri incruente offert. [2]

Q. 386. *Curnam Iesus Christus hoc mirabile sacrificium instituit?*

R. Iesus Christus hoc mirabile sacrificium instituit ut Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in Cruce peragendum, repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur. [3]

Q. 387. *Quomodo Missa sacrificium Crucis repraesentat?*

R. Missa sacrificium Crucis repraesentat, quatenus consecratio panis et vini, separatim facta, repraesentat,

---

[1] S. Thomas, *2ª 2ªe, q. 85, a. 1, 2, 3, 4.*

[2] Psalm. *CIX, 4;* Malach., *I, 11;* Luc., *XXII, 19, 20;* Paul., *1ª ad Cor., XI, 24, 25; ad Hebr., XIII, 10;* Conc. Later. *IV, cap. I;* Conc. Trid., *sess. XXII, cap. 1;* S. Irenaeus, *Adversus haer., IV, 17, 5.*

[3] Luc., *XXII, 19;* Paul., *1ª ad Cor., XI, 24-26;* Conc. Trid., *l. c.;* S. Greg. Magn., *Dialog., IV, 58.*

ex vi verborum, realem illam separationem corporis a sanguine, quam in cruenta Crucis morte pertulit Iesus Christus Dominus noster. [1]

Q. 388. *Missa estne simplex ac nuda repraesentatio sacrificii Crucis?*

R. Missa non est simplex ac nuda repraesentatio sacrificii Crucis, sed est ipsum Crucis sacrificium quod renovatur, quatenus una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. [2]

Q. 389. *Quomodo Missae sacrificio nobis applicantur fructus sacrificii Crucis?*

R. Missae sacrificio nobis applicantur fructus sacrificii Crucis, quatenus Deus, hac immolatione placatus, gratias concedit, quas Iesus Christus sui sanguinis pretio nobis promeruit. [3]

---

[1] Conc. Trid., *sess. XIII, cap. 3;* S. Thomas, *p. 3, q. 74, a. 1;* Catech. ad parochos, *p. II, c. IV, n. 76.* – Scilicet in consecratione panis corpus Christi fit praesens vi verborum: *Hoc est corpus meum*, in consecratione vini sanguis fit praesens vi verborum: *Hic est calix sanguinis mei;* sanguis autem cum anima in consecratione panis, corpus cum anima in consecratione vini fit praesens vi naturalis illius connexionis et concomitantiae qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitas vero in utraque consecratione fit praesens propter admirabilem eius cum corpore et anima hypostaticam unionem. Porro haec mystica separatio repraesentat realem illam separationem, qua ipsum constat sacrificium crucis.

[2] Conc. Trid., *sess. XXII, cap. 2;* Catechismus ad parochos, *l. c., n. 76, 77.*

[3] Conc. Trid., *l. c.;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. IV, n. 34.*

Q. 390. *Ad quem finem sacrificium Missae offertur?*

R. Sacrificium Missae offertur:

1º ad Deum adorandum, ideoque est *latreuticum;*

2º ad gratias ei agendas propter magnam gloriam suam et propter collata in nos beneficia, ideoque est *eucharisticum;*

3º ad alia beneficia obtinenda, ideoque est *impetratorium;*

4º ad Deum propitium reddendum cum vivis pro peccato et poenis ei debitis, tum animabus in Purgatorio detentis, ideoque est *propitiatorium.* [1]

Q. 391. *Cuinam sacrificium Missae offertur?*

R. Sacrificium Missae offertur soli Deo, quia supremum dominium, quod sacrificio exprimitur, solius est Dei.

Q. 392. *Curnam etiam in honorem et memoriam beatae Mariae Virginis et Sanctorum Ecclesia Missae sacrificium celebrare consuevit?*

R. Quamvis in honorem et memoriam beatae Mariae Virginis et Sanctorum Ecclesia Missae sacrificium celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offert, sed soli Deo, de eorum victoriis gratias agens et eorum patrocinia apud Deum implorans. [2]

Q. 393. *Ad quorum utilitatem Missa applicatur?*

R. Quaelibet Missa, cum sit Ecclesiae catholicae sacrificium a publico Ecclesiae ministro oblatum, applicatur non ad utilitatem solius celebrantis, sed ad communem fidelium sive viventium sive defunctorum utili-

---

[1] S. Cyrillus Hierosol., *Catech. XXIII (myst. V)*, 10.

[2] Conc. Trid., *sess. XXII, can.* 5.

tatem, illorum, praesertim quos celebrans in Missa commemorat. [1]

Q. 394. *Potestne sacerdos Missam applicare pro persona particulari vel ad peculiarem aliquem finem?*

R. Potest sacerdos Missam applicare pro persona particulari sive viventi sive defuncta, vel ad peculiarem aliquem finem; ex quo fit ut Missa, ceteris paribus, eidem personae vel ad illum finem assequendum prosit speciali modo. [2]

Q. 395. *Quisnam est modus potissimus adsistendi Missae?*

R. Modus potissimus adsistendi Missae est, ut fideles adstantes divinam victimam, una cum sacerdote, offerant Deo, mente recolant sacrificium Crucis, et sacramentali vel saltem spirituali Communione cum Christo Iesu coniungantur. [3]

C) *De Sacramento Eucharistiae.*

Q. 396. *Quid est sacramentum Eucharistiae?*

R. Sacramentum Eucharistiae est Sacramentum a Iesu Christo institutum, quo sub speciebus panis et vini ipsemet Iesus Christus, auctor gratiae, vere, reali-

---

[1] Conc. Trid., *sess. XXII, cap. 6;* Catechismus ad parochos *p. II, c. IV, n. 79.*

[2] Pius VI, *Const.* Auctorem fidei, *prop. 30 inter damnatas.*

[3] Nulla christianae religionis exercitatio est per se sanctior, nulla maiorem Deo gloriam affert, nulla animarum saluti prodest uberius, quam sacrosanctum Missae sacrificium, in quo totus atque omnis inest fructus Redemptionis, quam Christus in cruce peregit. Augusto igitur divinoque sacrificio frequenter, o christiane, adesto, et animo quidem ad flagrantem illam pietatem composito, qua in Calvariae loco Crucifixo morienti adfuisses.

ter ac substantialiter continetur ad spiritualem nostrarum animarum refectionem. [1]

Q. 397. *Curnam Iesus Christus Eucharistiae sacramentum instituit?*

R. Iesus Christus Eucharistiae sacramentum instituit:

1° ut nostri amantissimus continuo inter nos praesens maneret, atque ita redamaretur a nobis et coleretur;

2° ut per sacram Communionem nobiscum uniretur; esset caeleste animae nostrae alimentum, quo vitam spiritualem tueri et conservare possemus, et in fine vitae nostrum ad aeternitatem viaticum. [2]

Q. 398. *Quo modo Eucharistiae sacramentum a sacrificio secernitur?*

R. Eucharistiae sacramentum a sacrificio secernitur:

1° quia Sacramentum consecratione perficitur et permanet, omnis vero sacrificii vis in eo est ut offeratur ; et ideo divina hostia quae in pyxide continetur vel ad aegrotum defertur, sacramenti, non sacrificii, rationem habet ;

2° quia Sacramentum iis qui divinam hostiam sumunt, meriti causam affert, et spirituales utilitates; sacrificium vero non merendi solum, sed satisfaciendi quoque efficientiam habet. [3]

---

[1] Ioan., *VI, 54-58;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. IV, n. 7.*

[2] Ioan., *VI, 50 et seqq.;* Paul., *1ª ad Cor., X, 16, 17;* Conc. Trid., *sess. XIII, cap. 2;* S. Ignatius, *Epist. ad Magnesios, 20;* S. Irenaeus, *Adv. haeres., V, 2, 3;* S. Ioan. Chrisost., *In Ioann., XLVI, 3;* et *In 1ª ad Cor., XXIV, 2;* S. Thomas, *p. 3, q. 79, a. 4. et 6;* Catechismus ad parochos, *p. II, n. 70.*

[3] Catechismus ad parochos, *l. c. n. 71.*

Q. 399. *Quid requiritur ad Eucharistiam digne sumendam?*

R. Ad Eucharistiam digne sumendam, praeter Baptismum sicut in omnibus Sacramentis post eundem Baptismum receptis et statum gratiae sicut in Sacramentis vivorum, requiritur sub gravi etiam ieiunium naturale. [1]

Q. 400. *Quid agere debet qui, sacram Communionem recepturus, conscius sibi est peccati mortalis?*

R. Qui, sacram Communionem recepturus, conscius sibi est peccati mortalis, quantumvis se contritum existimet, antequam ad sanctam Communionem accedat, debet sacramentalem Confessionem peragere; quod si perurgeat necessitas ac copia confessarii illi desit, actum perfectae contritionis prius eliciat. [2]

Q. 401. *Quid significat naturale ieiunium?*

R. Naturale ieiunium significat, a media nocte usque ad tempus Communionis, nihil per modum cibi vel potus vel etiam medicinae sumere. [3]

Q. 402. *Qui non ieiunus sacram Communionem recipit, quodnam peccatum committit?*

R. Qui non ieiunus sacram Communionem recipit, committit grave sacrilegii peccatum.

---

[1] Paul., *1ª ad Cor., XI, 27-29;* S. Ioan. Chrysost., *In Matth., LXXXII, 5.*

[2] Conc. Trid., *sess. XIII, cap. 7;* Codex I. C., *can. 856.*

[3] Codex I. C., *can. 858, § 2;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. IV, n. 6.* – « In sacra Communione recipienda ... licet « alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus « aut locale sive verum sive medium aut legale sive regionale « sive aliud extraordinarium », Codex I. C., *can. 33.*

Q. 403. *Quandonam sacra Communio permittitur non servato ieiunio naturali?*

R. Sacra Communio permittitur non servato ieiunio naturali, quando mortis urget periculum, aut necessitas impediendi irreverentiam in Sacramentum. [1]

Q. 404. *Quibusnam infirmis permittitur sacra Communio, non servato ieiunio naturali?*

R. Infirmis, qui a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio, permittitur sacra Communio semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint. [2]

Q. 405. *Quid requiritur ut sacra Communio etiam devote suscipiatur?*

R. Ut sacra Communio etiam devote suscipiatur, requiritur ut eam et praeparatio diligens antecedat, et congrua gratiarum actio subsequatur, secundum uniuscuiusque vires, conditionem et officia. [3]

Q. 406. *In quonam consistit praeparatio ante sacram Communionem adhibenda?*

R. Praeparatio ante sacram Communionem adhibenda in hoc consistit, ut per aliquod temporis spatium attente et devote meditemur quid recepturi simus, et ad actus fidei, spei, caritatis et contritionis studiose nosmetipsos exerceamus. [4]

---

[1] Codex I. C., *l. c.*

[2] Codex I. C., *l. c.*, § *2*.

[3] S. C. Concilii, *Decret.* De quotidiana Ssmae Eucharistiae sumptione, *20 dec. 1905*.

[4] S. Basilius, *Regulae*, *interrogatio 172;* Catechismus ad parochos, *p. II*, *c. IV*, *n. 56 et seq.*

Q. 407. *In quanam re consistit gratiarum actio, quae sacram Communionem subsequitur?*

R. Gratiarum actio, quae sacram Communionem subsequitur, in hoc consistit, ut per aliquod temporis spatium attente et devote meditemur quid receperimus, et actus fidei, spei, caritatis, boni propositi, grati animi ac petitionis eliciamus.

Q. 408. *Quid praecipue petere debemus a Iesu Christo post Communionem?*

R. A Iesu Christo post Communionem praecipue petere debemus gratias nobis et proximis ad salutem necessarias, praesertim gratiam finalis perseverantiae, Ecclesiae de suis hostibus victoriam, et defunctorum animabus requiem sempiternam.

Q. 409. *Quosnam effectus Eucharistia parit iis qui eam digne et devote suscipiunt?*

R. Eucharistia iis qui eam digne et devote suscipiunt, hos effectus parit :

1° auget gratiam sanctificantem et fervorem caritatis;

2° remittit peccata venialia;

3° multum confert ad finalem perseverantiam, tum concupiscentiam minuendo, tum a mortalibus praeservando, tum ad exercitationem bonorum operum roborando. [1]

Q. 410. *Praeter praeceptum Communionis paschalis, adestne alia obligatio Communionis recipiendae?*

R. Praeter praeceptum Communionis paschalis, adest obligatio Communionis recipiendae in periculo mortis, quacumque ex causa hoc periculum oriatur. [2]

---

[1] Ioan., *VI, 48 et seq.;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. IV, n. 51 et seq.*

[2] Codex I. C., *can. 864, § 1 et 2.* – Quisquis de infirmis vel spiritualem vel corporalem curam agit, caveat ne sanctum

Q. 411. *Qui Eucharistiam recepit, potestne eodem die eam rursus recipere?*

R. Qui Eucharistiam recepit, potest eodem die eam rursus recipere in forma viatici, si in vitae discrimen incidat; imo debet, si id necesse fuerit ad impediendam irreverentiam in Sacramentum. [1]

Q. 412. *Quomodo Iesum Christum in Eucharistia praesentem colere debemus?*

R. Iesum Christum in Eucharistia praesentem colere debemus:

1° summa cum reverentia eum adorando;

2° amantem redamando;

3° omni cum fiducia ad gratias assequendas eum rogando. [2]

Art. 4. – De sacramento Poenitentiae.

Q. 413. *Quid est sacramentum Poenitentiae?*

R. Sacramentum Poenitentiae est Sacramentum a Iesu Christo institutum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata lapsi fuerint, ipsi Deo reconciliandis. [3]

Viaticum eis nimium differatur, seduloque vigilet ut eodem, dum plene sui compotes sunt, infirmi reficiantur.

[1] Codex I. C., *can. 857, 858.*

[2] Quoties igitur intras in ecclesiam ubi sanctissimum Sacramentum asservatur, adverte in Iesu Christi conspectu te versari. Deus ipse est quem Angeli trementes adorant. Ideo a quavis irreverentia cave. Est amicus tuus amantissimus, qui ex desiderio tui diu noctuque ibi commoratur. Quapropter frequenter eum invisito, eique pro tanta caritate gratias age. Manus habet plenas donorum caelestium, quae tibi largiri cupit; fidenter igitur eum obsecra.

[3] Conc. Trid., *sess. XIV, cap. I, can. 1.*

Q. 414. *Quandonam Iesus Christus hoc Sacramentum instituit?*

R. Iesus Christus hoc Sacramentum tum praecipue instituit, quando in discipulos suos, post resurrectionem in unum congregatos, insufflavit dicens: « Accipite Spi- « ritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remit- « tuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt ». [1]

Q. 415. *Quonam modo Iesus Christus hoc Sacramentum instituit?*

R. Iesus Christus hoc Sacramentum instituit ad instar iudicii, in quo iudex quidem est confessarius; accusator autem et testis est ipsemet poenitens; materia vero circa quam versatur iudicium, sunt peccata post Baptismum commissa, quae poenitens confitetur.

Q. 416. *Quisnam est legitimus minister sacramenti Poenitentiae?*

R. Legitimus minister sacramenti Poenitentiae est sacerdos rite approbatus ad audiendas confessiones; et cuivis fideli integrum est confessario legitime approbato, etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri. [2]

Q. 417. *Quaenam sunt partes huius Sacramenti?*

R. Partes huius Sacramenti sunt, quasi eius *materia*, actus poenitentis, id est contritio, confessio et satisfactio; et absolutio legitimi ministri, quae est eius *forma*. [3]

---

[1] Ioan., *XX*, *22*, *23;* Matth., *XVI*, *19; XVIII*, *18;* Conc. Trid., *sess. XIV*, *cap. I;* Pius X, *Decret.* Lamentabili, *3 iulii 1907*, *prop. 42 inter damnatas;* S. Ioan. Chrys., *De sacerdotio*, *III*, *5*.

[2] Codex I. C., *can. 905*.

[3] Conc. Trid., *sess. XIV*, *cap. 3 et can. 4;* Rituale Rom., *De sacram. Poenit.*, *tit. III*, *cap. I*, *n. 1;* Catechismus ad parochos, *p. I*, *c. V*, *n. 13*.

Q. 418. *Quomodonam in tribus actibus poenitentis includuntur et examen conscientiae et propositum non peccandi de cetero?*

R. In tribus actibus poenitentis includuntur et examen conscientiae et propositum non peccandi de cetero, quia omnes actus praecedat necesse est examen conscientiae, et contritio sine proposito non peccandi de cetero ne intelligi quidem potest.

Q. 419. *Quaenam peccata sunt materia necessaria huius Sacramenti?*

R. Materia necessaria huius Sacramenti sunt peccata mortalia post Baptismum commissa, quae numquam fuerunt virtute clavium directe remissa.

Q. 420. *Curnam haec peccata dicuntur materia* necessaria *huius Sacramenti?*

R. Haec peccata dicuntur materia *necessaria* huius Sacramenti, quia est stricta obligatio eadem confitendi.

Q. 421. *Quaenam peccata sunt materia libera et sufficiens huius Sacramenti?*

R. Materia libera et sufficiens huius Sacramenti sunt peccata post Baptismum commissa sive venialia, sive etiam mortalia quae poenitens alias confessus est, sacramentali absolutione directe remissa.

Q. 422. *Curnam haec peccata dicuntur materia* libera et sufficiens *huius Sacramenti?*

R. Haec peccata dicuntur materia *libera et sufficiens* huius Sacramenti, quia eadem possunt ad sacrum tribunal deferri, imo expedit ut deferantur, sed ad id nemo tenetur. [1]

---

[1] Matth., *XVI, 19; XVIII, 18;* Ioan., *XX, 22, 23;* Conc. Trid., *sess. XIV, cap. 3 et can. 7;* Codex I. C., *can. 901, 902.*

A) ***De actibus poenitentis.***

a) *De conscientiae examine.*

Q. 423. *Antequam sacramentalis poenitentiae tribunal adeat, quid poenitens agere debet?*

R. Antequam sacramentalis poenitentiae tribunal adeat, poenitens debet examen conscientiae instituere.

Q. 424. *Quid est conscientiae examen?*

R. Conscientiae examen est diligens inquisitio peccatorum, post ultimam confessionem rite factam commissorum.

Q. 425. *Quomodo conscientiae examen est peragendum?*

R. Conscientiae examen ita est peragendum, ut poenitens, implorato Dei auxilio, diligenter in memoriam revocet peccata, quae cogitatione, verbo, opere vel omissione, contra mandata Dei et Ecclesiae et contra officia proprii status admiserit.

Q. 426. *In hoc conscientiae examine de quibusnam rebus inquirere debemus?*

R. In hoc conscientiae examine inquirere debemus de peccatorum numero, specie et circumstantiis speciem mutantibus.

Q. 427. *Quaenam circumstantiae speciem mutant et necessario sunt accusandae?*

R. Speciem mutant et necessario sunt accusandae circumstantiae, quibus vel peccatum veniale fit mortale, (ex. gr., mendacium proximo graviter damnosum), vel mortale fit multiplex, (ex. gr., furtum rei sacrae vel in loco sacro commissum). [1]

[1] Catechismus ad parochos, *p. II, c. V, n. 47.*

b) *De contritione et proposito.*

Q. 428. *Quid est peccatorum contritio?*

R. Peccatorum contritio est animi dolor et detestatio de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cetero. [1]

Q. 429. *Quid est propositum non peccandi de cetero?*

R. Propositum non peccandi de cetero est firma voluntas non peccandi et proximas peccandi occasiones, quantum quis potest, vitandi.

Q. 430. *Qualis esse debet contritio de peccatis?*

R. Contritio de peccatis esse debet interna, supernaturalis, summa, universalis.

Q. 431. *Quid est* contritio interna?

R. *Contritio interna* est quae non ore tantum manifestatur, sed ex corde nascitur.

Q. 432. *Quid est* contritio supernaturalis?

R. *Contritio supernaturalis* est quae sub influxu gratiae elicitur ex rationibus non humanis, sed supernaturalibus, ex fide scilicet supernaturaliter apprehensis.

Q. 433. *Quid est* contritio summa?

R. *Contritio summa* est qua detestamur peccatum super omnia mala. [2]

---

[1] Psalm. *L, 3 et seqq.;* Ierem., *II, 19-21;* Ezech., *XVIII, 21-23, 27, 28; XXXIII, 14-16;* Ioel, *II, 12-18;* Ioan., *V, 14; VIII, 11;* Luc., *XV, 17-24;* Conc. Trid., *sess. XIV, cap. 4;* S. Greg. Magn., *In Evang., II, 34, 15;* S. Aug., *Serm. 351, 12.*

[2] Haec contritionis qualitas ita poterit cum S. Thoma, *p. 3ª, q. 3, a. 1,* breviter declarari: Contritio, seu dolor de peccatis commissis, debet esse summus *appretiative*, quatenus poenitens ita peccatum detestetur, ut pro nulla re velit illud

Q. 434. *Quid est* contritio universalis?

R. *Contritio universalis* est quae omnia peccata mortalia commissa post Baptismum, nec directe potestate clavium remissa, complectitur.

Q. 435. *Quid si poenitens accusanda non habeat nisi peccata venialia aut mortalia directe iam remissa?*

R. Si poenitens accusanda non habeat nisi peccata venialia aut mortalia directe iam remissa, satis est et requiritur, ut de aliquibus vel de uno saltem doloris actum eliciat.

Q. 436. *Quotuplex potest esse contritio?*

R. Contritio potest esse vel *perfecta*, quae *contritio* simpliciter appellari solet, vel *imperfecta*, quae speciali nomine *attritio* dicitur. [1]

Q. 437. *Quid est contritio perfecta?*

R. Contritio perfecta est dolor et detestatio peccatorum, elicita ex motivo caritatis, propterea quod offensus est Deus, qui est summum bonum, et dignus qui super omnia diligatur. [2]

Q. 438. *Quemnam effectum gignit contritio perfecta?*

R. Contritio perfecta statim delet peccata et hominem Deo reconciliat etiam extra sacramentum Poeni-

---

committere seu Deum offendere; sed nullatenus requiritur ut sit summus *intensive*, quatenus sua vehementia superet omnes alios dolores qui in eodem homine reperiuntur. Nec expedit ut comparatio fiat inter contritionem seu dolorem de peccatis et alios dolores sensibiles ob temporalia mala quae occurrunt.

[1] Conc. Trid., *sess. XIV, cap. 4.*

[2] Catechismus ad parochos, *p. II, c. V, n. 27.*

tentiae, sed non sine Sacramenti voto, quod in illa includitur. [1]

Q. 439. *Quid est contritio imperfecta?*

R. Contritio imperfecta est dolor et detestatio supernaturalis peccatorum, quae vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur. [2]

Q. 440. *Ad valide recipiendum sacramentum Poenitentiae quaenam contritio sufficit?*

R. Ad valide recipiendum sacramentum Poenitentiae sufficit contritio imperfecta, licet optanda sit perfecta.

Q. 441. *Quodnam peccatum committit, qui scienter sine ulla contritione ad sacramentum Poenitentiae accedit?*

R. Qui scienter sine ulla contritione ad sacramentum Poenitentiae accedit, non solum peccatorum, quae confessus est, remissionem non assequitur, sed committit grave sacrilegii peccatum.

---

[1] Prov., *VIII, 17; X, 12;* Ioan., *XIV, 21, 23; 1ª* Petr., *IV, 8; 1ª* Ioan., *IV, 7;* Conc. Trid., *l. c.;* S. Petrus Chrysol., *Sermo 94.* – Assuescat christianus actum perfectae contritionis, initio huius catechismi positum, frequenter elicere; maximeque, si quod, summa cum sua calamitate, commisit mortale peccatum, illico sine mora studeat illud perfecta contritione delere: et deinde ne nimis moretur ad sacramentalem confessionem accedere. Ita non erit ei vacuum fructu ad aeternitatem quidquid boni egerit, nec mortem subitaneam formidabit. Plures salutem aeternam consequuntur, quia perfecte contriti de hac vita decedunt, ii scilicet quorum mors incidit in ea tempora, cum Sacramenta eis ministrari non possunt.

[2] Matth., *X, 28;* Luc., *III, 7-9; XV, 17;* Conc. Trid., *sess. XIV, l. c.;* Leo X, *prop. 6 inter damn., 15 iunii 1520;* Pius VI, *Bulla* Auctorem fidei, *prop. 23, 25, 36;* S. Greg. Nyssenus, *In Cantic. Canticorum, homil. 1.*

c) *De confessione.*

Q. 442. *Quid est confessio peccatorum?*

R. Confessio peccatorum est eorum accusatio, facta sacerdoti legitime approbato, ad absolutionem sacramentalem consequendam. [1]

Q. 443. *Curnam Iesus Christus voluit peccatorum confessionem fieri ad eadem remittenda?*

R. Iesus Christus voluit peccatorum confessionem fieri ad eadem remittenda, ut se peccator humiliaret, et sacerdoti, tamquam iudici et medico, sua mala patefaceret, debitae satisfactionis et congrui remedii recipiendi causa. [2]

Q. 444. *Qualis esse debet confessio ad validam sacramenti Poenitentiae receptionem?*

R. Ad validam sacramenti Poenitentiae receptionem confessio debet esse vocalis aut saltem quae vocalem suppleat, et integra.

Q. 445. *Quando confessio est* integra?

R. Confessio est *integra*, cum poenitens omnia peccata mortalia, nondum directe remissa, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habet, confitetur cum numero, specie et circumstantiis speciem mutantibus. [3]

---

[1] S. Ioan. Chrys., *De Lazaro*, *IV*, *4; Homil.* Quod frequenter sit conveniendum, *2*.

[2] Ioan., *XX*, *23;* Matth., *XVI*, *19; XVIII*. *18;* Catechismus ad parochos, *p. II*, *c. V*, *n. 37*.

[3] Conc. Trid., *sess. XIV*, *cap. 5 et can. 7;* S. Gr gorius M., *In Evangelia*, *II*, *26*, *4-6;* S. Cyprianus, *De lapsis*, *28;* S. Hieronymus, *In Matth.*, *III*, *ad XVI*, *19*. – Confessio generalis,

Q. 446. *Quid agere debet qui peccatorum mortalium numerum non recordatur?*

R. Qui peccatorum mortalium numerum non recordatur, debet numerum indicare qui sibi videatur propius ad verum accedere, addendo *circiter*.

Q. 447. *Quid si quis peccatum mortale inculpabiliter omiserit in confessione?*

R. Si quis peccatum mortale inculpabiliter omiserit in confessione, Sacramentum valet et peccatum indirecte remittitur; sed poenitens tenetur peccatum omissum, cum recordatur, in proxima confessione accusare. [1]

Q. 448. *Quodnam peccatum committit, qui culpabiliter peccatum mortale in confessione reticet?*

R. Qui culpabiliter peccatum mortale in confessione reticet, non solum ex confessione nullam utilitatem consequitur, sed insuper committit grave sacrilegii peccatum.

Q. 449. *Quid facere debet qui peccatum mortale culpabiliter reticuit in confessione, aut peccata mortalia nondum remissa confessus est sine debita contritione?*

R. Qui peccatum mortale culpabiliter reticuit in

---

quae scilicet peccata totius vitae respicit, est *necessaria*, cum de praecedentium confessionum invaliditate certo constat; est *suadenda*, si de earundem validitate graviter dubitatur; *permittenda*, si existimatur poenitentem ab ea notabilem fructum percipere posse, praesertim in quibusdam gravioribus vitae adiunctis, e. g., in fine exercitiorum spiritualium, adventante mortis periculo ...; *vetanda* in reliquis casibus ut inutilis et interdum noxia, e. g., quum agitur de scrupulosis.

[1] Alex. VII, *prop. 11 inter damnatas, 24 sept. 1665;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. V, n. 49.*

confessione, aut peccata mortalia nondum remissa confessus est sine debita contritione, dicere debet in quot confessionibus id commiserit, quot sacrilegas Communiones fecerit, omnia peccata mortalia in illis confessionibus reticita vel accusata repetere, et simul omnia alia peccata mortalia, quae forte postea commisit, confiteri.

Q. 450. *Qualis insuper debet esse confessio ad licitam sacramenti Poenitentiae receptionem?*

R. Ad licitam sacramenti Poenitentiae receptionem confessio debet insuper esse devota et humilis, ita ut poenitens brevi et clara oratione, quae modestiam coniunctam habeat, exclusis inutilibus verbis, sua peccata demisse confiteatur, ea non excuset, minuat, augeat, et confessarii monita recipiat. [1]

d) *De satisfactione.*

Q. 451. *Quid est satisfactio?*

R. Satisfactio est poena pro peccatis in confessione patefactis, poenitenti a confessario iniuncta, quae ex meritis Iesu Christi, per iudicium sacramentale applicatis, specialem vim habet ad poenam temporalem peccatis debitam solvendam.

Q. 452. *Ad quem finem confessarius satisfactionem iniungit?*

R. Confessarius, quantum spiritus et prudentia suggerit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, iniungit satisfactionem salutarem et convenientem, non tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis

[1] Catechismus ad parochos, *p. II, c. V, n. 50, 51.*

medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem. [1]

Q. 453. *Quandonam poenitens satisfactionem a confessario iniunctam exsequi debet?*

R. Nisi confessarius tempus exsecutionis assignaverit, curet poenitens satisfactionem a confessario iniunctam quamprimum exsequi.

Q. 454. *Quid agere debet poenitens, si satisfactionem a confessario iniunctam exsequi vel absolute nequeat vel non sine gravi difficultate?*

R. Si satisfactionem a confessario iniunctam poenitens exsequi vel absolute nequeat vel non sine gravi difficultate, debet id humiliter confessario indicare, ut eam commutet.

B) ***De absolutione sacramentali.***

Q. 455. *Quid est absolutio sacramentalis?*

R. Absolutio sacramentalis est actus quo confessarius, nomine Iesu Christi, peccata poenitenti rite confesso et contrito, per debitae formae prolationem, remittit.

Q. 456. *Confessarius absolutionem sacramentalem potestne denegare aut differre?*

R. Confessarius absolutionem sacramentalem tunc solum denegare potest et debet, si prudenter iudicet non constare de necessariis poenitentis dispositionibus; aliquando autem ad tempus eam iusta de causa differre potest, praesertim si poenitens consentiat, ut melius sese disponat. [2]

---

[1] Conc. Trid., *sess. XIV, cap. 8, 9.*

[2] Codex I. C., *can. 886.* – Rituale Romanum, *tit. III, cap. I, n. 23,* haec habet: « Absolutionis incapaces sunt qui nulla dant

Q. 457. *Confessarius teneturne ad sacramentale sigillum?*

R. Confessarius tenetur ad inviolabile sacramentale sigillum; et non solum nequit revelare peccata quae in confessione audiverit, sed diligenter etiam cavere debet ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem; imo interdictus ei est usus quoque scientiae ex confessione acquisitae, cum gravamine poenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo; nec superiores pro tempore exsistentes nec confessarii qui postea superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem ullo modo uti possunt. [1]

Q. 458. *Praeter confessarium, quinam simili obligatione adstringuntur?*

R. Praeter confessarium, simili obligatione adstrin-

«signa doloris; qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si «possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem dese- «rere, aut alio modo peccata derelinquere et vitam in melius «emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi «publice satisfaciant, et scandalum tollant; neve etiam eos «[confessarius] absolvat, quorum peccata sunt superioribus «reservata».

[1] Conc. Lat. IV, *cap. 21;* Codex I. C., *can. 889, 890.* – Sanctitatis Sacramenti huius tuendae causa, violationes sigilli sacramentalis Ecclesia gravissimis persequitur poenis, in Codice I. C. statutis. Nonnullos historia commemorat nostros sacerdotes, qui sacramentale secretum, quavis vexatione ipsaque morte contempta, servarunt: sit instar omnium Ioannes Nepomucenus qui hanc ipsam ob causam Christi martyr occubuit anno 1383, et in Sanctorum album relatus est.

guntur omnes qui aliquid de confessione sacramentali quoquo modo resciverint. [1]

C) *De effectu sacramenti Poenitentiae et de Indulgentiis.*

Q. 459. *Quinam sunt effectus sacramenti Poenitentiae, si poenitens, rite dispositus, confessus est peccata mortalia non remissa?*

R. Si poenitens, rite dispositus, confessus est peccata mortalia non remissa, hoc Sacramento:

1° remittitur culpa et poena aeterna et etiam, saltem partialiter, poena temporalis peccatis debita;

2° merita poenitentis, per mortale peccatum mortificata, reviviscunt, idest recuperant efficaciam quam ante peccatum habebant in ordine ad vitam aeternam; [2]

3° datur specialis gratia ad praecavenda in futurum peccata.

Q. 460. *Quinam sunt effectus sacramenti Poenitentiae, si poenitens, rite dispositus, non est confessus, nisi peccata venialia aut mortalia iam remissa?*

R. Si poenitens, rite dispositus, non est confessus, nisi peccata venialia aut mortalia iam remissa, sacramentum Poenitentiae remittit peccata venialia, auget gratiam sanctificantem, ad peccata in posterum vitanda adiuvat, et debitum poenae temporalis, per peccata contractum, efficacius dissolvit.

Q. 461. *Absolutione sacramentali et peracta satis-*

[1] Codex I. C., *can. 889 et 890, § 2.*

[2] S. Thomas, *p. 3ª, q. 89, a. 5.*

factione a confessario imposita, remittiturne semper tota poena temporalis peccatis debita?

R. Absolutione sacramentali et peracta satisfactione a confessario imposita, non semper remittitur tota poena temporalis peccatis debita, quae tamen exstingui potest aliis satisfactionibus voluntariis et praesertim Indulgentiis. [1]

Q. 462. *Quid intelligitur nomine* Indulgentiae?

R. Nomine *Indulgentiae* intelligitur remissio coram Deo poenae temporalis debitae peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis; quam remissionem Ecclesia extra sacramentum Poenitentiae concedit. [2]

Q. 463. *Quomodo Ecclesia remittit poenam temporalem peccatis debitam per Indulgentias?*

R. Ecclesia remittit poenam temporalem peccatis debitam per Indulgentias, applicando vivis quidem per modum absolutionis, defunctis autem per modum suffragii, Iesu Christi satisfactiones infinitas et beatae Mariae Virginis et Sanctorum satisfactiones superabundantes, quae spiritualem Ecclesiae thesaurum constituunt. [3]

Q. 464. *Quinam possunt Indulgentias elargiri?*

R. Indulgentias elargiri possunt Romanus Pontifex,

---

[1] Conc. Trid., *sess. VI, cap. 14* et *can. 30; sess. XIV, cap. 8* et *can. 12.*

[2] Matth., *XVI, 19; XVIII, 18;* Paul., *2ª ad Cor., II, 6, 10;* Conc. Trid., *sess. XXV, Decret. de Indulg.;* Clemens VI, *Const.* Unigenitus Dei Filius, *25 ian. 1343;* Leo X, *prop. 17 et seqq. inter damn., 15 iun. 1520;* Pius VI, *Bulla* Auctorem fidei, *prop. 40;* Pius XI, *Bulla indictionis Anni sancti 1925;* Codex I. C., *can. 911-924.*

[3] Paul., *ad Rom., V, 15-21.*

cui totius spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, aliique quibus vel ab ipso Romano Pontifice vel a iure, ex. gr. Episcopis, concessum est. [1]

Q. 465. *Quotuplex est Indulgentia?*

R. Indulgentia est duplex, scilicet *plenaria* qua remittitur tota poena temporalis peccatis debita, et *partialis* qua remittitur pars tantum poenae temporalis.

Q. 466. *Quomodo plenaria Indulgentia intelligitur concessa?*

R. Plenaria Indulgentia ita intelligitur concessa, ut si quis eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione quam habet. [2]

Q. 467. *Quid requiritur, ut quis sibi lucrari possit Indulgentias?*

R. Ut quis sibi lucrari possit Indulgentias, requiritur ut:

1º sit baptizatus non excommunicatus; [3]

2º habeat intentionem saltem generalem eas lucrandi;

3º opera iniuncta rite exsequatur;

4º sit in statu gratiae, saltem in fine operum praescriptorum, et animo liber a quolibet peccato veniali, si agatur de Indulgentia plenaria plene lucranda.

Q. 468. *Qui Indulgentias acquirit, quibusnam eas applicare potest?*

R. Qui Indulgentias acquirit, potest, nisi aliud declaratum fuerit, animabus in Purgatorio detentis appli-

---

[1] Codex I. C., *can. 912.*
[2] Codex I. C., *can. 926.*
[3] Codex I. C., *can. 925.*

care indulgentias omnes a Romano Pontifice concessas; aliis autem in vita degentibus nullas Indulgentias applicare potest.[1]

Art. 5. – De sacramento Extremae Unctionis.

Q. 469. *Quid est sacramentum Extremae Unctionis?*

R. Sacramentum Extremae Unctionis est Sacramentum a Iesu Christo institutum, quo omnibus, post usum rationis vita periclitantibus, spiritualia auxilia, in mortis periculo maxime proficua, conferuntur, et aliquando etiam solamen ab infirmitatibus corporis.[2]

Q. 470. *Quid igitur efficit Extrema Unctio?*

R. Extrema Unctio:

1° gratiae augmentum confert;

2° animum infirmi allevat et adiuvat praesertim ad tentationes in ultimo agone superandas;

3° abstergit peccatorum reliquias, et remittit peccata venialia, imo et mortalia, si infirmus, eorum non conscius, sit saltem attritus et confiteri nequeat;

4° aliquando morbum depellit, si id animae saluti expediat.[3]

Q. 471. *Quisnam est minister huius Sacramenti?*

R. Minister ordinarius huius Sacramenti est paro-

[1] Codex I. C., *can. 930.*

[2] Conc. Lugd. II, *Prof. fidei Mich. Pal.;* Conc. Flor., *Decret. pro Armenis;* Conc. Trid., *sess. XIV, De sacr. Extr. Unct.;* Innoc. III, *Prof. fidei Waldensibus praescripta;* Pius X, *Decret.* Lamentabili, *3 iulii 1908, prop. 48 inter damnatas.*

[3] Iac., *V, 14, 15;* Conc. Trid., *sess. XIV, cap. 2, De Extr. Unctione;* S. Caesarius Arelat., *Serm. CCLXV, 3.* – Peccatorum reliquiae sunt animae debilitates et pravi habitus e peccato manantes.

chus loci, in quo degit infirmus; in casu autem necessitatis, vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc Sacramentum ministrare potest. [1]

Q. 472. *Quaenam est materia Extremae Unctionis?*

R. Materia remota Extremae Unctionis est oleum olivarum benedictum ab Episcopo, vel a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit; unctio ex hoc oleo est materia proxima.

Q. 473. *Quaenam est forma Extremae Unctionis?*

R. Forma Extremae Unctionis est oratio quam minister in unctione peragenda, secundum suos probatos rituales libros, pronuntiat. [2]

Q. 474. *Cuinam hoc Sacramentum confertur?*

R. Hoc Sacramentum confertur fideli qui, post adeptum usum rationis, ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versatur.

Q. 475. *Quoties hoc Sacramentum conferri potest?*

R. Hoc Sacramentum in eodem mortis periculo semel tantum conferri potest; sed si periculum, postquam cessaverit, rursus exsistat, potest iterari. [3]

Q. 476. *Hoc Sacramentum potestne conferri infirmo qui non sit sui compos?*

R. Hoc Sacramentum conferri potest etiam infirmo qui, cum esset sui compos, illud saltem implicite petiit vel verisimiliter petiisset, etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserit. [4]

---

[1] Codex I. C., *can. 938*, § *2*. – In Ecclesia orientali plures presbyteri una simul hoc Sacramentum conferre solent.

[2] Conc. Trid., *l. c.*

[3] Codex I. C., *can. 940*, § *2*.

[4] Codex I. C., *can. 943*.

Q. 477. *Aegrotus, antequam Extremam Unctionem recipiat, quid agere debet?*

R. Aegrotus, antequam Extremam Unctionem recipiat:

1° confiteatur, si potest, peccata sua, secus actum contritionis eliciat;

2° edat etiam actus fidei, spei, caritatis plenique obsequii in Dei voluntatem.

Q. 478. *Hoc Sacramentum estne necessarium ad salutem?*

R. Hoc Sacramentum non est absolute necessarium ad salutem, sed nefas est illud negligere; imo omni studio ac diligentia curandum, ut ubi aegrotus in vitae periculo versari inceperit, quamprimum, dum sui compos est, hoc Sacramentum recipiat. [1]

Art. 6. – De sacramento Ordinis.

Q. 479. *Quid est sacramentum Ordinis seu sacrae ordinationis?*

R. Sacramentum Ordinis seu sacrae ordinationis est Sacramentum a Iesu Christo institutum ad constituendos in Ecclesia Episcopos, presbyteros et ministros, cum sua quemque potestate et gratia, quibus

---

[1] Codex I. C., *can. 944.* – Odiose crudeliterque vel per speciem amoris ac prudentiae is facit, cuius interdicto vel negligentiâ sacerdos ad ministranda morientibus Sacramenta non tempestive advocatur. Fratrem tuum, o christiane qui sic agis, supremis Religionis auxiliis solatiisque destituis; fortasse facultatem ac modum ipsi adimis aeternae beatitatis assequendae. O quam gravis erit a te ratio repetenda!

iidem sacra munia, iuxta proprium gradum, rite obire queant. [1]

Q. 480. *Hi gradus suntne aequales inter se?*

R. Hi gradus non sunt aequales inter se, sed sunt alii aliis praestantiores, et efficiunt sacram Ordinis hierarchiam. [2]

Q. 481. *Quandonam Iesus Christus hoc Sacramentum praecipue instituit?*

R. Iesus Christus hoc Sacramentum praecipue instituit, quando Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus dedit potestatem offerendi Missae sacrificium, et remittendi ac retinendi peccata. [3]

Q. 482. *Quaenam est sacerdotii dignitas?*

R. Maxima est sacerdotii dignitas, quia sacerdos est Christi minister et dispensator mysteriorum Dei, mediator inter Deum et homines, potestatem habens in Christi corpus et reale et mysticum. [4]

---

[1] Act., *VI, 6; XIII, 3;* Paul., *1ª ad Tim., IV, 14; V, 22; 2ª ad Tim., I, 6;* Conc. Lugd. II, *Prof. fidei Mich. Pal.;* Conc. Flor., *Decret. pro Armenis;* Conc. Trid., *sess. XXIII, can. 3;* Pius X, *Decret.* Lamentabili, *prop. 50 inter damnatas.*

[2] Matth., *XVI, 18, 19; XVIII, 18;* Ioan., *XXI, 17;* Act., *VI, 6;* Paul., *1ª ad Tim., III, 1-13; ad Tit., I, 5-9;* Conc. Trid., *sess. XXIII, can. 2, 6, 7.*

[3] Matth., *XVIII, 18;* Luc., *XXII, 19;* Ioan., *XX, 23;* Paul., *1ª ad Cor., XI, 23-25.*

[4] Paul., *1ª ad Cor., IV, 1; 2ª ad Cor., V, 20; VI, 4; 1ª ad Tim., V, 17; ad Hebr., XIII, 17;* Pius XI, *Epist.* Officiorum omnium, *1 aug. 1922.* – Hinc ad sacerdotii dignitatem admittendi non sunt, nisi qui, a Deo vocati et a superioribus rite probati, ecclesiastica munera hac una causa suscipiunt ut divinae gloriae et animarum saluti inserviant. « Nec quisquam,

Q. 483. *Quaenam est materia et quaenam forma sacrae ordinationis?*

R. Sacrae ordinationis materia est impositio manuum vel traditio instrumentorum in probatis pontificalibus libris praescripta; forma vero sunt relativa verba quae minister pronuntiat, dum manus imponit vel instrumenta tradit.

Q. 484. *Quomodo se gerere debent fideles erga sacerdotes?*

R. Fideles sacerdotibus omnem honorem et reverentiam praestare debent, atque Deum rogare ut dignos et sanctos ministros Ecclesiae suae largiatur. [1]

Q. 485. *Peccantne parentes, qui filios vel ad sacerdotium cogunt, vel ab eo avertunt?*

R. Peccant parentes, qui filios vel ad sacerdotium cogunt, quia Dei ius usurpant qui sibi soli per Episcopi ministerium reservat electionem suorum ministrorum; vel ab eo avertunt, quia resistunt divinae voluntati, iniuste denegant filiis ius divinam vocationem sequendi et seipsos filiosque privant multis et electis gratiis. [2]

Q. 486. *Quisnam est minister sacrae ordinationis?*

R. Sacrae ordinationis minister ordinarius est Episcopus proprius illius qui promoveri debet, aut Epi-

---

«ait S. Paulus, *ad Hebr., V, 4,* sumit sibi honorem, sed qui «vocatur a Deo tamquam Aaron». Catechismus ad parochos, *p. II, c. VII, n. 3 et seq.*

[1] Matth., *IX, 38; X, 40;* Luc., *X, 2, 16;* Ioan., *XIII, 20.*

[2] Ioan., *XV, 16.*

scopus eius delegatus; extraordinarius, qui a iure vel ex peculiari indulto apostolico potestatem recepit aliquos Ordines conferendi.[1]

Art. 7. – De sacramento Matrimonii.[2]

Q. 487. *Quid est sacramentum Matrimonii?*

R. Sacramentum Matrimonii est ipsummet coniugium inter baptizatos valide initum, ad dignitatem Sacramenti a Iesu Christo evectum, quo gratia coniugibus confertur ut officia, quibus et inter se et erga filios adstringuntur, rite expleant.[3]

Q. 488. *Potestne inter baptizatos validum Matrimonium consistere quin sit Sacramentum?*

R. Inter baptizatos validum Matrimonium consistere nequit, quin sit eo ipso Sacramentum, quia Iesus Christus ad dignitatem Sacramenti ipsum eorumdem Matrimonium evehere dignatus est.[4]

Q. 489. *Quinam sunt ministri huius Sacramenti?*

R. Ministri huius Sacramenti sunt ipsimet sponsi Matrimonium contrahentes.

---

[1] Codex I. C., *can. 951.*

[2] Praescriptiones canonicas, quae hic memorantur, de Matrimonii proprietatibus, de impedimentis matrimonialibus tum impedientibus tum dirimentibus, de consensu matrimoniali, de forma celebrationis Matrimonii, vide fusius explicatas in Codice I. C., *can. 1012 et seq.*

[3] Paul., *ad Ephes., V, 22-33;* Conc. Flor., *Decret. pro Armenis;* Conc. Trid., *sess. VII, De Sacramentis, can. 1 et sess. XXIV, De sacram. Matr., can. 1;* Leo XIII, *Encycl.* Arcanum divinae sapientiae, *10 febr. 1880;* S. Cyrillus Alex., *In Ioann. Evang., II, 1.*

[4] Leo XIII, *l. c.;* Codex I. C., *can. 1012.*

Q. 490. *Quaenam est materia et quaenam forma sacramenti Matrimonii?*

R. Materia sacramenti Matrimonii est mutua traditio iuris in corpus in ordine ad Matrimonii finem; forma est mutua huius traditionis acceptatio.

Q. 491. *Quaenam sunt essentiales Matrimonii proprietates?*

R. Essentiales Matrimonii proprietates sunt unitas et indissolubilitas, quae in Matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione Sacramenti. [1]

Q. 492. *In quonam consistit unitas Matrimonii?*

R. Unitas Matrimonii in hoc consistit, ut vir, vivente uxore, aliam uxorem habere nequeat, nec uxor, vivente viro, alium virum. [2]

Q. 493. *In quonam consistit indissolubilitas Matrimonii?*

R. Indissolubilitas Matrimonii in hoc consistit, ut vinculum matrimoniale nunquam, nisi morte, dissolvi possit. [3]

---

[1] Matth., *V*, *32; XIX*, *3-9;* Marc., *X*, *2-12;* Luc., *XVI*, *18;* Paul., *ad Rom.*, *VII*, *2*, *3; 1ª ad Cor.*, *VI*, *16; VII*, *10*, *11*, *39;* Leo XIII, *l. c.*; S. Aug., *De adulterinis coniugiis*, *I*, *9; De nuptiis et concup.*, *I*, *10*.

[2] Matth., *XIX*, *4-6;* Conc. Trid., *l. c.*, *can. 2;* Innoc. III, *Epist. ad Episc. Tiberiadensem.*

[3] Matth., *XIX*, *6;* Marc., *X*, *11-12;* Luc., *XVI*, *18;* Paul., *ad Rom.*, *VII*, *3; 1ª ad Cor.*, *VII*, *10-11*, *39;* Conc. Trid., *l. c.*, *can. 6*, *7;* Pius IX, *prop. 67 in Syllabo;* Leo XIII, *l. c.* – Hanc alteram Matrimonii proprietatem breviter ita declaramus:

Matrimonium initum inter partes fideles:

1º Ratum et consummatum est indissolubile;

2º Ratum tantum, dissolvitur tum ipso iure per solem-

Q. 494. *Quo iure regitur Matrimonium baptizatorum?*

R. Matrimonium baptizatorum regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus.

---

nem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica concessam, una saltem parte rogante.

Initum inter partes infideles:

1° Si neutra baptismum recepit, est naturaliter indissolubile;

2° Si una tantum, matrimonium dissolvitur tum ipso iure in favorem fidei per privilegium paolinum, si nempe pars infidelis nec velit et ipsa converti et baptismum suscipere, nec cum baptizata pacifice cohabitare sine contumelia Creatoris, et pars baptizata novas nuptias inierit; tum per dispensationem a Sede Apostolica concessam, parte baptizata rogante.

3° Si utraque (atque ita matrimonium ratum evasit):

a) Si post baptismum matrimonium consummatum fuit, est indissolubile;

b) Si neque ante neque post baptismum matrimonium consummatum fuit, dissolvitur tum ipso iure per solemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica concessam, una saltem parte rogante;

c) Si ante baptismum matrimonium consummatum fuit, non autem postea, dissolvi potest per dispensationem a Sede Apostolica concessam, una saltem parte rogante.

Initum inter partem fidelem et partem infidelem cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus:

1° Matrimonium non solvitur per privilegium paolinum;

2° Non consummatum solvitur solemni professione religiosa et pontificia dispensatione, parte fideli rogante.

Pro usu autem pontificiae potestatis requiri iustas, graves, urgentesque causas, absente scandalo, palam est.

Q. 495. *Quinam sunt Matrimonii effectus mere civiles?*

R. Matrimonii effectus mere civiles sunt effectus a Matrimonii substantia separabiles, uti quantitas dotis debitae, iura successionis coniugum ad invicem, filiorum parentibus, parentum filiis, etc.

Q. 496. *Quid intelligitur nomine impedimenti matrimonialis?*

R. Nomine impedimenti matrimonialis intelligitur quidquid Matrimonii celebrationem reddit aut illicitam tantum (*impedimentum impediens*), aut etiam invalidam (*impedimentum dirimens*).

Q. 497. *Quisnam potest impedimenta pro baptizatis declarare aut constituere?*

R. Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae ius est tum declarandi quandonam ius divinum Matrimonium impediat vel dirimat, tum alia impedimenta Matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis universalis vel particularis. [1]

Q. 498. *Quaenam sunt impedimenta quae Matrimonium simpliciter impediunt?*

R. Impedimenta quae Matrimonium simpliciter impediunt, sunt: [2]

1º votum simplex vel virginitatis, vel castitatis perfectae, vel non nubendi, vel suscipiendi Ordines sacros et amplectendi statum religiosum;

2º mixta religio;

3º cognatio legalis ex adoptione orta, in iis regionibus ubi lex civilis illam habet qua impedimentum Matrimonium impediens.

---

[1] Conc. Trid., *sess. XXIV, can. 4.*

[2] Codex I. C., *can. 1058-1066.*

Q. 499. *Quaenam sunt impedimenta quae Matrimonium dirimunt?*

R. Impedimenta quae Matrimonium dirimunt, sunt: [1]

1° aetas;
2° impotentia antecedens et perpetua;
3° ligamen seu vinculum prioris matrimonii;
4° disparitas cultus;
5° Ordo sacer;
6° solemnis professio religiosa;
7° raptus;
8° crimen;
9° consanguinitas;
10° affinitas;
11° publica honestas;
12° cognatio spiritualis ex Baptismo orta;
13° cognatio legalis ex adoptione orta, in iis regionibus ubi lex civilis illam habet qua impedimentum Matrimonium dirimens.

Q. 500. *Quid requiritur ad Matrimonium valide contrahendum?*

R. Ad Matrimonium valide contrahendum requiritur, ut sponsi:

1° immunes sint ab omni impedimento dirimente;
2° libere consentiant;
3° nuptias baptizati in catholica Ecclesia aut ad eamdem conversi contrahant coram parocho, vel Ordinario loci, vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus.

[1] Codex I. C., *can. 1067, 1080.*

Q. 501. *Quid praeterea requiritur ad Matrimonium licite contrahendum?*

R. Ad Matrimonium licite contrahendum requiritur praeterea, ut sponsi:

1° sint in statu gratiae;

2° in christiana doctrina sufficienter instructi;

3° immunes a quolibet impedimento impediente;

4° alia Ecclesiae praescripta pro Matrimonii celebratione servent.

Q. 502. *Ecclesia dispensatne aliquando in impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis?*

R. Ecclesia nonnisi ex gravissima causa dispensat in impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis, permittens Matrimonium inter catholicum et non catholicum.

Q. 503. *Quando Ecclesia hanc dispensationem concedit, permittens hoc Matrimonium, quid exigit?*

R. Quando Ecclesia hanc dispensationem concedit, permittens hoc Matrimonium, cautionem a coniuge quidem acatholico exigit ut amoveat a coniuge catholico perversionis periculum, ab utroque autem coniuge ut universa proles catholice baptizetur et educetur; insuper coniux catholicus obligatione tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi.

Q. 504. *Ad quem iudicem causae matrimoniales pertinent?*

R. Causae matrimoniales inter baptizatos quae vinculum respiciunt, iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum pertinent, firma competentia civilis auctoritatis in iis causis quae effectus mere civiles spectant. [1]

---

[1] Conc. Trid., *sess. XXIV, can. 12*; C. I. C., *can. 1960 et 1961.*

Q. 505. *Debentne fideles auctoritati ecclesiasticae impedimenta matrimonialia revelare?*

R. Fideles auctoritati ecclesiasticae impedimenta matrimonialia revelare debent, praesertim cum fiunt Matrimonii proclamationes, ab Ecclesia ideo statutae ut impedimenta cognoscantur. [1]

Caput X.

De virtutibus.

Q. 506. *Quid est virtus?*

R. Virtus est habitus seu constans dispositio inclinans hominem ad bonum operandum et ad malum vitandum.

Q. 507. *Quotuplex est virtus?*

R. Virtus ratione obiecti est duplex, alia theologica, alia moralis.

---

[1] In eligendo vitae statu, ante omnia Deum et animae tuae salutem respice. Si, re mature perpensa, Matrimonium magis tibi convenire censueris, tunc hanc tuam mentem debes aperire parentibus, quorum et ius et officium est te in tam gravi negotio opportunis consiliis adiuvandi, quamvis nequeant vel te a quibusvis nuptiis avertere, vel exigere ut nuptias contrahas cum persona quae tibi non placeat. Deinde orationi instando bonisque operibus, praesertim morum integritati studendo, ad Matrimonium te diligenter praepara. Praemissa sacramentali confessione, ad magni Sacramenti celebrationem accede, eique veluti Dei sigillum appone, sanctissimam Eucharistiam, simul cum coniuge, digne suscipiendo, ut uberiores gratiae ex divini Cordis fonte in matrimoniale consortium deriventur. Semper autem in animo propositum defixum habeas, sancte inviolateque Matrimonii iura legesque servandi, et prolis, quam Deus dederit, in religione bonisque moribus educandae.

Sectio 1ª. – De virtutibus theologicis.

Art. 1. – De virtutibus theologicis in genere.

Q. 508. *Quid est virtus theologica?*

R. Virtus theologica est virtus cuius obiectum immediatum est Deus ut finis supernaturalis, hominemque ad eum directe ordinat. [1]

Q. 509. *Quot sunt virtutes theologicae?*

R. Virtutes theologicae sunt tres: *fides*, *spes*, *caritas*.

Q. 510. *Virtutes theologicae acquirine possunt per actus naturales?*

R. Virtutes theologicae acquiri nequeunt per actus mere naturales, quia sunt natura sua supernaturales, ideoque solus Deus eas infundit una cum gratia sanctificante. [2]

Q. 511. *Quandonam virtutes theologicae in homine infunduntur?*

R. Virtutes theologicae in homine infunduntur in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum acquisita vel per Baptismi sacramentum vel per actum contritionis cum voto Sacramenti. [3]

---

[1] S. Thomas, *1ª 2ªe, q. 62, a. 1, 2.*

[2] Ioan., *VI, 44; XV, 5;* Paul., *ad Rom., V, 5; 2ª ad Cor., III, 5; ad Philipp., I, 29.*

[3] Paul., *ad Rom., V, 2; VIII, 24; 1ª ad Cor., XIII, 13; 1ª ad Thess., I, 3; ad Hebr., XI, 6; 1ª* Ioan., *IV, 15-19;* Conc. Trid., *sess. VI, cap. 7;* Clemens V, *Const.* De summa Trinitate *in Conc. Viennensi;* S. Polycarpus, *Epist. ad Philippenses, 3;* S. Ioann. Chrys., *In Act. Apost., XL, 2;* Catechismus ad parochos, *p. II, c. II, n. 50, 51.*

Q. 512. *Virtutes theologicae suntne necessariae ad salutem?*

R. Virtutes theologicae sunt omnino necessariae ad salutem, quia recta ordinatio tum intellectus tum voluntatis in finem supernaturalem sine ipsis haberi nequit. [1]

Q. 513. *Quaenam est virtus excellentissima inter virtutes theologicas?*

R. Inter virtutes theologicas virtus excellentissima est caritas, quae est legis perfectio, et ne in caelo quidem excidit. [2]

Q. 514. *Quandonam tenemur ad eliciendos actus fidei, spei et caritatis?*

R. Tenemur ad eliciendos, saltem implicite, actus fidei, spei et caritatis saepius in vita, praesertim quando quis, usum rationis adeptus, sufficientem divinae revelationis notitiam obtinuit, et praesertim quoties ii actus requiruntur vel ad obligationem implendam vel ad tentationes superandas, et in periculo mortis. [3]

---

[1] Marc., *XVI, 16;* Ioan., *IV, 15-20;* Act., *VIII, 37; X, 43;* Paul., *ad Rom., V, 2; VIII, 24; ad Hebr., XI, 6.*

[2] Matth., *XXII, 35-40;* Ioan., *XIII, 14; XIV, 21, 23;* Paul., *ad Rom., XIII, 10; 1ª ad Cor., XIII, 1-13; ad Coloss., III, 14;* Iac., *II, 8;* Benedictus XII, *Const.* Benedictus Deus, *29 iunii 1336;* S. Clemens Rom., *Epist. ad Cor., I, 49;* S. Thomas, 2^a 2^{ae}, *q. 23, a. 6, 7.*

[3] Alex. VII, *prop. 1 inter damn., 24 sept. 1665;* Inn. XI, *prop. 6, 7, 16, 17 damn., 2 mart. 1679.*

Art. 2. – De virtutibus theologicis in specie.

A) ***De fide.***

Q. 515. *Quid est fides?*

R. Fides est virtus supernaturalis, qua, divina aspirante et adiuvante gratia, ea quae Deus revelavit et per Ecclesiam nos docuit, vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. [1]

Q. 516. *Debemusne credere omnes veritates revelatas?*

R. Debemus omnes veritates revelatas credere, saltem implicite, ex. gr.: *credo quidquid Deus revelavit et Ecclesia credendum proponit*, aut brevius: *credo quidquid credit sancta mater Ecclesia;* explicite autem credere debemus Deum esse eumque remuneratorem, et mysteria sanctissimae Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis. [2]

---

[1] Paul., *1ª ad Cor., II, 5, 7-13; ad Hebr., XI, 1; ad Rom., X, 14-17;* Conc. Vat., *Const.* Dei Filius, *cap. 3;* S. Leo Magn., *Sermo XXVII, 1;* S. Ioann. Chrys., *In Matth., LXXXII, 4.*

[2] Matth., *XXVIII, 19;* Ioan., *III, 15, 18, 36; XVII, 3; XX, 31;* Paul., *ad Hebr., XI, 6;* Innocentius XI, *prop. 22 et 64 inter damnatas decreto* S. Congr. S. Officii, *die 2 mart. 1679;* Decret. S. Officii, *25 ian. 1703.* Has credere veritates est ad salutem necessarium necessitate medii, uti aiunt, dum alias veritates credere est necessarium necessitate praecepti; porro necessarium necessitate medii dicitur illud, sine quo sive ex natura sua sive ex divina institutione finis obtineri nequit, dum necessarium necessitate praecepti est illud, quo inculpabiliter omisso, finis adhuc obtineri potest. Hinc quidquid est necessarium necessitate medii ad salutem, est quoque necessarium necessitate praecepti.

Q. 517. *Fides potestne esse contra rationem?*

R. Quamvis fides sit supra rationem, nullo tamen modo est contra rationem, nec ulla umquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest. [1]

Q. 518. *Curnam numquam vera dissensio inter fidem et rationem esse potest?*

R. Numquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, quia idem Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animae humanae rationis lumen indidit; Deus autem negare seipsum non potest, nec verum vero umquam contradicere. [2]

Q. 519. *Possuntne fides et ratio opem sibi mutuam ferre?*

R. Fides et ratio possunt opem sibi mutuam ferre, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata, rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. [3]

Q. 520. *Quandonam debemus fidem exterius profiteri?*

R. Debemus fidem exterius profiteri, quoties nostrum silentium, tergiversatio aut ratio agendi, secum ferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, iniuriam Dei vel scandalum proximi. [4]

Q. 521. *Quomodo fidem manifestamus?*

R. Fidem manifestamus, eam profitentes verbo et opere, et, si oportuerit, etiam mortem oppetendo. [5]

---

[1] Conc. Vat., *Const.* Dei Filius, *cap. 4.*

[2] Conc. Vat., *l. c.;* Pius IX, *Encyc.* Qui pluribus, *9 nov. 1846.*

[3] Conc. Later. V, *sess. VIII;* Conc. Vat., *l. c.*

[4] Paul., *ad Rom., X, 10; 2ª ad Tim., II, 12;* Codex I. C., *can. 1325.*

[5] Paul., *ad Rom., X, 9, 10; ad Galat., V, 6;* Iac., *II, 18, 21.*

Q. 522. *Quomodo amittitur fides?*

R. Fides amittitur per apostasiam vel haeresim, cum scilicet baptizatus omnes vel aliquas fidei veritates reicit, aut eas actu deliberato in dubium revocat.

Q. 523. *Praeter apostatas et haereticos, quinam alii peccant contra fidem?*

R. Praeter apostatas et haereticos, peccant contra fidem:

1° non baptizatus qui fidem sibi sufficienter propositam respuit *(infidelitas positiva);*

2° qui sibi comparare negligit sufficientem institutionem religiosam, suo statui et aetati congruentem;

3° qui errores profitetur ab Ecclesia proscriptos, plus minusve ad haereticam pravitatem accedentes;

4° qui voluntarie se exponit periculo recedendi a fide, ex. gr., qui sine debita licentia et cautela legit libros ab Ecclesia prohibitos, praesertim libros apostatarum, haereticorum aut schismaticorum, apostasiam, haeresim aut schisma propugnantes. [1]

B) ***De spe.***

Q. 524. *Quid est spes?*

R. Spes est virtus supernaturalis, qua, ob merita Iesu Christi, nixi Dei bonitate, omnipotentia et fidelitate, exspectamus vitam aeternam et gratias necessarias ad eam consequendam quam Deus promisit iis qui bona opera facient. [2]

---

[1] Codex I. C., *can. 2318, § 1.*

[2] Ioan., *VI, 40;* Paul., *ad Rom., V, 2; VIII, 24; 2ª ad Cor., V, 2; ad Coloss., I, 23, 27; ad Tit., I, 2; ad Hebr., III, 6;* Benedictus XII, *Const.* Benedictus Deus, *29 ian. 1336;* S. Ioan. Chrys., *In Epist. ad Rom., XIV, 6.*

Q. 525. *Quomodo spem manifestamus?*

R. Spem manifestamus non solum verbis sed etiam opere, dum fidentes ex animo divinis promissis, vitae asperitates atque aerumnas ipsasque persecutiones patienter toleramus. [1]

Q. 526. *Quomodo amittitur spes?*

R. Spes amittitur per peccatum sive desperationis sive praesumptionis, et per peccata quibus amittitur fides. [2]

Q. 527. *Quid est* desperatio?

R. *Desperatio* est diffidentia voluntaria et deliberata obtinendi a Deo beatitudinem aeternam et media ad eam ordinata.

Q. 528. *Quid est* praesumptio?

R. *Praesumptio* est temeraria fiducia beatitudinis aeternae assequendae vel sine gratia vel sine operibus bonis.

C) ***De caritate.***

Q. 529. *Quid est caritas?*

R. Caritas est virtus supernaturalis, qua diligimus Deum super omnia propter seipsum, et nosmetipsos ac proximum propter Deum. [3]

---

[1] Paul., *ad Rom.*, *VIII*, *17*, *18*, *23-25*; *1ª ad Cor.*, *IX*, *25*; *2ª ad Cor.*, *I*, *7*; *IV*, *8-18*; *VII*, *1*.

[2] Gen., *IV*, *13*; Matth., *III*, *9*; *XIX*, *25*, *26*; *XXVII*, *5*; Act., *I*, *16-19*, *26*.

[3] Matth., *XXII*, *37-39*; *1ª* Ioan., *III*, *17*, *18*; *IV*, *20*, *21*. – Haec caritatis definitio ita poterit ulterius declarari. Caritas dicitur *virtus supernaturalis*, quia caritate diligimus Deum cognitum non solis viribus naturalibus, sed auxiliis ab ipso Deo infusis. *Qua diligimus Deum:* proinde primarium obiectum caritatis est Deus. *Super omnia:* quia nostra voluntas fertur in

Q. 530. *Quomodo nostrum amorem Deo in primis probare debemus?*

R. Nostrum amorem Deo in primis probare debemus, eius mandata servando. [1]

Q. 531. *Quomodo praeterea amorem nostrum Deo probare possumus?*

R. Amorem nostrum Deo possumus praeterea probare operibus non praeceptis, sed eidem acceptis, quae vocantur *supererogatoria*.

Q. 532. *Quomodo amittitur caritas erga Deum?*

R. Caritas erga Deum amittitur quolibet peccato mortali; sed amissa per mortale peccatum gratia, non ideo semper amittitur et fides et spes. [2]

---

bonum, Deus autem est bonum super omnia et ideo super omnia amabilis. *Propter seipsum:* idest propter eius intrinsecam bonitatem; et ideo obiectum formale seu motivum caritatis est ipsa infinita Dei bonitas. Quoniam vero amor alicuius propter seipsum est amor benevolentiae, et etiam Deus nos amore benevolentiae prosequitur, et mutuus benevolentiae amor est amicitia, hinc caritas est amicitia quaedam hominis ad Deum (S. Thomas, $2^a\ 2^{ae}$, *q. 23, a. 1*). *Et nosmetipsos ac proximum:* et ideo nosmetipsi ac proximus sumus obiectum secundarium caritatis. *Propter Deum:* qui enim amore benevolentiae diligit aliquem, eos quoque diligit quos ipse diligit, et ideo nosmetipsos et proximum nos diligimus, quia diligimus Deum et Deus nosmetipsos et proximum diligit; et nobis et proximo ea ex caritate optamus quae Deus ipse exoptat, nempe gratiam in hac vita et Paradisi gloriam in futura.

[1] Ioan., *XIV, 15, 21, 23;* 1^a Ioan., *V, 3;* S. Gregor. Magn., *In Evangelia,* II, 30, 1, 2.

[2] Iac., *II, 10, 11;* 1^a Ioan., *III, 6, 8, 9;* Paul., 1^a *ad Cor., XIII, 1-3;* Iac., *II, 14, 17, 24;* 1^a Ioan., *III, 15-18;* Conc. Trid., *sess. VI, cap. 15 et can. 27, 28;* S. Thomas, $2^a\ 2^{ae}$, *q. 24, a. 12.*

Q. 533. *Quomodo nosmetipsos diligere debemus?*

R. Nosmetipsos diligere debemus, gloriam Dei nostramque aeternam salutem in omnibus quaerendo.

Q. 534. *Quomodo proximum diligere debemus?*

R. Proximum diligere debemus per actus tum internos tum externos, scilicet offensas condonando, damnum, iniuriam et scandalum erga ipsum vitando, et ei pro viribus subveniendo in suis necessitatibus, praesertim operibus misericordiae spiritualis et corporalis.[1]

Q. 535. *Quaenam sunt opera misericordiae spiritualis?*

R. Opera misericordiae spiritualis sunt:

1° *dubitantibus consilia dare;*
2° *ignorantes instruere;*
3° *peccatores monere;*
4° *afflictos solari;*
5° *offensas remittere;*
6° *molestos patienter sustinere;*
7° *pro vivis et defunctis Deum orare.*[2]

Q. 536. *Quaenam sunt opera misericordiae corporalis?*

R. Opera misericordiae corporalis sunt:

1° *cibum praebere esurientibus;*
2° *potum praebere sitientibus;*
3° *nudos cooperire;*
4° *hospites excipere;*
5° *infirmos visitare;*

---

[1] Innocentius XI, *prop. 10, 11 inter damnatas per* S. Congr. S. Officii, *2 martii 1679.*

[2] II Machab., *XII, 46;* Matth., *X, 10;* Luc., *X, 26 et seqq.;* Paul., *ad Rom., XII, 12-17; ad Galat., VI, 1, 2; ad Ephes., IV, 1, 2, 32; VI, 18; ad Coloss., IV, 2; 1ª ad Thess., V, 14-17; 1ª ad Tim., II, 1, 2;* Iac., *V, 19, 20.*

6° *carcere clausos invisere;*

7° *mortuos sepelire.* [1]

Q. 537. *Caritas, qua proximum diligere debemus, complectiturne etiam inimicos?*

R. Caritas, qua proximum diligere debemus, complectitur etiam inimicos, quia illi quoque sunt proximi nostri, et quia Deus ipse hoc nobis dedit et mandatum et exemplum. [2]

Sectio 2ª. – De virtutibus moralibus.

Q. 538. *Quid est virtus moralis?*

R. Virtus moralis est virtus, cuius obiectum immediatum sunt actus honesti. rectae rationi conformes.

Q. 539. *Quotuplex potest esse actus virtutis moralis ratione finis ad quem dirigitur?*

R. Actus virtutis moralis, ratione finis ad quem dirigitur, potest esse vel *naturalis*, ex. gr., si quis ieiunat ne cibus noceat sanitati, vel *supernaturalis*, ex. gr., si quis ieiunat ut assequatur a Deo remissionem peccatorum, vel ut « castiget corpus suum et in servitutem « redigat ». [3]

Q. 540. *Quot et quaenam sunt praecipuae virtutes morales?*

R. Praecipuae virtutes morales sunt quatuor: *pru-*

---

[1] Tob., *IV*, *1-12; XII*, *12;* Eccli., *VII*, *39;* Is., *LVIII*, *7;* Ezech., *XVIII*, *7*, *16;* Matth., *XXV*, *35-45;* Paul., *ad Hebr.*, *XIII*, *2*, *16;* Iac., *I*, *27*.

[2] Matth., *V*, *44;* Luc., *VI*, *27*, *35; XXIII*, *34;* Act., *VII*, *59;* Paul., *ad Rom.*, *XII*, *20;* Catechismus ad parochos, *p. III*, *c. VI*, *n. 18 et seqq*.

[3] Paul., *1ª ad Cor.*, *IX*, *27;* S. Thomas, *1ª 2ªe*, *q. 63*, *a. 4*.

dentia, *iustitia*, *fortitudo*, *temperantia*, quae etiam virtutes *cardinales* appellantur. [1]

Q. 541. *Curnam hae virtutes dicuntur* cardinales?

R. Hae virtutes dicuntur *cardinales*, quia sunt veluti cardo et fundamentum totius aedificii moralis, et aliae virtutes morales ad eas reducuntur. [2]

Q. 542. *Quid praestant virtutes cardinales?*

R. *Prudentia* praestat, ut in omnibus rebus, quid expetendum quidve fugiendum sit, vitae aeternae causa, recte iudicemus;

Iustitia, ut suum cuique reddamus;

Fortitudo, ut nullis difficultatibus vel persecutionibus ipsaque morte a sequendo bono deterreamur;

Temperantia, ut pravas cupiditates compescamus, et sensibilibus bonis ne utamur nisi secundum rectam rationem.

Sectio 3ª. – De donis Spiritus Sancti.

Q. 543. *In iustificatione, cum remissione peccatorum et virtutibus theologicis, quid aliud infunditur in homine?*

R. In iustificatione, cum remissione peccatorum et virtutibus theologicis, simul in homine infunduntur dona Spiritus Sancti.

---

[1] Sap., *VIII*, 7; S. Aug., *In Epist. Ioannis, ad Parthos*, *VIII*, 1; S. Thomas, *1ª 2ªe*, *q.* 61, *a.* 9.

[2] Ita ad *iustitiam* reducuntur virtutes *religionis*, *pietatis*, *observantiae*, *obedientiae*, *grati animi*, *veracitatis*, *liberalitatis*, *amicitiae...;* ad *fortitudinem*, virtutes *magnanimitatis*, *patientiae*, *perseverantiae...;* ad *temperantiam*, virtutes *abstinentiae*, *honestatis*, *sobrietatis*, *castitatis*, *virginitatis*, *continentiae*, *mansuetudinis*, *modestiae*, *humilitatis...*; haec ultima fundamentalis virtus est, cum superbiam removeat, quae initium est omnis peccati.

Q. 544. *Quot enumerantur dona Spiritus Sancti?*

R. Dona Spiritus Sancti enumerantur septem: *sapientia*, *intellectus*, *consilium*, *fortitudo*, *scientia*, *pietas*, *timor Dei*.[1]

Q. 545. *Quam ob causam haec dona infunduntur?*

R. Haec dona ideo infunduntur homini iusto, ut facilius promptiusque recipiat et sequatur motionem Spiritus Sancti, qua ad bonum explendum et malum vitandum multis variisque modis impellitur.[2]

Q. 546. *Quid nobis praestant dona Spiritus Sancti?*

R. *Sapientia* nos adiuvat, ut divinarum rerum contemplatione delectemur, et tum de divinis tum de humanis secundum rationes divinas iudicemus;

Intellectus, ut mysteria fidei melius uti credibilia perspiciamus, quantum mortalibus licet;

Consilium, ut daemonis et mundi insidias caveamus, et in dubiis, quid magis expediat gloriae Dei et nostrae proximique saluti, cognoscamus;

Fortitudo, ut singulari virtute roboremur ad tentationes aliave spiritualia impedimenta superanda;

Scientia, ut recte discernamus credenda a non credendis, et dirigamur in iis quae pertinent ad vitam spiritualem;

Pietas, ut debitum cultum et officia praestemus Deo, Sanctis atque hominibus locum Dei erga nos obtinentibus, et ut miseris succurramus propter amorem Dei.[3]

---

[1] Isai., *XI*, *2*, *3*; S. Ambr., *De mysteriis*, *42*; *De Sacramentis*, *III*, *8*.

[2] Leo XIII, *Encycl.* Divinum illud munus, *9 mai 1897*; S. Thomas, 1^a 2^{ae}, *q. 68*, *a. 3*; S. Petrus Canisius, *De donis et fructibus Spiritus Sancti*, *III*, *B*.

[3] S. Thomas, 2^a 2^{ae}, *q. 101*, *a. 3*.

Timor Dei, ut a peccatis abstineamus ob divinae offensae metum, manantem ex reverentia filiali erga divinam maiestatem. [1]

Sectio 4ª. - De evangelicis beatitudinibus et Spiritus Sancti fructibus.

Q. 547. *Quinam sunt effectus virtutum theologicarum et donorum Spiritus Sancti?*

R. Effectus virtutum theologicarum et donorum Spiritus Sancti sunt beatitudines evangelicae et fructus Spiritus Sancti.

Q. 548. *Quaenam sunt evangelicae beatitudines?*

R. Evangelicae beatitudines eae sunt, quas ipse Christus in sermone quem habuit in monte, proposuit; scilicet:

1º *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum;*

2º *beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram;*

3º *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur;*

4º *beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur;*

5º *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;*

6º *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;*

7º *beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur;*

8º *beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* [2]

[1] S. Thomas, *2ª 2ªe, q. 7, a. 1.*

[2] Matth., *V, 3-10;* Luc., *VI, 20-22.*

Q. 549. *Curnam Iesus Christus* beatos *appellat qui has animi dispositiones habent?*

R. Iesus Christus *beatos* appellat qui has animi dispositiones habent, quia per illas quoddam veluti libamentum futurae beatitatis in hac vita consequuntur et gustant. [1]

Q. 550. *Quinam sunt* pauperes spiritu *qui beati dicuntur?*

R. *Pauperes spiritu* qui beati dicuntur, sunt qui ab externis bonis, praesertim divitiis et honoribus, ex animo separantur; immo, si res tulerit, ea sponte contemnunt; si possideant, moderate et bene ipsis utuntur; si careant, haud sollicite ipsa quaerunt; si amittant, ipsorum iacturam, obsequenter Dei voluntati, ferunt.

Q. 551. *Quinam sunt* mites?

R. *Mites* seu *mansueti* sunt qui comiter agunt cum proximo suo, patienter eius molestias tolerantes sine ulla vel querela vel vindicta.

Q. 552. *Quinam sunt* lugentes, *et tamen beati?*

R. *Lugentes*, et tamen beati, illi sunt, qui mundi voluptates minime quaerunt, Dei voluntati obtemperantes, huius vitae aerumnas cum gaudio ferunt, de peccatis admissis poenitentiam agunt, atque huius mundi mala et scandala et pericula salutis sincere deflent.

Q. 553. *Quinam sunt* qui esuriunt et sitiunt iustitiam?

R. *Qui esuriunt et sitiunt iustitiam*, sunt qui quotidie proficere student in operibus iustitiae et caritatis.

---

[1] Leo XIII, *l. c.;* S. Thomas, *1ª 2ªe, q. 69, a. 1.*

Q. 554. *Quinam sunt* misericordes?

R. *Misericordes* sunt qui propter amorem Dei sua bona proximo impertiunt, eiusque miserias cum spirituales tum corporales ab eodem removere student.

Q. 555. *Quinam sunt* mundo corde?

R. *Mundo corde* sunt qui non solum fugiunt peccatum mortale, maxime peccatum impuritatis, sed etiam se abstinent, quantum possunt, a veniali.

Q. 556. *Quinam sunt* pacifici?

R. *Pacifici* sunt qui non solum conservant pacem cum proximo, sed etiam inter alios eam instaurare student.

Q. 557. *Quinam sunt* qui persecutionem patiuntur propter iustitiam?

R. *Qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*, sunt qui derisiones, calumnias, et persecutiones patienter sustinent propter amorem Iesu Christi.

Q. 558. *Quot et quinam sunt Spiritus Sancti fructus?*

R. Spiritus Sancti fructus enumerantur duodecim ab Apostolo: *caritas*, *gaudium*, *pax*, *patientia*, *benignitas*, *bonitas*, *longanimitas*, *mansuetudo*, *fides*, *modestia*, *continentia*, *castitas*.[1]

[1] Paul., *ad Galat.*, *V*, *22*, *23;* S. Thomas, $1^a\ 2^{ae}$, *q. 70*, *a. 1*, *3*.

Caput XI.

De peccatis actualibus seu personalibus. [1]

Q. 559. *Qui, non obstante gratia quam Deus semper confert ad salutem, eius legem violat, quid facit?*

R. Qui, non obstante gratia quam Deus semper confert ad salutem, eius legem scienter et libere violat, committit peccatum actuale seu personale.

Q. 560. *Quid igitur est peccatum actuale?*

R. Peccatum actuale est legis Dei transgressio scienter et libere commissa. [2]

Q. 561. *Quotuplici modo peccatum actuale committi potest?*

R. Peccatum actuale committi potest cogitatione, verbo et opere, sive posito sive omisso; idque vel contra Deum vel contra nosmetipsos vel contra proximum, prout lex quam violamus, directe respicit vel Deum vel nosmetipsos vel proximum.

Q. 562. *Ex repetitione eiusdem peccati actualis quid enascitur?*

R. Ex repetitione eiusdem peccati actualis enascitur habitus, quo inclinamur ad malum operandum; huiusmodi habitus vitium appellatur.

---

[1] De peccato originali vide supra *q. 59 et seq.*

[2] Haec peccati notio vera est non solum si peccatum est contra mandatum divinum, sed etiam si est contra mandatum humanum quod obliget in conscientia, quia Deus et potestatem communicat (*omnis potestas a Deo est*), et mandatum latum a legitimis praepositis servari praecipit (*obedite praepositis vestris*).

Q. 563. *Quomodo dividitur peccatum actuale?*

R. Peccatum actuale dividitur in mortale et veniale. [1]

Q. 564. *Quid est peccatum mortale?*

R. Peccatum mortale est legis transgressio scienter et libere commissa cum conscientia gravis obligationis.

Q. 565. *Curnam hoc peccatum dicitur* mortale?

R. Hoc peccatum dicitur *mortale*, quia animam avertens a suo ultimo fine; eam privat sua vita supernaturali, quae est gratia sanctificans; aeternae mortis in Inferno ream facit; merita acquisita mortificat, ita ut iam non prosint ad salutem, donec, recuperata gratia, reviviscant; et opera meritoria vitae aeternae impedit. [2]

Q. 566. *Quid est peccatum veniale?*

R. Peccatum veniale est legis transgressio scienter et libere commissa cum conscientia levis obligationis. [3]

---

[1] S. Hieron., *Adv. Iovinian.*, *II*, *30;* S. Caesar. Arelat., *Serm. CIV*, *2*.

[2] Ezech., *XVIII*, *24; XXXIII*, *13;* Paul., *1ª ad Cor.*, *VI*, *9*, *10; XIII*, *1-3*. – Paratus esto, o christiane, terrena omnia amittere bona et quaevis mala ipsamve mortem oppetere, potius quam mortali peccato pollui, quod unum est et verum et magnum hominis malum, infinita Dei offensa, ingrati animi immanitas, inaudita temeritas et ruina per se ipsa insanabilis animae tuae. Si quando tentaberis, Inferni voraginem cogita, in cuius abyssum te, mortaliter peccando, coniicies; cogita Iesum Crucifixum, cuius sanguinem et vulnera proculcaturus es. Numquam e tua memoria excidat illud Eccli., *XXI*, *2:* « Quasi a « facie colubri fuge peccata ».

[3] Ratione materiae peccatum mortale definiri potest: transgressio (scienter et libere commissa) legis graviter obligantis, cuius scilicet materia sit gravis; peccatum veniale: transgressio

Q. 567. *Curnam hoc peccatum dicitur* veniale?

R. Hoc peccatum dicitur *veniale*, quia, cum animam non avertat a suo fine ultimo, nec spiritualem animae mortem afferat, facilius veniam obtinere potest etiam sine confessione sacramentali, et est quaedam animae infirmitas, quae natura sua facilius potest sanari.[1]

Q. 568. *Quinam sunt praecipui effectus peccati venialis?*

R. Praecipui effectus peccati venialis hi sunt: fervorem caritatis minuit, disponit animam ad peccatum mortale, et hominem reum facit poenae temporalis, in hac vel in altera vita luendae.

Q. 569. *Peccata sive venialia sive mortalia suntne omnia inter se aequalia?*

R. Peccata sive venialia sive mortalia non sunt inter se aequalia, sed quemadmodum peccata venialia sunt

---

legis leviter obligantis, cuius scilicet materia sit levis; quando autem materia legis sit gravis vel levis, iudicandum ex revelatione, ex SS. Patrum auctoritate, ex Ecclesiae declaratione, ex communi Doctorum sententia; sed fideles hac in re stare poterunt prudentis confessarii iudicio. At vero si peccatum ratione materiae mortale committatur cum conscientia (erronea) levis obligationis, peccatum erit veniale; et si peccatum ratione materiae veniale committatur cum conscientia (erronea) gravis obligationis, peccatum erit mortale. Hinc definitiones peccati mortalis vel venialis in textu positae semper verae sunt.

[1] Pius V, *prop. 20 inter damnatas Baii, 1 oct. 1567.* – Hinc sola repetitio aut multiplicatio peccatorum venialium numquam potest ex se sola efficere peccatum mortale; quod si ex repetitis levibus peccatis coalescit materia gravis, mortale peccatum inducitur non ratione repetitionis venialium, sed ratione gravis materiae quae coalescit.

alia aliis leviora, ita peccata mortalia sunt alia aliis graviora. [1]

Q. 570. *Quaenam peccata mortalia ex natura sua sunt gravissima?*

R. Peccata mortalia, ex natura sua gravissima, sunt quae directe contra Deum committuntur.

Q. 571. *Quaenam sunt peccata in Spiritum Sanctum?*

R. Peccata in Spiritum Sanctum sunt:

1° *desperatio salutis;*

2° *praesumptio salutis sine meritis consequendae;*

3° *impugnatio agnitae veritatis;*

4° *invidentia de bono alterius spirituali;*

5° *obstinatio in peccatis;*

6° *impoenitentia finalis.* [2]

Q. 572. *Curnam haec dicuntur peccata in Spiritum Sanctum?*

R. Haec dicuntur peccata in Spiritum Sanctum, quia peccator ex malitia removet ea quae possunt a peccato eum impedire, contemnendo gratiam, quae Spiritui Sancto, ut fonti bonorum, tribui peculiariter solet. [3]

---

[1] Ioan., *XIX*, *11*; S. Thomas, *1ª 2ae*, *q. 73*, *a. 2*.

[2] Matth., *XII*, *31*, *32*; Marc., *III*, *28*, *29*; Luc., *XII*, *10*. – De primo et altero peccato vide *q. 527*, *528*. Tertium peccatum committit qui agnitam fidei veritatem denegat ut liberius peccatis indulgeat. Quartum, qui non solum invidet personae fratris, sed etiam invidet gratiae Dei crescenti in mundo. Quintum, qui propositum habet inhaerendi peccato. Sextum, qui propositum habet non poenitendi. - S. Thomas, *2ª 2ae*, *q. 14*, *a. 1*, *2*.

[3] S. Petrus Canisius, *De peccatis in Spiritum Sanctum*, *n. 1*; S. Thomas, *l. c.*

Q. 573. *Quaenam sunt peccata contra proximum, quae ad Deum clamant?*

R. Peccata contra proximum, quae ad Deum clamant, sunt:

1° *homicidium voluntarium;*
2° *carnale peccatum contra naturam;*
3° *oppressio pauperum;*
4° *fraudatio mercedis operariis debitae.* [1]

Q. 574. *Cur haec peccata dicuntur clamare ad Deum?*

R. Haec peccata dicuntur clamare ad Deum, quia prae ceteris insignem et manifestam improbitatem habent, divinamque iram et ultionem insigniter devocant in eos a quibus committuntur. [2]

Q. 575. *Quaenam sunt peccata capitalia?*

R. Peccata capitalia sunt:

1° *superbia;*
2° *avaritia;*
3° *luxuria;*
4° *ira;*
5° *gula;*
6° *invidia;*
7° *acedia.*

Q. 576. *Cur haec peccata dicuntur capitalia?*

R. Haec peccata dicuntur capitalia, quia sunt veluti fons et radix ceterorum peccatorum et vitiorum. [3]

---

[1] Gen., *IV, 10; XVIII, 20;* Exod., *XXII, 23, 27;* Deut., *XXIV, 15;* Iac., *V, 4.*

[2] Paul., *ad Rom., I, 28-32; XII, 1-6; 1ª ad Cor., III, 16-17; V, 11; VI, 9, 10; ad Galat., V, 19-21; 1ª ad Tim., VI, 9, 10; 2ª ad Tim., III, 2-5;* S. Petrus Canisius, *De peccatis in caelum clamantibus, l. c.*

[3] S. Thomas, *1ª 2ªe, q. 84, a. 3, 4.* Ita superbia (inordi-

Q. 577. *Quaenam virtutes opponuntur peccatis capitalibus?*

R. Peccatis capitalibus respective opponuntur:

1° *humilitas;*
2° *liberalitas;*
3° *castitas;*
4° *mansuetudo;*
5° *abstinentia;*
6° *gaudium de bono proximi;*
7° *diligentia.*

Q. 578. *Praeter peccatum, debemusne effugere etiam peccandi occasiones?*

R. Praeter peccatum, debemus effugere, quantum possumus, etiam proximas peccandi occasiones, in quibus scilicet homo se gravi periculo peccandi exponit: *qui* enim *amat periculum, in illo peribit.* [1]

Q. 579. *Potestne fieri ut de alienis peccatis rationem Deo reddere debeamus?*

R. Potest fieri ut de alienis peccatis rationem Deo

---

natus appetitus propriae excellentiae) est fons et radix *praesumptionis, ambitionis, vanae gloriae, iactantiae...*; avaritia (inordinatus appetitus bonorum temporalium), *obdurationis cordis erga egenos, furti, fraudis, doli...*; ira (inordinatus appetitus vindictae), *indignationis, contumeliae, blasphemiae, imprecationis, rixarum, homicidii...*; gula (inordinatus appetitus cibi et potus), *hebetudinis mentis, multiloquii, scurrilitatis...*; invidia (tristitia de bono alieno in quantum est impeditivum propriae eccellentiae), *odii, detractionis, calumniae, exultationis in adversis et afflictionis in prosperis proximi rebus...*; acedia (tristitia de bono spirituali propter laborem corporalem adiunctum), *fastidii rerum spiritualium, omissionis operum sub gravi iniunctorum, tristitiae de divina amicitia ...* Ad luxuriam quod attinet, Cf. *q. 228, not. 1ª et q. 229, not. 1ª*

[1] Eccli., *III, 27.*

reddere debeamus, si et quatenus aut causa eorum fuerimus mandando, consulendo, consentiendo, aut ea non impediverimus, cum impedire et possemus et deberemus.

Caput XII.

De Novissimis.

Q. 580. *Quid Deus in sacra Scriptura nobis proponit, tamquam medium valde efficax ad peccata vitanda?*

R. Deus in sacra Scriptura, tamquam medium valde efficax ad peccata vitanda, nobis proponit considerationem *Novissimorum*, sic nos admonens: « In omnibus « operibus tuis memorare Novissima tua, et in aeter- « num non peccabis ». [1]

Q. 581. *Quid intelligitur* Novissimorum *nomine?*

R. *Novissimorum* nomine intelliguntur quae postremo hominibus contingent, id est *mors*, *iudicium*, *Infernus*, *Paradisus*: sed post *iudicium* ante *Paradisum* potest esse *Purgatorium*.

Q. 582. *Quaenam de morte recogitare praecipue debemus?*

R. De morte praecipue recogitare debemus, eam esse poenam peccati, momentum a quo pendet aeternitas, ita ut post mortem nullus locus poenitentiae et merito relinquatur, eiusque horam et circumstantias esse incertas. [2]

---

[1] Eccli., *VII*, *40*; S. Basilius M., *Sermo in Psalmum 33*.

[2] Gen., *II*, *17*; *III*, *19*; Eccli., *XIV*, *12*, *13*; *XLI*, *1-3*; Matth., *XXIV*, *42-44*; Luc., *XII*, *39*, *40*; Paul., *ad Rom.*, *V*, *12*; *VI*, *23*; *1ª ad Thess.*, *V*, *2*; *ad Hebr. IX*, *27*; Conc. Trid., *sess. V*, *De pecc. orig.*, *can. 1*.

Q. 583. *Quid primum contingit animae illico post mortem?*

R. Anima illico post mortem sistitur ad tribunal Christi, subitura iudicium particulare. [1]

Q. 584. *De quibusnam anima in particulari iudicio iudicatur?*

R. De omnibus omnino anima in particulari iudicio iudicatur, scilicet de cogitationibus, verbis, operibus et omissionibus; et hoc iudicium in iudicio universali, veluti exteriore manifestatione, confirmabitur. [2]

Q. 585. *Post particulare iudicium quid erit de anima?*

R. Post particulare iudicium anima, si gratia caret ob mortale peccatum, statim Inferni poenis addicitur; si est in gratia, et libera quoque est a quovis peccato veniali et a quovis debito poenae temporalis, statim ad Paradisi gloriam assumitur; denique si est in gratia, sed cum aliquo peccato veniali vel aliquo adhuc debito poenae temporalis, in Purgatorio detinetur donec divinae iustitiae plene satisfecerit. [3]

Q. 586. *Quid erit de damnatis in Inferno?*

R. In Inferno, qui etiam *abyssus* vel *gehenna* in sacris Litteris appellatur, aeternis cruciantur poenis daemones, et una cum ipsis damnati homines, in sola

---

[1] Eccli., *XI, 28;* Paul., *ad Rom., XIV, 10; ad Hebr., IX, 27;* Bened. XII, *Const.* Benedictus Deus, *29 ian. 1336;* S. Aug., *De anima, II, 8.* – De iudicio universali actum est *q. 112 et seq.*

[2] Matth., *X, 26; XII, 36;* Paul., *1ª ad Cor., IV, 5.*

[3] II Mach., *XII, 46;* Luc., *XVI, 22; XXIII, 43;* Paul., *2ª ad Cor., V, 1-3;* Conc. Flor., *Decret. pro Graecis;* S. Ioannes Damascen., *De fide orthodoxa, IV, 27.* De infantibus qui sine baptismo moriuntur ante adeptum usum rationis, vide q. 359.

anima ante universale iudicium, in anima et corpore post iudicium universale. [1]

Q. 587. *Quaenam sunt poenae, quibus damnati in Inferno cruciantur?*

R. Poenae, quibus damnati in Inferno cruciantur, sunt:

1° poena *damni*, idest privatio perpetua visionis Dei beatificae;

2° poena *sensus*, idest ignis realis, crucians sed non consumens, tenebrae, conscientiae morsus et angor, societas daemonum aliorumque damnatorum. [2]

Q. 588. *Poenae damnatorum suntne eaedem pro omnibus?*

R. Poena damni est eadem pro omnibus; ceterae poenae damnatorum non sunt eaedem pro omnibus, sed diversae pro numero et gravitate peccatorum. [3]

Q. 589. *Quid erit de anima in Purgatorio?*

R. Anima in Purgatorio poenas temporales peccatis debitas, et in hac vita nondum perfecte solutas, luit, donec divinae iustitiae plene satisfecerit et ita admittatur in Paradisum. [4]

---

[1] Matth., *VIII, 12; XIII, 42; XXIV, 51; XXV, 30, 41, 46;* Luc., *XIII, 27, 28; XVI, 22, 24, 28;* Paul., *2ª ad Thess., I, 9;* Apoc., *XIV, 9-11:* Conc. Later. IV, *cap. I;* Conc. Flor., *l. c.;* Vigilius Papa, *Adv. Origenem, can. 9;* Bened. XII, *l. c.;* Pius IX, *Epist. ad Arch. et Episc. Italiae, 10 aug. 1863.*

[2] Matth., *III, 12; XIII, 42; XVIII, 8; XXIV, 51; XXV, 30, 41, 46;* Luc., *XIII, 28; XVI, 24, 28;* Apoc., *XXI, 8;* Catechismus ad parochos, *p. I, c. VIII, n. 9, 10.*

[3] Conc. Flor., *l. c.;* S. Gregorius Magnus, *Dialogus, IV, 43.* S. Aug., *De fide, spe et caritate, 3.*

[4] II Mach., *XII, 43-46;* Matth., *XII, 32;* Paul., *1ª ad Cor., III, 12-15;* Conc. Lugd. II, *Prof. fidei Mich. Pal.;*

Q. 590. *Quibusnam poenis anima in Purgatorio punitur?*

R. Anima in Purgatorio punitur poena damni et poena sensus, idest temporanea privatione visionis beatificae aliisque gravibus poenis.

Q. 591. *Animarum poenae in Purgatorio suntne aequales pro omnibus?*

R. Animarum poenae in Purgatorio non sunt aequales pro omnibus, sed quoad acerbitatem et diuturnitatem pro veniali peccato et pro debito poenae temporalis cuique solvendo inter se differunt, et insuper possunt breviores ac mitiores reddi ex suffragiis quae pro ipsis a fidelibus fiunt, orationibus nempe ieiuniis, elemosynis aliisve bonis operibus, praesertim sacrosancto Missae sacrificio et indulgentiis.

Q. 592. *Post universale iudicium cessabitne Purgatorium?*

R. Post universale iudicium Purgatorium cessabit; et omnes animas, quae in eo detinebantur, expleta modis a Deo statutis satisfactione, Paradisus accipiet.[1]

Q. 593. *Quid erit de animabus iustorum in Paradiso?*

R. In Paradiso animae iustorum sine corpore ante universale iudicium, una cum corpore post iudicium universale, beatifica Dei visione, unaque cum ipsa omni bono perfruuntur in aeternum, sine admixtione vel for-

Conc. Flor., *l. c.;* Conc. Trid., *sess. XXV, Decret. de Purgat.;* Bened. XII, *l. c.;* Leo X, *Prop. 37-40 inter damn. Martini Lutheri, 15 iunii 1520;* Pius IV, *Profess. fidei trid.;* S. Greg. Magn., *Dialog., IV, 39.*

[1] Matth., *XXV 31-34, 41, 46;* Ioan., *V, 29;* S. Aug., *De civit. Dei, XXI, 13, 16.*

midine ullius mali, in societate domini nostri Iesu Christi, beatae Mariae Virginis Caelitumque ceterorum.[1]

Q. 594. *Caelites omnes in Paradiso aequaliterne aeterna beatitudine fruuntur?*

R. Caelites omnes in Paradiso non aequaliter aeterna beatitudine fruuntur, sed alius alio perfectius.[2]

Q. 595. *Quaenam est ratio huius differentiae?*

R. Ratio huius differentiae haec est: Caelites beatificam Dei visionem obtinent per lumen gloriae, quod a Deo singulis infunditur, Angelis secundum cuiusque dignitatem et gratiam, hominibus secundum cuiusque merita, ita tamen ut omnes, etsi lumine gloriae inaequaliter donati, sint plene felices et beati.

---

[1] Sap., *III*, 7, *8; V*, 5, *16*, *17;* Is., *XLIX*, *10; LX*, *18-22;* Matth., *XIII*, *43; XIX*, *28*, *29; XXV*, *34*, *46;* Luc., *XVI*, *22; XXII*, *29*, *30;* Ioan., *XVII*, *24;* Paul., *1ª ad Cor.*, *II*, *9; XV*, *41 et seqq.; 2ª ad Cor.*, *XII*, *4; 1ª* Petr., *I*, *4; V*, *4;* Apoc., *VII*, *9*, *16*, *17; XXI*, *1-4*, *10-14; XXII*, *1-5;* Conc. Later. IV, *l. c.;* Conc. Vienn., *Contra errores Beguard. et Beguin.;* Bened. XII et Conc. Flor., *ll. cc.;* Catechismus ad parochos, *p. I*, *c. XIII*, *n. 4 et seq.*

[2] Conc. Flor., *l. c.;* Conc. Trid., *sess. VI*, *De iustif.*, *can. 32;* S. Greg. Magn., *Moralia*, *IV*, *70;* Aphraates, *Demonstrationes*, *XXII*, *19;* S. Ephraem, *Hymni et sermones*, *11;* S. Hieronymus, *Adversus Iovinianum*, *II*, *32*, *34; Adversus libros Rufini*, *I*, *23;* S. August., *Sermo 87*, *4*, *6; In Ioan. Evang. LXVII*, *2.*

APPENDICES

APPENDIX I

(EX ACTIBUS CONCILII VATICANI)

Schema Constitutionis de parvo Catechismo, iuxta emendationes a Congregatione generali admissas reformatum.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
SACRO APPROBANTE CONCILIO
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

De confectione et usu unius parvi catechismi pro universa Ecclesia

Pia mater Ecclesia, sponsi sui Salvatoris nostri Iesu Christi monitis atque exemplis edocta, praecipuam semper curam ac sollicitudinem erga pueros impendit, ut lacte coelestis doctrinae enutriti, ad omnem pietatis rationem mature informarentur. Hinc sacrosancta Tridentina Synodus nedum Episcopis mandavit, ut pueros fidei rudimenta et obedientiam erga Deum ac parentes diligenter doceri curarent; [1] sed illud praeterea sibi faciendum censuit, ut certam aliquam formulam et rationem traderet christiani populi ab ipsis fidei rudimentis instituendi, quam in omnibus Ecclesiis illi sequerentur, quibus legitimi pastoris et doctoris munus esset obeundum. [2] Id vero cum ab ipsa sancta Synodo perfici non potuerit, ex eiusdem voto [3] Apostolica haec Sedes ad

---

[1] *Sess. XXIV, cap. 4*, de Reform.

[2] *Sess. XXIV, cap. 7*, de Reform.; Catech. Rom. in *Praef.*

[3] *Sess. XXV, Decret.* de Indice librorum, Catechismo, *etc.*

optatum exitum, *Catechismo ad parochos* in lucem edito, feliciter perduxit. Neque hic constitit: sed Tridentinorum Patrum menti cumulatius respondere cupiens, ut unus deinceps idemque modus in docendo et discendo christianam doctrinam ab omnibus teneretur, parvum quoque pro pueris erudiendis catechismum, a Ven. Card. Bellarmino, ipsa iubente, exaratum, approbavit, omnibusque Ordinariis, parochis aliisque ad quos spectabat enixe commendavit.[1]

Cum autem hac nostra aetate ex ingenti in diversis Provinciis atque etiam Dioecesibus parvorum catechismorum numero non levia oriri incommoda compertum sit, idcirco Nos, sacro approbante Concilio, ob oculos habitis imprimis praedicto Ven. Card. Bellarmini catechismo, tum etiam aliis in christiano populo magis pervulgatis catechismis, novum auctoritate Nostra latina lingua elucubrandum curabimus, quo omnes utantur, sublata in posterum parvorum catechismorum varietate.[2]

Operam vero dabunt in singulis Provinciis Patriarchae vel Archiepiscopi, collatis prius consiliis cum suis

---

[1] Clem. VIII, *Brev.* Pastoralis, *15 iulii 1598;* Bened. XIV, *Constit.* Etsi minime, *7 febr. 1742.*

[2] In hoc schemate nulla mentio fit de parvo catechismo pro illis qui ad sanctam Communionem primum admittendi sunt ad normam Decreti *Quam singulari* Pii Pp. X. Ante hoc Decretum pueris generatim non dabatur accessus ad primam Communionem, nisi tardiore aetate pro locorum varia consuetudine, ad eosque rite comparandos catechismus bellarminianus aliive eiusdem generis adhibebantur. Sed edito Decreto piano, eiusmodi catechismi, ut in Prooemio dictum est, usui esse possunt pro pueris, qui, peracta prima Communione, in doctrinae christianae studio perseverent, non vero pro illis, qui ad mensam Eucharisticam primum admittuntur ad normam citati Decreti.

Suffraganeis, deinde vero cum aliis Archiepiscopis eiusdem regionis et idiomatis, ut illius textus in vulgarem linguam fideliter vertatur.

Integrum autem erit Episcopis, eiusdem parvi catechismi usu pro prima fidelium institutione absque ullis additamentis iugiter retento, ad eos uberius excolendos et contra errores, qui in suis forsan regionibus grassantur, praemuniendos, ampliores catecheticas conficere institutiones; quas tamen si una cum textu praedicti catechismi, et non seorsim, edere voluerint, id ita fieri debere mandamus, ut textus ipse a Nobis praescriptus ab huiusmodi institutionibus patenter distinctus appareat.[1]

Denique cum parum sit catechismi formulas memoriae a fidelibus mandari, nisi ad illas pro cuiusque captu intelligendas viva voce adducantur, et hac ipsa in re maxime referat, ut una sit tradendae fidei ad omniaque pietatis officia populum christianum erudiendi communis regula atque praescriptio;[2] hinc omnibus, quibus hoc docendi munus impositum est, usum memorati *Catechismi ad parochos*, uti saepe alias Praedecessores Nostri, ita Nos denuo summopere commendamus.

---

[1] Ad hoc ipsum plene accommodatus est tertius catechismus noster pro adultis vel eruditis hominibus compositus, in quo christianae doctrinae veritates fusius exponuntur. Ex eo haustus est, iisdem servatis verbis, alter catechismus puerorum, ut si puer pleniorem deinceps velit christianae doctrinae cognitionem habere, facilius possit eam acquirere, maiorem catechismum adhibendo, relicta Ordinariis facultate, pro variis locorum necessitatibus, alia doctrinae capita accuratius evolvendi, aliorumque accessione complendi, prout melius exponitur in Prooemio.

[2] Catech. Rom., in *Praef.*

APPENDIX II

Decretum Sacrae Congregationis de Sacramentis de aetate admittendorum ad primam Communionem eucharisticam.

Quam singulari Christus amore parvulos in terris fuerit prosequutus, Evangelii paginae plane testantur. Cum ipsis enim versari in deliciis habuit; ipsis manus imponere consuevit; ipsos complecti, ipsis benedicere. Idem indigne tulit repelli eos a discipulis, quos gravibus his dictis reprehendit: *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Dei.* [1] Quanti vero eorundem innocentiam animique candorem faceret, satis ostendit quum, advocato parvulo, discipulis ait: *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno coelorum. – Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo me suscipit.* [2]

Haec memorans catholica Ecclesia, vel a suis primordiis, admovere Christo parvulos curavit per eucharisticam Communionem, quam iisdem subministrari solita est etiam lactentibus. Id, ut in omnibus fere antiquis libris ritualibus ad usque saeculum XIII praescriptum est, in baptizando fiebat, eaque consuetudo alicubi diutius obtinuit: apud Graecos et Orientales

[1] Marc., *X, 13, 14, 16.*
[2] Matth., *XVIII, 3, 4, 5.*

adhuc perseverat. Ad summovendum autem periculum, ne lactentes praesertim panem consecratum eiicerent, ab initio mos invaluit Eucharistiam iisdem sub vini tantum specie ministrandi.

Neque in baptismate solum, sed subinde saepius divino epulo reficiebantur infantes. Nam et ecclesiarum quarundam consuetudo fuit Eucharistiam praebendi puerulis continuo post clerum, et alibi post adultorum Communionem residua fragmenta iisdem tradendi.

Mos hic deinde in Ecclesia latina obsolevit, nec sacrae mensae participes fieri coeperunt infantes, nisi illucescentis rationis usum aliquem haberent et Augusti Sacramenti notitiam quandam. Quae nova disciplina, ab aliquot Synodis particularibus iam recepta, solemni sanctione firmata est oecumenici Concilii Lateranensis IV, anno MCCXV, promulgato celebri canone XXI, quo fidelibus, postquam aetatem rationis attigerint, sacramentalis Confessio praescribitur et Sacra Communio, hisce verbis: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum ».

Concilium Tridentinum,[1] nullo pacto reprobans antiquam disciplinam ministrandae parvulis Euchari-

[1] *Sess. XXI*, de Communione, *c. 4*.

stiae ante usum rationis, Lateranense decretum confirmavit et anathema dixit in eos qui contra sentirent: « Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles « utriusque sexus, quum ad annos discretionis pervene- « rint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad com- « municandum, iuxta praeceptum sanctae matris Ec- « clesiae; anathema sit ». [1]

Igitur vi allati et adhuc vigentis decreti Lateranensis, Christi fideles, ubi primum ad annos discretionis pervenerint, obligatione tenentur accedendi, saltem semel in anno, ad Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta.

Verum in hac rationis seu discretionis aetate statuenda haud pauci errores plorandique abusus decursu temporis inducti sunt. Fuerunt enim qui aliam sacramento Poenitentiae, aliam Eucharistiae suscipiendae discretionis aetatem assignandam esse censerent. Ad Poenitentiam quidem eam esse aetatem discretionis iudicarunt, in qua rectum ab inhonesto discerni posset, adeoque peccari; ad Eucharistiam vero seriorem requiri aetatem, in qua rerum fidei notitia plenior animique praeparatio posset afferri maturior. Atque ita, pro variis locorum usibus hominumve opinionibus, ad primam Eucharistiae receptionem hinc decem annorum aetas vel duodecim, hinc quatuordecim vel maior etiam est constituta, prohibitis interim ab eucharistica Communione pueris vel adolescentibus praescripta aetate minoribus.

Istiusmodi consuetudo, qua per speciem tutandi decoris augusti Sacramenti arcentur ab ipso fideles, complurium exstitit causa malorum. Fiebat enim ut puerilis

[1] *Sess. XIII*, de Eucharistia, *c. 8*, *can. 9*.

aetatis innocentia a Christi complexu divulsa, nullo interioris vitae succo aleretur; ex quo illud etiam consequebatur, ut praevalido destituta praesidio iuventus, tot insidiis circumventa, amisso candore, ante in vitia rueret quam sancta mysteria delibasset. Etiamsi vero primae Communioni diligentior institutio et accurata sacramentalis Confessio praemittatur, quod quidem non ubique fit, dolenda tamen semper est primae innocentiae iactura, quae, sumpta tenerioribus annis Eucharistia, poterat fortasse vitari.

Nec minus est reprobandus mos pluribus vigens in locis, quo sacramentalis confessio inhibetur pueris nondum ad eucharisticam mensam admissis, aut iisdem absolutio non impertitur. Quo fit ut ipsi peccatorum fortasse gravium laqueis irretiti magno cum periculo diu iaceant.

Quod vero maximum est, quibusdam in locis pueri nondum ad primam Communionem admissi, ne instante quidem mortis discrimine, sacro muniri Viatico permittuntur, atque ita, defuncti et more infantium illati tumulo, Ecclesiae suffragiis non iuvantur.

Eiusmodi damna inferunt qui extraordinariis praeparationibus primae Communioni praemittendis plus aequo insistunt, forte minus animadvertentes, id genus cautelae a Ianseniānis erroribus esse profectum, qui sanctissimam Eucharistiam praemium esse contendunt, non humanae fragilitatis medelam. Contra tamen profecto sensit Tridentina Synodus quum docuit, eam esse « antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a pec- « catis mortalibus praeservemur »; [1] quae doctrina nuper

[1] *Sess. XIII,* de Eucharistia, *c. 2.*

a Sacra Congregatione Concilii pressius inculcata est decreto die XXVI mensis decembris anno MDCCCCV lato, quo ad Communionem quotidianam aditus universis, tum provectioris tum tenerioris aetatis patuit, duabus tantummodo impositis conditionibus, statu gratiae et recto voluntatis proposito.

Nec sane iusta causa esse videtur quamobrem, quum antiquitus sacrarum specierum residua parvulis etiam lactentibus distribuerentur, extraordinaria nunc praeparatio a puerulis exigatur qui in primi candoris et innocentiae felicissima conditione versantur, mysticoque illo cibo, propter tot huius temporis insidias et pericula indigent maxime.

Quos reprehendimus abusus ex eo sunt repetendi, quod nec scite nec recte definiverint, quaenam sit aetas discretionis, qui aliam Poenitentiae, aliam Eucharistiae assignarunt. Unam tamen eandemque aetatem ad utrumque Sacramentum requirit Lateranense Concilium, quum coniunctum Confessionis et Communionis onus imponit. Igitur, quemadmodum ad Confessionem aetas discretionis ea censetur, in qua honestum ab inhonesto distingui potest, nempe qua ad usum aliquem rationis pervenitur; sic ad Communionem ea esse dicenda est, qua eucharisticus panis queat a communi dignosci; quae rursus eadem est aetas in qua puer usum rationis est assequutus.

Nec rem aliter acceperunt praecipui Concilii Lateranensis interpretes et aequales illorum temporum. Ex historia enim Ecclesiae constat, synodos plures et episcopalia decreta, iam inde a saeculo XII, paulo post Lateranense Concilium, pueros annorum septem ad primam Communionem admisisse. Exstat praeterea

summae auctoritatis testimonium, Doctor Aquinas, cuius haec legimus: « Quando iam pueri *incipiunt ali-* « *qualem* usum rationis habere, ut possint devotionem « concipere huius Sacramenti (Eucharistiae), tunc po- « test eis hoc Sacramentum conferri ». [1] Quod sic explanat Ledesma: « Dico ex omnium consensu, quod « omnibus habentibus usum rationis danda est Eucha- « ristia, quantumcumque cito habeant illum usum ratio- « nis; esto quod adhuc confuse cognoscat ille puer quid « faciat ». [2] Eumdem locum his verbis explicat Vasquez: « Si puer semel ad hunc usum rationis pervenerit, « statim ipso iure divino ita obligatur, ut Ecclesia « non possit ipsum omnino liberare » [3] Eadem docuit S. Antoninus, scribens: « Sed cum est doli capax *(puer)*, « cum scilicet potest peccare mortaliter, tum obligatur « ad praeceptum de Confessione, et per consequens « de Communione ». [4] Tridentinum quoque Concilium ad hanc impellit conclusionem. Dum enim memorat *Sess. XXI, c. 4:* « parvulos usu rationis carentes nulla « obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae « communionem », unam hanc rei rationem assignat, quod peccare non possint: « Siquidem, inquit, adeptam « filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non pos- « sunt ». Ex quo patet hanc esse Concilii mentem, tunc pueros Communionis necessitate atque obligatione teneri quum gratiam peccando possunt amittere. His consonant Concilii Romani verba, sub Benedicto XIII

[1] *Summ. Theol., 3 part., q. 80, a. 9, ad 3.*
[2] In S. Thom., *3 part., q. 80, a. 9, dub. 6.*
[3] In 3 P., S. Thom., *disp. 214, c. 4, n. 43.*
[4] *P. III, tit. 14, c. 2, § 5.*

celebrati ac docentis, obligationem Eucharistiae sumendae incipere « postquam pueruli ac puellae ad annum « discretionis pervenerint, ad illam videlicet aetatem in « qua sunt apti ad discernendum hunc sacramentalem « cibum, qui alius non est quam verum Iesu Christi « corpus, a pane communi et profano, et sciunt accedere « cum debita pietate ac religione ». [1] Catechismus Romanus autem, « qua aetate, inquit, pueris sacra mysteria « danda sint, nemo melius constituere potest quam pater « et sacerdos, cui illi confiteantur peccata. Ad illos « enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, an « huius admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam « acceperint et gustum habeant ». [2]

Ex quibus omnibus colligitur aetatem discretionis ad Communionem eam esse, in qua puer panem eucharisticum a pane communi et corporali distinguere sciat ut ad altare possit devote accedere. Itaque non perfecta rerum fidei cognitio requiritur, quum aliqua dumtaxat elementa sint satis, hoc est *aliqua cognitio;* neque plenus rationis usus, quum sufficiat usus quidam incipiens, hoc est *aliqualis usus rationis*. Quapropter Communionem ulterius differre, ad eamque recipiendam maturiorem aetatem constituere, improbandum omnino est, idque Apostolica Sedes damnavit pluries. Sic fel. rec. Pius Papa IX, litteris Cardinalis Antonelli ad Episcopos Galliae datis die XII martii anno MDCCCLXVI, invalescentem in quibusdam dioecesibus morem protrahendae primae Communionis ad maturiores eosque praefixos

[1] Istruzione per quei che debbono la prima volta ammettersi alla S. Comunione. *Appendix XIII*, *p.* 11.

[2] *P. II*, De Sacr. Euchar., *n.* 63.

annos acriter improbavit. Sacra vero Congregatio Concilii, die XV mensis martii anno MDCCCLI Concilii Provincialis Rothomagensis caput emendavit, quo pueri vetabantur infra duodecimum aetatis annum ad Communionem accedere. Nec absimili ratione se gessit haec S. Congregatio de disciplina Sacramentorum in causa Argentinensi die XXV mensis martii anno MDCCCCX; in qua cum ageretur, admittine possent ad sacram Communionem pueri vel duodecim vel quatuordecim annorum, rescripsit: « Pueros et puellas, cum ad annos discre- « pervenerint, ad tionisrati ni sseud a usum osacram « mensam admittendos esse ».

Hisce omnibus mature perpensis, Sacer hic ordo de disciplina Sacramentorum, in generali Congregatione habita die XV mensis iulii anno MDCCCCX, ut memorati abusus prorsus amoveantur et pueri vel a teneris annis Iesu Christo adhaereant, Eius vitam vivant, ac tutela inveniant contra corruptelae pericula, sequentem normam de prima puerorum Communione, ubique servandam statuere opportunum censuit:

I. Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis.

II. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.

III. Cognitio religionis quae in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se

praeparet, ea est, qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat ut ea devotione, quam ipsius fert aetas, ad Ss. Eucharistiam accedat.

IV. Obligatio praecepti Confessionis et Communionis, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit qui idsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero, aut ad illos qui vices eius gerunt, et ad confessarium secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

V. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari Sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur.

VI. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est, ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Iesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert aetas. Meminerint praeterea, quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant.

VII. Consuetudo non admittendi ad Confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare

Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt ut penitus de medio tollatur.

VIII. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.

Haec a PP. Cardinalibus Sacrae huius Congregationis sancita Ssm̃us D. N. Pius Papa X in audientia diei VII currentis mensis omnia adprobavit, iussitque praesens edi ac promulgari decretum. Singulis autem Ordinariis mandavit ut idem decretum, non modo parochis et clero significarent, sed etiam populo, cui voluit legi quotannis tempore praecepti paschalis, vernacula lingua. Ipsi autem Ordinarii debebunt, unoquoque exacto quinquennio, una cum ceteris dioecesis negotiis, etiam de huius observantia decreti ad S. Sedem referre.

Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae ex Aedibus eiusdem S. Congregationis, die VII mensis augusti anno MDCCCCX.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

Ph. Giustini, *a Secretis*.

APPENDIX III

De iis qui in mortis periculo versantur.

Si contingat infirmum baptizatum, sive puerulum sive puerum, sive adultum, qui catechismum ignoret et aliis Ecclesiae Sacramentis recreari velit, in mortis periculo versari, sacerdos illum summatim instruat de

Deo eoque remuneratore, de mysteriis Ssmae Trinitatis et humanae Redemptionis, de reali Christi praesentia in Eucharistia ac de Poenitentiae sacramento; atque adhortetur ut per intercessionem beatae Mariae Virginis, amantissimae matris nostrae, veniam a Deo petat de peccatis commissis; illius confessionem, quantum fieri potest, audiat, eidemque det absolutionem sacramentalem, ac tandem sacramentum Corporis Christi praebeat, et si tempus suppetat, etiam Extremam Unctionem.

Si vero idem infirmus non sit baptizatus et Baptismum petat, sed nequeat diligentius instrui, satis est ad Baptismum ei conferendum ut instruatur de Deo eoque remuneratore et de praecipuis, ut supra, fidei mysteriis, et aliquo modo ostendat se iisdem assentire, serioque promittat se christianae religionis mandata servaturum. Quod si Baptismum ne petere quidem queat, sed vel antea vel in praesenti statu manifestaverit aliquo probabili modo intentionem illum suscipiendi, baptizandus est sub conditione; et si deinde convaluerit et dubium de valore Baptismi collati permaneat, sub conditione Baptismus rursus conferatur.

Si non adsit sacerdos, eumque advocandi tempus desit, tunc ad infirmum, quantum fieri potest, morti praeparandum, quaelibet persona eum instruat, adhortetur et baptizet, ut supra dictum est.

APPENDIX IV

Decretum de Indulgentiis iis concessis qui Doctrinae Christianae vel tradendae vel discendae dant operam.

PIUS PP. XI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Litteris Nostris Motuproprio datis die XXIX m. iunii, an. MCMXXIII, Nos apud Sacram Congregationem Concilii peculiare constituimus Officium, quod universam in Ecclesia actionem catechisticam moderaretur ac proveheret. Nunc autem eiusdem Officii Commissio Catechetica ad religiosam institutionem populi christiani ac praesertim puerorum magis magisque provehendam enixas Nobis preces adhibet ut spiritualibus Indulgentiarum muneribus eos honestemus, qui christiano Catechismo sive tradendo sive discendo operam praestent. Verum decessores Nostri rec. mem. tum Paulus Pp. V, tum Clemens Pp. XIII huiusmodi spiritualia dona iam concessere, quae tunc temporis satis apta videbantur: at nunc eadem augenda nostraeque aetatis necessitatibus congrua reddenda in Domino existimavimus. Abrogatis itaque indulgentiis ab iisdem Romanis Pontificibus hac in re antea concessis, conlato quoque consilio cum dilecto Filio Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Poenitentiario Maiore, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum eius Apostolorum Petri ac Pauli

auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus, qui per mediam circiter horam et non minus quam per tertiam horae partem doctrinae christianae tradendae vel discendae saltem bis in mense operam dederint, eodemque in mense bis lucrandam, diebus ad ipsorum arbitrium seligendis, *plenariam indulgentiam*, dummodo vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem Nostram seu Romani Pontificis preces effuderint, misericorditer in Domino concedimus. Praeterea Christifidelibus iisdem, quoties per praefatum temporis spatium doctrinae christianae sive tradendae sive discendae operam navaverint, *indulgentiam partialem* centum dierum, contrito saltem corde acquirendam, largimur. Non obstantibus contrariis quibuslibet. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII m. martii an. MCMXXX, Pontificatus Nostri nono.

E. Card. PACELLI,
a Secretis Status.

APPENDIX V[1]

Epitome historiae divinae revelationis.

I. – *De mundi et hominis creatione.*

1. In principio nihil erat extra Deum. Qui, cum per se infinite perfectus ac beatus esset, nemine quidem nullaque re indigebat; sed, sua tantum bonitate adductus, quae voluit, creavit, id est ex nihilo fecit quae caelo terrâque continentur, visibilia et invisibilia.

2. Quaecumque creata sunt, omnia mirifico ordine facta sunt; omnium postremus, homo, quasi totius creationis complementum, ad imaginem et similitudinem Dei factus est.

3. Primo homini, quem Deus Adam vocavit, Hevam sociam dedit, quam ex una de costis eius tulerat; atque ex his universum humanum genus prodivit.

II. – *De hominis lapsu ac de Redemptoris promissione.*

4. Homo, rex universae terrae constitutus, in loco amoenissimo, seu *paradiso terrestri*, positus est, in quo omni voluptate frueretur; verumtamen, ut plenam Creatoris potestatem agnosceret, praecepit ei Deus ne de ligno *scientiae boni et mali* comederet.

---

[1] Haec Appendix, in latinum versa, ex Catechismo Pii Pp. X desumpta est.

5. Heva, serpenti magis credens quam Deo, et Adam Hevae morem gerens, divinum mandatum misere transgressi sunt; eorumque culpâ, quod Deus denuntiaverat, evenit, ut non solum uterque, sed etiam omnes deinde homines tum gratia aeternaque beatitudine, tum ceteris donis privarentur, quae defectibus naturae humanae medebantur. Ita daemonis servituti et cupiditatibus et aerumnis et ipsi morti obnoxii facti sunt, nosque omnes in discrimen amissionis aeternae felicitatis coniecerunt.

6. Deus vero, cum ex paradisi voluptatibus expulsos ad laborem, dolorem corporisque mortem damnasset, non eis aeternae salutis spem ademit; quin immo illud praenuntiavit, nefariam daemonis tyrannidem a se deletam iri per *Messiam* seu *Christum*, qui in plenitudine temporum venturus esset: qua spe ac fide fretus homo revivisceret, legi morum, quae in eius corde sculpta est, obtemperando.

III. – *De hominum corruptione, de diluvio, de populo electo.*

7. At vero, iam inde a Cain qui ob invidiam fratrem suum Abel interfecit, adeo peccata, succrescente humano genere, multiplicata sunt super terram, ut omnes prorsus corrumperentur. Quapropter diluvium Deus misit in terram, unde omnes perierunt, praeter Noe, virum iustum, cum familia, quem Deus in *arca*, seu praecipua quadam navi quam condi iusserat, servavit. De hoc autem beneficio ut gratiam redderet, Noe, cessante diluvio, holocaustum Deo super altare obtulit.

8. Verum variae quoque nationes quae a Sem, Cham et Iaphet, filiis Noe, ortae sunt, de via decesserunt; ac progressu temporis, unius veri Dei oblitae, idola omne genus coluerunt. Deus igitur, ex paucissimis qui ex stirpe Sem fideles remanserant, Abraham chaldaeum delegit; e patria eum evocavit, eidemque spopondit, dummodo iustus ipse cum suis posteris permansisset, se fore eorum Deum; ac praeterea non modo eosdem in immensum aucturum, dominatoresque facturum terrae Chanaam seu Palestinae, sed etiam omnes gentes in semine eius benedicturum. Haec ipsa promissio tum Isaac, Abraham filio, tum Iacob seu Israel, alteri Isaac filio, a Deo iterata est.

9. Ita Abrahami et Israelis progenies *populus electus* facta est, ut fidem veramque religionem tueretur ac promissionem Servatoris posteris traderet.

IV. – *De Hebraeis in Aegypto exsulantibus, eisdemque per Moisem liberatis.*

10. Iacob in Aegypto mortuus est, quo, in summa annonae caritate, cum suis omnibus confugerat ad Iosephum, filium dilectissimum, quem fratres, invidia permoti, uti servum Aegyptiis vendiderant. Pharao, idest Aegypti rex, propheticum Iosephi spiritum, fidelitatem prudentiamque admiratus, eum ad amplissimam regni dignitatem evexit. In Aegypto Hebraei in tam ingentem numerum excreverunt in eamque devenerunt prosperitatem, ut alius postea Pharao crudelissimus, eorum potentiam suspectam habens, per durissimam servitutem eos extinguere conatus sit, iubens omnes eorum masculini sexus natos in Nilum flumen proiici.

11. At Deus populo suo opitulatus est. Moisem enim, futurum populi servatorem, ipsamet regis filia ex aquis ereptum, in regia domo alendum curavit; ac per eum deinde Deus regi praecepit ut Hebraeorum populum dimitteret. Quod cum Pharao exsequi nollet, regnum eius decem flagellis, quae *Aegypti plagae* nuncupantur, horrendum in modum percussum est; quorum postremum fuit ut omnes maiores natu Aegyptiorum per noctem ab Angelo interficerentur: Angelus autem Domini Hebraeorum domibus, quas agni sanguine linitas invenerat, transiens pepercit.

12. Cum rex postulationi cessisset, Moises et populus statim profecti, mare Rubrum, undis mirifice divisis, transierunt. Cumque concessi discessus Aegyptios poenituisset, ipsi quoque, ad Hebraeos insequendos, mare ingressi sunt: verum aquae cum se iterum iunxissent, omnes perierunt.

Ita transitus, id est *Pascha* (Exod., XII), evenit, cuius prodigialis facti memoriam quotannis Hebraei usque ad Iesu Christi Pascha celebrarunt, in quo humanum genus a peccati captivitate, omnium longe deterrima, redemptum est.

V. – *De Hebraeis in deserto, de lege, de Iosue, de terra promissa.*

13. Hebraeis per desertum ductis, Deus, super montem Sinai cum maiestate magna inter tonitrua et fulgura, *Decalogum* seu decem praecepta dedit, duabus lapideis insculpta tabulis: quibus adiunxit alias rituales et sociales leges, quas populus usque ad Messiae adventum observaret ut divinarum promissionum compos fieret.

14. Hoc fuit *vetus Testamentum*, seu Dei *pactum*, cum populo electo; haec lex *antiqua*, *mosaica*, quae, minutis gravibusque praeceptis cum constaret, eo spectabat ut et fidem cultumque unius veri Dei, quem ubique gentes ignorabant, tueretur, et praeparatio quaedam esset ad *novum Testamentum*, seu *novam Christi legem*, antiqua longissime praestantem; hoc denique fundamentum est quo constitutio hebraicae nationis a Moise conditae innititur.

15. Quamvis vero Deus hoc pacto Hebraeos dignatus esset, et mirum in modum in deserto sustentasset, hi tamen ingressum sibi in promissam terram ob suas noxas remorati sunt. Moises autem ad ipsius terrae fines mortuus est; in cuius locum Iosue successit, qui demum, post annos quadraginta ex quo Hebraei peregrinari coeperant, Palestina potitus est, eamque in duodecim tribus, originem a duodecim filiis Iacob ducentes, divisit.

VI. – *De Iudicibus*, *de Regibus*, *de Davide*, *de Salomone*, *de templo*, *de Iudae regno*.

16. Defuncto Iosue, *Iudices* populum moderati sunt, qui quoties gravis quaedam necessitas postulabat, a Deo excitabantur; ac deinde *Reges*, quorum primus Saul fuit. Huic, postquam a Deo reiectus est, David successit, vir quidem animosus ac fidelis, ex tribu Iuda; in cuius familia hereditarium regnum mansurum erat, ac postremo Messias nasciturus, cuius regni non erit finis.

17. Salomon, David filius, omnium sapientissimus, peramplum Domino splendidumque templum Hierosolymae aedificavit; sed aetate iam senior in luxuriam

et idololatriam prolapsus est. Propter hoc crimen, itemque ob cordis duritiam filii eius ac successoris Roboam, decem tribus e domo David segregatae sunt, ex quibus per Jeroboam, defectionis auctorem, regnum Israel constitutum est; quod cum brevi in idololatriam delapsum esset, a Deo reprobatum est et ab Assyriis deletum.

18. Interea tribus quoque Iudae et Beniamin, quibus *regnum Iudae* constabat, quaeque David successoribus supererant, non semel praevaricatae sunt, quamvis ipsarum crimina *Prophetae*, praesertim sub impiis regibus, ut Achaz et Manasses, acriter improbassent. Quamobrem Nabuchodonosor, Babyloniae rex, intervenit, qui, Hierosolyma cum templo deleta, regem populumque in servitutem redegit.

VII. – *De captivitate Babylonensi, de reditu in patriam novoque templo exstructo.*

19. Hebraei, aegritudine captivitatis Babylonensis affecti, et monitis Prophetarum permoti, ad bonam frugem se receperunt, fidemque suam in Deum et in libertatem Israël per Messiam efficiendam confirmarunt.

20. Quare, post annos LXX, cum Cyrus, Persarum rex, qui Babyloniam in servitutem redegerat, reditum in patriam Israëlitico populo, iuxta mirabilem illam Isaiae Prophetae vaticinationem, concessisset, magno omnium religionis studio ac fervore Ierusalem urbs, Zorobabel ac Neemia ducibus, iterum aedificata fuit, imprimisque templum, quod quidem, quamvis non ut vetus opere ornatuque magnificum, praesentiâ tamen exspectati *Dominatoris* et *Angeli novi Testamenti*

honestandum erat. Cultus in Deum publice restitutus, atque, Esdra sacerdote curante, populus ad legis oboedientiam reductus est, cuius legis exemplaria coram omnibus perlecta fuere et opportune eisdem explanata.

21. Deinceps, saeculorum decursu, quamvis Israëlitici populi civilis libertas, vires et opes sensim dilaberentur, non deferbuit tamen, quin immo convaluit, etsi plures a pristinae vitae instituto recesserant, studium divinae legis itemque expectatio Servatoris generis humani, a Prophetis manifestius in dies praenuntiati, usque dum Iesus Nazarenus apparuit, in quo simul omnes vaticinationes divinitus impletae sunt. [1]

VIII. – *De vita, praedicatione, morte, resurrectione et ascensione Iesu Christi.*

22. Iesus in Bethlehem natus est ex Maria Virgine, Ioseph sponsa de domo David. Uti Angelus Gabriel eidem praenuntiarat, Spiritus Sanctus obumbraverat eam; ideoque virgo permanens, mater Divini Verbi facta est, quod ex ea carnem sumpsit.

23. Secundum legis praecepta, circumcisus et *Iesus* seu Salvator vocatus, post illam in Aegyptum peregrinationem ad quam Herodis insectatione coactus est, in oppido Nazareth vixit, Mariae et Ioseph subditus, proficiens in dies « sapientia et aetate et gratia apud Deum « et homines ». Triginta annos natus, postquam Baptismum poenitentiae a Ioanne Baptista in Iordano flumine accepit, per Iudaeam et Galilaeam cepit *Evan-*

[1] Cf. *Part. III, q. 80.*

gelium, seu bonum nuntium, praedicare, remissionem nempe peccatorum et vitam aeternam iis omnibus qui in eum credituri eiusque praeceptis obtemperaturi essent, divinam suam doctrinam et missionem miris prodigiis confirmans.

24. Plures in eum crediderunt, in primis duodecim Apostoli seu viri *missi*, quos Ipse delegit ut institueret Ecclesiam, cuius caput et quasi fundamentum Petrum constituit. At odium invidiamque pontifices, pharisaei legisque doctores in eum concitaverunt, quippe qui potestati eius inviderent, eiusque obiurgationes contra errores simulationesque suas aegro animo ferrent. Quod quidem odium causa fuit cur Synedrium, id est supremum nationis tribunal, eum, Redemptorem a gentibus expectatum, morte multaret, eique Barabbam latronem anteponeret, cum Pilatus, romanus Praeses, animo pavidus, ei gratiam vitamque concedere, adventante Paschatis die, conaretur.

25. Acerbissimis cruciatibus affectus, nempe flagellatus, spinis coronatus et in Calvariae loco prope Ierusalem, duos inter latrones, cruci affixus, non modo inimicis ignoscens, sed eisdem etiam a Deo veniam implorans, reclinato capite, emisit spiritum. Ita Redemptionis opus perfecit, absolutissimam aeterno Patri satisfactionem pro nobis praebens. Tum *vetus Testamentum* impletum est, pactum videlicet cum immemori ingratoque illo populo initum, a quo Deus Redemptor omnium reiectus fuerat crudeliterque interfectus, qui *novum aeternumque Testamentum* pretioso sanguine suo dedicavit.

26. Sepulto Iesu corpore, eius anima ad inferos descendit, ut iustorum animas, quae illic redemptionem

expectabant, liberaret. Tertia vero die, ut saepius praedixerat, a mortuis resurrexit; et quum piis mulieribus, Petro, duobus illis discipulis qui oppidum Emmaus petebant, ceterisque Apostolis, adhuc de rei veritate dubitantibus, apparuisset, iidem, gloriosis eius plagis inspectis, de Christi resurrectione certiores facti sunt. Quos quidem de regno Dei edoctos ac facultate auctos remittendi ac retinendi peccata, in universum mundum misit ut omnes gentes docerent et baptizarent, ipsis pollicitus se Spiritum Sanctum missurum, seque cum ipsis usque ad consummationem saeculi mansurum. Die autem quadragesima postquam a mortuis resurrexerat, ipsis cernentibus in caelum est elevatus, sedetque ad dexteram Patris, omnemque potestatem habens in caelo et in terra.

IX. – *De adventu Spiritus Sancti et de Ecclesia catholica.*

27. Post alios decem dies, in festo Pentecostes, Spiritus Sanctus, quem Christus promiserat, super Apostolos et nascentem Ecclesiam, a qua nunquam postea se erat separaturus, descendit. Ita Dei regnum, habens Apostolos rectores propagatoresque, supernaturalibus auxiliis tum divini verbi oretenus prolati, vel scriptis traditi, tum Sacramentorum (quae inter praecipuum obtinet locum Ssm̃a Eucharistia, sub cuius velis Christus delitescens, nobiscum continenter adest), tum denique donorum Spiritus Sancti Paracliti, conditum perfectumque est, et seorsum a Synagoga suum proprium munus in salutem humani generis, exercere coepit. Ex quo factum est, ut paullatim ethnici, quamvis

severissimae romani imperii persecutiones obstarent, a perverso idolorum cultu et a pessima morum corruptione in quam lapsi erant, revocarentur, ipsorumque bene multi, catholicam fidem amplexati, virtutum omnium laude floruerint.

28. Concidit subinde, una cum urbe principe ac templo, civitas Iudeorum, iique in omnes terrarum partes dispersi sunt: corruit, suis consumptus vitiis, vetus mundus: periere vetustate regna et imperia; Ecclesia autem cum civili cultu ab ea invecto manet, in humanae societatis salutem magis in dies progrediens, etiamsi nationes vel potentissimae per schisma et haeresim a materno eius sinu misere discesserint, et christiani nominis hostes bellum contra eam indesinenter gesserint hodieque gerant. « Portae inferi non praevalebunt »: qua divina promissione freti, boni Christi milites nihil profecto pavent, et cum Ecclesia matre preces Deo fundunt, laborant, adversa omnia patienter ferunt, novissimum illum diem exspectantes, quo gloriosus vivorum et mortuorum iudex, Christus, iterum adveniet; qui et odia et persecutiones defectionesque praenuntians, suorum omnium animos auget et recreat, illud edicens: « Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Confidite: ego vici mundum ». [1]

[1] Argumenta quibus divinitas Iesus Christi evincitur, vide in maiori nostro catechismo, *q. 82.*

INDEX

PAG.

Indulgentiae iis concessae qui doctrinae christianae vel tradendae vel discendae dant operam 5

Prooemium 7

Ordo quo christianae doctrinae capita in tertio catechismo pro adultis disposita sunt 19

Praecipua omnibus scitu necessaria vel valde utilia..... 21

CATECHISMUS CATHOLICUS.

I.

Catechismus pro puerulis ad sanctam Communionem primum admittendis ad normam decreti *Quam singulari* Pii Pp. X 27

II.

II. Catechismus pro pueris qui in Catechismi studium incumbunt 35

Caput I. — De signo sanctae Crucis 35

Caput II. — De Symbolo Apostolorum..... 36

Sectio 1ª. - De primo Symboli articulo, quo traditur doctrina de prima sanctissimae Trinitatis Persona et de opere creationis 36

Sectio 2ª. - De aliis sex Symboli articulis, quibus traditur doctrina de secunda sanctissimae Trinitatis Persona et de opere redemptionis..... 41

Sectio 3ª. - De reliquis quinque Symboli articulis, quibus traditur doctrina de tertia sanctissimae Trinitatis Persona et de opere nostrae sanctificationis 43

PAG.

CAPUT III. — De Decalogo 48

Art. 1. - De primis tribus Decalogi mandatis quae Deum respiciunt 48

Art. 2. - De reliquis septem Decalogi mandatis quae ad nosmetipsos et ad proximum referuntur 49

CAPUT IV. — De praeceptis Ecclesiae 52

Art. 1. - De primo Ecclesiae praecepto .. 52

Art. 2. - De secundo Ecclesiae praecepto . 53

Art. 3. - De tertio et quarto Ecclesiae praecepto 55

Art. 4. - De quinto Ecclesiae praecepto .. 56

CAPUT V. — De gratia 56

CAPUT VI. — De oratione 58

SECTIO 1ª. - De oratione in genere 58

SECTIO 2ª. - De oratione dominica et salutatione angelica 59

Art. 1. - De oratione dominica 59

Art. 2. - De salutatione angelica 61

CAPUT VII. — De Sacramentis 62

SECTIO 1ª. - De Sacramentis in genere 62

SECTIO 2ª. - De singulis Sacramentis 64

Art. 1. - De sacramento Baptismi 64

Art. 2. - De sacramento Confirmationis .. 64

Art. 3. - De sanctissima Eucharistia 65

A) De praesentia reali Iesu Christi in Eucharistia 65

B) De sacrificio Missae 67

C) De sacramento Eucaristiae 68

PAG.

Art. 4. - De sacramento Poenitentiae 70
A) De actibus poenitentis..... 71
a) Conscientiae examen..... 71
b) Contritio de peccatis commissis et propositum non peccandi de cetero 73
c) Confessio peccatorum 73
d) Satisfactio..... 75
B) De absolutione sacramentali.... 75
Art. 5. - De sacramento Extremae Unctionis 76
Art. 6. - De sacramento Ordinis..... 77
Art. 7. - De sacramento Matrimonii 77

Caput VIII. — De virtutibus..... 78
Art. 1. - De virtutibus theologicis 78
Art. 2. - De virtutibus moralibus..... 81

Caput IX. — De peccatis actualibus seu personalibus. 82

Caput X. — De Novissimis 83

III.

Catechismus pro adultis hominibus, qui pleniorem doctrinae catholicae cognitionem habere exoptant... 87

Caput I. — De signo Sanctae Crucis..... 87

Caput II. — De divina revelatione 89

Caput III. — De Symbolo Apostolorum 94
Sectio 1ª. – De primo Symboli articulo, quo traditur doctrina de prima sanctissimae Trinitatis Persona et de opere creationis 95
Art. 1. - De Deo uno et trino 95

PAG.

Art. 2. - De mundi creatione et de divina Providentia. 98

Art. 3. - De creatione Angelorum 100

Art. 4. - De creatione hominis et de originali peccato 102

Sectio 2ª. - De aliis sex Symboli articulis, quibus traditur doctrina de secunda Persona sanctissimae Trinitatis et de opere Redemptionis 109

Art. 1. - De Iesu Christo eiusque divinitate. 109

Art. 2. - De Filii Dei incarnatione et nativitate 112

Art. 3. - De opere redemptionis generis humani 116

Art. 4. - De Iesu Christi in caelum ascensu, eiusdemque in fine mundi reditu ad universale iudicium 119

Sectio 3ª. - De reliquis quinque Symboli articulis, quibus traditur doctrina de tertia sanctissimae Trinitatis Persona et de opere nostrae sanctificationis, in terris quidem inchoatae per gratiam, in caelis consummandae per gloriam 122

Art. 1. - De Spiritu Sancto, eiusque muneribus in fideles et in Ecclesiam. 122

Art. 2. - De vera Iesu Christi Ecclesia . . . 124

A) De Ecclesiae institutione et constitutione. 125

B) De Ecclesiae potestate 130

C) De Ecclesiae membris 136

D) De distinctione Ecclesiae a Civitate seu Statu et de utriusque societatis competentia 139

Art. 3. - De sanctorum communione 141

Art. 4. - De peccatorum remissione 143

Art. 5. - De mortuorum resurrectione et aeterna vita. 144

PAG

CAPUT IV. — De Decalogo 147

SECTIO 1ª. - De primis tribus Decalogi mandatis, quae Deum respiciunt 148

Art. 1. - De primo Decalogi mandato ... 148

Art. 2. - De secundo Decalogi mandato . 151

Art. 3. - De tertio Decalogi mandato ... 152

SECTIO 2ª. - De reliquis septem Decalogi mandatis, quae ad nosmetipsos et ad proximum referuntur. 153

Art. 1. - De quarto Decalogi mandato.. 153

Art. 2. - De quinto Decalogi mandato.. 158

Art. 3. - De sexto Decalogi mandato.... 160

Art. 4. - De septimo Decalogi mandato . 162

Art. 5. - De octavo Decalogi mandato... 162

Art. 6. - De duobus ultimis Decalogi mandatis..... 163

CAPUT V. — De praeceptis Ecclesiae 165

Art. 1. - De primo Ecclesiae praecepto.. 165

Art. 2. - De secundo Ecclesiae praecepto. 167

Art. 3. - De tertio et quarto Ecclesiae praecepto 169

Art. 4. - De quinto Ecclesiae praecepto .. 173

CAPUT VI. — De consiliis evangelicis 174

CAPUT VII. — De gratia 176

CAPUT VIII. — De oratione 179

SECTIO 1ª. - De oratione in genere 179

SECTIO 2ª. - De oratione dominica et salutatione angelica 182

Art. 1. - De oratione dominica 182

Art. 2. - De salutatione angelica..... 189

PAG.

CAPUT IX. — De Sacramentis 188

SECTIO 1ª. - De Sacramentis in genere 188

SECTIO 2ª. - De singulis Sacramentis 194

Art. 1. - De sacramento Baptismi 194

Art. 2. - De sacramento Confirmationis .. 199

Art. 3. - De Eucharistia 201

A) De praesentia reali Iesu Christi in Eucharistia 201

B) De sacrificio Missae 205

C) De sacramento Eucharistiae ... 208

Art. 4. - De sacramento Poenitentiae 213

A) De actibus poenitentis 216

a) De conscientiae examine 216

b) De contritione et proposito 217

c) De confessione 220

d) De satisfactione 222

B) De absolutione sacramentali ... 223

C) De effectu sacramenti Poenitentiae et de Indulgentiis 225

Art. 5. - De sacramento Extremae Unctionis 228

Art. 6. - De sacramento Ordinis 230

Art. 7. - De sacramento Matrimonii 233

CAPUT X. — De virtutibus 239

SECTIO 1ª. - De virtutibus theologicis 240

Art. 1. - De virtutibus theologicis in genere. 240

Art. 2. - De virtutibus theologicis in specie. 242

A) De fide 242

B) De spe 244

C) De caritate 245

PAG.

SECTIO 2ª. - De virtutibus moralibus 248

SECTIO 3ª. - De donis Spiritus Sancti 249

SECTIO 4ª. - De evangelicis beatitudinibus et Spiritus Sancti fructibus 251

CAPUT XI. — De peccatis actualibus seu personalibus. 254

CAPUT XII. — De Novissimis 259

APPENDICES.

APPENDIX I. — Schema Constitutionis de parvo Catechismo, iuxta emendationes a Congregatione generali admissas reformatum..... 265

APPENDIX II. — Decretum S. C. de Sacramentis, de aetate admittendorum ad primam Communionem..... 269

APPENDIX III. — De iis qui in mortis periculo versantur. 277

APPENDIX IV. — Decretum de indulgentiis iis concessis qui doctrinae christianae vel tradendae vel discendae dant operam..... 279

APPENDIX V. — Epitome historiae divinae Revelationis. 281

TESTIMONIA

TESTIMONIA

CONCILIORUM OECUMENICORUM ROMANORUM PONTIFICUM, SANCTORUM PATRUM ET SACRARUM CONGREGATIONUM ROMANARUM QUAE IN CATECHISMO AFFERUNTUR

Quaestio 2ª.

Concilium Florentinum: Vide *Q. 349;* Concilium Tridentinum: *Q. 532.*

Benedictus XV, *Encycl.* Ad beatissimi, *1 nov. 1914:*

« Vis et natura catholicae fidei est eiusmodi, ut nihil ei possit addi, nihil demi: aut omnis tenetur, aut omnis abiicitur. *Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit* (*Symb. Athanas.*). Non igitur opus est appositis, ad professionem catholicam significandam; satis habeat unusquisque ita profiteri: " Christianus mihi nomen, catholicus cognomen „ (S. Pacianus, *Epist. prima;* P. L., *13, 1055*); tantum studeat se revera eum esse, qui nominatur ».

(Acta Apostolicae Sedis, *VI, 577*).

Quaestio 4ª.

S. Augustinus, *In Ioannem, CXVIII, 5:*

« Quid est quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquae ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur ».

(P. L., *35, 1950*).

Quaestio 5ª.

Innocentius III, *De sacro Altaris mysterio, II, 45:*

« Est autem signum Crucis tribus digitis exprimendum, quia sub invocatione Trinitatis imprimitur... ita quod a superiori descendat in inferius, et a dextra transeat ad sinistram... Quidam tamen signum Crucis a sinistra producunt in dextram.... praesertim ut seipsos et alios uno eodemque pariter modo consignent ».

(P. L., *217*, 825).

Quaestio 7ª.

Concilium Vaticanum, *Const.* Dei Filius, *cap. 4:*

« Praeter ea ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. ... Divina mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quandiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino ».

Pius IX, *Epist.* Tuas libenter, *21 dec. 1863, ad archiep. Monacensem et Frisingensem :*

« Hinc dubitare nolumus, quin ipsius Conventus viri, commemoratam veritatem noscentes ac profitentes, uno eodemque tempore plane reicere ac reprobare voluerint recentem illam ac praeposteram philosophandi rationem, quae etiamsi divinam revelationem veluti historicum factum admittat, tamen ineffabiles veritates ab ipsa divina revelatione propositas humanae rationis investigationibus supponit, perinde ac si illae veritates rationi subiectae essent, vel ratio suis viribus et principiis posset consequi intelligentiam et scientiam omnium supernarum sanctissimae fidei nostrae veritatum et mysteriorum, quae ita supra humanam rationem sunt, ut haec nunquam effici possit idonea ad illa suis viribus et ex naturalibus suis principiis intelligenda aut demonstranda ».

(Acta Pii IX, *I, III, 641*).

QUAESTIO 12ª.

Concilium Vaticanum, *Const.* Dei Filius, *cap. 2:*

« Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; *invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur* (*Rom., I, 20*); attamen placuisse eius [Dei] sapientiae et bonitati alia eaque supernaturali via seipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* (*Hebr., I, 1 s.*) ».

Idem, *l. c., can. 11, De revelatione:*

« Si quis dixerit, Deum unum et verum, creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse: a. s. ».

Pius X, *Ex motu proprio* Sacrorum Antistitum, *1 sept. 1910, Iusiurandum contra errores Modernismi:*

« Ego... firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem: Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine *per ea quae facta sunt* (*Rom., I, 20*), hoc est, per visibilia creationis opera, tanquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor ».

(Acta Apostol. Sedis, *II, 669*).

S. Irenaeus, *Adv. haereses, II, 9, 1:*

« Ipsa enim conditio [mundi] ostendit eum, qui condidit eam; et ipsa factura suggerit eum, qui fecit; et mundus manifestat eum, qui se disposuit. Ecclesia autem omnis per universum orbem hanc accepit ab Apostolis traditionem ».

(P. G., *7, 734*).

S. Augustinus, *Sermo 141, 2:*

« Unde illi impii (*Rom., I, 18*) veritatem detinent? Nunquid Deus ad quemquam eorum locutus est? Nunquid

legem acceperunt, sicut Israelitarum populus per Moysen? Unde ergo detinent veritatem, vel in ipsa iniquitate? Audite quod sequitur, et ostendit. *Quia quod notum est Dei*, inquit, *manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit* (*ib.*, *19*). Manifestavit illis, quibus legem non dedit? Audi quomodo manifestavit. *Invisibilia enim eius per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur* (*ib.*, *20*). Interroga mundum, ornatum caeli, fulgorem dispositionemque siderum... interroga omnia, et vide si non sensu suo tanquam tibi respondent: Deus nos fecit. Haec et philosophi nobiles quaesierunt, et ex arte artificem cognoverunt ».

(P. L., *38*, *776*).

QUAESTIO 13ª.

Concilium Vaticanum: Vide *Q. 12*.

QUAESTIO 17ª.

Concilium Vaticanum, *l. c.*, *cap. 2:*

« Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione, ab omnibus, expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore cognosci possint ».

QUAESTIO 18ª.

Concilium Vaticanum, *l. c.*, *cap. 3:*

« Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima, et omnium intelligentiae accommodata ».

Origenes, *Contra Celsum*, *VI*, *10:*

« Propria enim divinitatis nota est, res futuras ita praedicere, ut praedicendi ratio vires humanas superet, et ex eventu iudicetur divinum Spiritum esse praedictionis auctorem ».

(P. G., *11*, *1306*).

Quaestio 21ª.

S. Theophilus Antiochenus, *Ad Autolycum, III, 12:*

« Consentaneae inveniuntur Prophetarum et Evangeliorum sententiae, propterea quod omnes uno Dei afflati Spiritu locuti sunt ».

(P. G., *6, 1138*).

S. Epiphanius, *Adv. haereses, Haer. 61, 6:*

« Sed traditione quoque opus est; neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditionibus alia, sanctissimi Apostoli reliquerunt ».

(P. G., *41, 1047*).

Quaestio 23ª.

Concilium Tridentinum, *sess. IV, Decretum de canonicis Scripturis:*

« Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus... hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur, quod promissum ante per Prophetas in Scripturis sanctis Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae *omni creaturae praedicari* (Matth., *XXVIII, 19 ss.;* Marc., *XVI, 15*) iussit; perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint qui ab ipsa Synodo suscipiuntur.

« Sunt vero infra scripti:

« *Testamenti Veteris:* 5 Moysis, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosuae, Iudicum, Ruth, 4 Regum, 2 Paralipomenon, Esdrae primus, et secundus qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum 150 psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, 12 Prophetae minores, id est Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; 2 Machabaeorum, primus et secundus.

« *Testamenti Novi:* 4 Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; 14 Epistolae Pauli Apostoli, ad Romanos, 2 ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, 2 ad Thessalonicenses, 2 ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli 2, Ioannis Apostoli 3, Iacobi Apostoli 1, Iudae Apostoli 1, et Apocalypsis Ioannis Apostoli.

« Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit: a. s. ».

Concilium Vaticanum, *Const.* Dei Filius, *cap. 2:*

« Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur " in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt ,,. Qui quidem Veteris et Novi Testamenti libri, integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed

propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt».

Leo XIII, *Encycl.* Providentissimus Deus, *18 nov. 1893:*

«Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tanquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante conscripti sunt; tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse.

«Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, sollemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano, a quo absolute edictum: "Veteris et Novi Testamenti libri ... Deum habent auctorem„. Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tanquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae... Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt, quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse».

(Acta Leonis XIII, *XIII*, *357-59*).

Quaestio 25ª.

Concilium Tridentinum et Concilium Vaticanum: Vide *Q. 23.*

Quaestio 27ª.

Concilium Vaticanum, *Const.* Dei Filius, *cap. 4:*

« Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum. Crescat igitur... et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia ».

Idem, *Const.* Pastor aeternus, *cap. 4:*

« Huic pastorali muneri ut satisfacerent, praedecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis antistites, nunc singuli nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, *ubi fides non potest sentire defectum* (S. Bernardus, *Epist. CXC*). Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea, Deo adiutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum qui-

dem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem, discipulorum suorum principi factam: *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Luc., *XXII*, *32*) ».

S. Irenaeus, *Adv. haereses*, *III*, *3*, *1 s.*:

« Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre; et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi et successores eorum usque ad nos... Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab apostolis traditionem et annunciatam fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos qui, quoquo modo ... praeterquam oportet, colligunt.

« Ad hanc enim Ecclesiam [Romanam], propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper, ab his qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio ».

(P. G., *7*, *849*).

Quaestio 36ª.

Concilium Lateranense IV (*1215*), *cap. 1*:

« Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, immensus et incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens et ineffabilis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus: tres quidem Personae, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino: Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque: absque initio, semper, ac sine fine: Pater generans, Filius nascens, et Spiritus Sanctus procedens: consubstantiales et coaequales et coomni-

potentes et coaeterni: unum universorum principium: creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium: qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Diabolus enim et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestione peccavit.

« Haec Sancta Trinitas, secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta, primo per Moysen et sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum doctrinam humano generi tribuit salutarem ».

(Mansi, *XXII*, *981 s.*).

Concilium Vaticanum, *Const.* Dei Filius, *cap. 1:*

« Sancta catholica apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, creatorem ac Dominum caeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

« Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.

« Universa vero quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, *attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter* (*Sap.*, *VIII*, *1*). *Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius* (*Hebr.*, *IV*, *13*), ea etiam quae libera creaturarum actione futura sunt ».

S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catecheses*, *IV*, *5:*

« Hic Domini nostri Iesu Christi Pater, non aliquo circumscriptus est loco, neque minor est coelo: verum opera digitorum eius sunt coeli, et universa terra in pugno eius continetur; hic in omnibus est et extra omnia; ... futurorum praescius est et omnibus potentior, omnia sciens et prout vult faciens, non subiectus rerum seriebus, neque generi, neque fortunae, neque fatali necessitati. In omnibus perfectus, et omnis virtutis speciem ex aequo possidens. Qui neque minuitur neque augescit, sed idem semper eodemque modo se habet, qui praeparavit supplicium peccatoribus et iustis coronam ».

(P. G., *33*, *459*).

Quaestio 37ª.

Concilium Vaticanum: Vide *Q. 36.*

Quaestio 39ª.

Concilium Lateranense IV (*1215*), *cap. 2:*

« Nos autem, sacro et universali Concilio approbante, credimus et confitemur cum Petro [Lombardo], quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; tres simul Personae, ac singulatim quaelibet earundem: et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non Quaternitas; quia quaelibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina: quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest: et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat, et Filius, qui gignitur, et Spiritus Sanctus, qui procedit: ut distinctiones sint in Personis, et unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud: sed id quod est Pater, est Filius, et Spiritus Sanctus idem omnino, ut secundum orthodoxam et catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab aeterno Filium generando, suam substantiam ei dedit, iuxta quod ipse testatur: *Pater quod dedit mihi, maius omnibus est* (Io., *X*, *29*). Ac dici non potest, quod partem substantiae suae illi dederit, et partem ipse sibi retinuerit, cum

substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi; alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit, et ita Pater et Filius habent eandem substantiam: et sic eadem res est Pater et Filius, nec non et Spiritus Sanctus ab utroque procedens. Cum vero Veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem: *Volo*, inquiens, *ut ipsi sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus* (Io., *XVII*, *22*): hoc nomen " unum ,, pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio caritatis in gratia, pro Personis vero divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait: " *Estote... perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* ,, (Matth., *V*, *48*), ac si diceret manifestius: *Estote perfecti* perfectione gratiae, *sicut Pater vester coelestis perfectus est* perfectione naturae, utraque videlicet suo modo ».

(Mansi, *XXII, 983 s.*).

Concilium Lugdunense II (*1274*), *De processione Spiritus Sancti:*

« Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit: hoc professa est hactenus, praedicavit et docuit, hoc firmiter tenet, praedicat, profitetur et docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium et magistra: hoc habet orthodoxorum Patrum atque Doctorum, Latinorum pariter et Graecorum incommutabilis et vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis praemissae veritatis ignorantiam in errores varios sunt prolapsi, nos huiusmodi erroribus viam praecludere cupientes, sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus, qui negare praesumpserint, aeternaliter Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere: sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio, tanquam ex duobus principiis et non tanquam ex uno, procedat ».

(Mansi, *XXIV, 81*).

Concilium Florentinum, *Decretum pro Graecis:*

« In nomine sanctae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, hoc sacro universali approbante Florentino Concilio diffinimus, ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit: declarantes, quod id quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia quae Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est. Diffinimus insuper, explicationem verborum illorum " *Filioque* „ veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam ».

(Mansi, *XXXI, 1030*).

S. Augustinus, *De Trinitate, I, 7:*

« Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate quae Deus est, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius eiusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres dii, sed unus Deus, quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est; Filiusque a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit qui Filius est; Spiritusque Sanctus nec Pater sit nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus, Patri et Filio etiam ipse coaequalis, et ad Trinitatis pertinens unitatem ».

(P. L., *42, 824*).

S. Epiphanius, *Ancoratus*, *8:*

« Unaquaeque appellationum istarum singularis est; neque quidquam habet quod secundo significetur. Pater enim pater est; neque quidquam habet quod ex adverso comparatum sit, aut cum altero patre copulatum, ne forte duo sint dii. Filius unigenitus, Deus verus ex Deo vero, non Patris nomen sibi vindicans, nec alienus a Patre, sed unius Patris exsistens; Unigenitus vero, ut singulari sit appellatione Filius; et Deus ex Deo, ut unus Deus Pater et Filius appelletur. Et Spiritus Sanctus unicus, non Filii nomen, non appellationem Patris usurpans; sed Spiritus Sanctus vocatus, nec alienus a Patre. Etenim unigena ipse Filius ita loquitur: *Spiritus Patris* (Io., *XV*, *26*); item: *Qui a Patre procedit* (*ibid.*), et: *de meo accipiet* (*ibid.*, *XVI*, *14 s.*); ut ne alienus a Patre vel Filio crederetur, sed eiusdem substantiae, ac divinitatis eiusdem, divinus Spiritus, Spiritus veritatis, Spiritus Dei... Inest ergo Deus in Patre, inest in Filio, inest in Spiritu Sancto, qui ex Deo pariter et Deus est. Spiritus enim Dei ac Spiritus Patris et Filii Spiritus, non compositione aliqua, quemadmodum in nobis anima corpusque coniungitur, sed inter Patrem et Filium medius, ex Patre Filioque procedens, appellatione tertius ».

(P. G., *43*, *29*).

S. Ioannes Damascenus, *De fide orthodoxa*, *I*, *12:*

« Pater fons est et auctor tum Filii tum Spiritus Sancti, solius tamen Filii Pater, ac Spiritus Sancti productor. Filius autem filius est, Verbum, sapientia, potentia, imago, splendor, Patris figura, et ex Patre. At Spiritus Sanctus non Patris filius, sed Spiritus Patris, ut qui ex Patre procedat; nullus enim impulsus est sine Spiritu. Quin Filii quoque Spiritus dicitur, non velut ex ipso, sed per ipsum ex Patre procedens. Solus enim Pater auctor est ».

(P. G., *94*, *850*).

Quaestio 41ª.

Concilium Lateranense (*649*) sub S. Martino I, *can. 1*, *contra Monothelitas:*

« Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et veraciter Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, Trinitatem

in unitate, et unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus et aequalis gloriae, unam eandemque trium deitatem, naturam, substantiam, virtutem, potentiam, regnum, imperium, voluntatem, operationem inconditam, sine initio, incomprehensibilem, immutabilem, creatricem omnium et protectricem, condemnatus sit ».

(Mansi, *X, 1151*).

S. Fulgentius, *De fide, 4:*

« Quia in illo uno vero Deo Trinitate, non solum quod unus Deus est, sed etiam quod Trinitas est, naturaliter verum est, propterea ipse verus Deus in Personis Trinitas est, et in una natura unus est. Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio et Spiritu Sancto est, et totus Filius in Patre et Spiritu Sancto est, totusque Spiritus Sanctus in Patre et Filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est, quia nemo alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate ».

(P. L., *65, 673-74*).

S. Ephraem, *Hymnus de defunctis et Trinitate, 11-12:*

« Pater genitor, Filius genitus e sinu eius, Spiritus Sanctus procedens a Patre et Filio; Pater factor qui fecit mundum e nihilo; Filius creator qui universa condidit cum genitore suo.

« Spiritus Sanctus paraclitus et miserator, quo perficitur omne quod fuit et erit et est; Pater mens, Filius verbum, Spiritus vox; tria nomina, una voluntas, una potestas ».

(Lamy, *S. Ephr. hymni et serm., III, 242 s.*).

S. Gregorius Nazianzenus, *Oratio XXXIII, 16:*

« Ipsi [fideles] Patrem et Filium et Spiritum Sanctum adorant, deitatem unam; Deum Patrem, Deum Filium, Deum... Spiritum Sanctum, unam naturam in tribus proprietatibus, intelligentibus, perfectis, per se subsistentibus, numero quidem distinctis, non autem distinctis divinitate ».

(P. G., *36, 235*).

Quaestio 46ª.

Concilium Lateranense IV et Concilium Vaticanum: Vide *Q. 36.*

Quaestio 47ª.

Concilium Vaticanum: Vide *Q. 36.*

Quaestio 48ª.

S. Ioannes Chrysostomus, *Contra Anomeos, XII, 4:*

« Non enim solum protulit [Deus] creaturam, verum etiam prolatam tuetur et fovet, sive angelos dixeris sive archangelos, sive superiores potestates, sive omnia prorsus quae sub aspectu cadunt et quae non cadunt; cuncta fruuntur providentia illius, et si destituantur efficaci illius actione, diffluunt, dilabuntur, pereunt ».

(P. G., *48, 810*).

Quaestio 49ª.

S. Augustinus, *De spiritu et littera, 58:*

« *Vult* autem Deus *omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire* (*1 Tim., II, 4*); non sic tamen, ut iis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes iustissime iudicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum eius evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno et summo bono, malisque poenalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt ».

(P. L., *44, 238*).

Quaestio 50ª.

S. Ephraem, *Carmina Nisibena, III, 8 et 10:*

« Notum est bonum Deum non voluisse calamitates quae omni tempore homines affligunt, quamquam ipse eas immisit, sed peccata nostra causam esse nostrorum afflictionum. Nemo de Creatore nostro, sed hic de nobis conqueri potest, cum eum

peccando coëgerimus ut nobis contra ipsius voluntatem irascatur et nos percutiat contra ipsius beneplacitum... Et homo quidem ideo castigat, ut ipse inde utilitatem percipiat. Unusquisque enim servos suos castigat, ut ipse possideat eos; bonus autem Deus castigat servos suos, ut ipsi se possideant. Fiant afflictiones tuae libri ad admonendum te».

(Ed. G. Bickell, *p. 80*).

Quaestio 52ª.

S. Ioannes Damascenus, *De fide orthodoxa, II, 3:*

« Angelus itaque est substantia intelligens, perpetuo motu necnon arbitrii libertate praedita, corporis expers, Deo serviens, immortalitatem in natura, Dei munere, consecuta: cuius formam substantiae ac definitionem Creator solus novit. Incorporea vero et immaterialis dicitur quantum ad nos; quidquid enim cum Deo confertur, qui solus nulli comparari potest, crassum et materiale invenitur. Sola quippe divina natura vere immaterialis est et incorporea ».

(P. G., *94, 866 s.*).

Quaestio 53ª.

S. Athanasius, *De Virginitate, 5:*

« Ingens remedium est ad salutem animae humilitas; siquidem Satanas non ob scortationem aut adulterium aut furtum deiectus est ex coelis, sed superbia illum inde praecipitavit ad inferiores abyssi partes; cuius haec verba fuere: *Ascendam, et ponam thronum meum e regione Dei, et ero similis Altissimo* (Isa., *XIV, 14*). Et ob haec verba deiectus est, ignisque aeternus illius haereditas et portio fuit ».

(P. G., *28, 258*).

S. Gregorius Magnus, *In Evangelia, II, 34, 7, 8, 9:*

« Novem Angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus: Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim atque Seraphim.

« Sciendum vero quod Angelorum vocabulum nomen est officii, non naturae. Nam sancti illi caelestis patriae spiritus,

semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt, quia tunc solum sunt Angeli cum per eos aliqua nuntiantur... Hi autem qui minima nuntiant, Angeli; qui vero summa annuntiant, Archangeli vocantur ... Hinc est enim quod ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur; ad hoc quippe ministerium summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat. Qui idcirco etiam privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam in operatione quid valeant.

« Michael namque : *Quis ut Deus ;* Gabriel autem: *Fortitudo Dei;* Raphael vero dicitur: *Medicina Dei* ».

(P. L., *76*, *1249 ss.*).

Quaestio 54ª.

S. Hieronymus, *In Matthaeum*, *lib. III*, *ad cap. XVIII:*

« Magna dignitas animarum ut unaquaeque habeat, ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum ».

(P. L., *26*, *130*).

Quaestio 58ª.

S. Irenaeus, *Adv. haereses*, *V*, *24*, *3 et 4:*

« Diabolus autem, quippe apostata exsistens Angelus, hoc tantum potest...: seducere et abstrahere mentem hominis ad transgredienda praecepta Dei, et paulatim obcaecare corda eorum qui conarentur servire ei, ad obliviscendum quidem verum Deum, ipsum autem quasi deum adorare... Magis magisque semetipsum contrarium constituit homini, invidens vitae eius, et in sua potestate apostatica volens concludere eum ».

(P. G., *7*, *1188*).

Quaestio 60ª.

Concilium Lateranense V (*1512-1517*), *sess. VIII*, *De anima humana:*

« Cum itaque diebus nostris (quod dolenter referimus) zizaniae seminator, antiquus humani generis hostis, nonnullos perniciosissimos errores, a fidelibus semper explosos, in agro Domini superseminare et augere sit ausus, de natura praesertim animae rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus; et nonnulli temere philosophantes, secundum

saltem philosophiam verum id esse asseverent; contra huiusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio damnamus et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, aut haec in dubium vertentes: cum illa non solum vere per se et essentialiter humani corporis forma exsistat, sicut in canone felicis recordationis Clementis Papae V praedecessoris nostri in [generali] Viennensi Concilio edito continetur; verum et immortalis, et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata et multiplicanda sit.... Cumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus; et ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus: omnesque huiusmodi erroris assertionibus inhaerentes, veluti damnatissimas haereses seminantes per omnia ut detestabiles et abominabiles haereticos et infideles, catholicam fidem labefactantes, vitandos et puniendos fore decernimus ».

(Mansi, *XXXII. 842*).

Pius IX, *Epist.* Dolore haud mediocri, *30 apr. 1860*, *ad Episc. Wratislaviensem:*

« Notatum praeterea est, Baltzerum in illo suo libello, cum omnem controversiam ad hoc revocasset, sitne corpori vitae principium proprium ab anima rationali reipsa discretum, eo temeritatis progressum esse, ut oppositam sententiam appellaret et haereticam, et pro tali habendam esse multis verbis argueret. Quod quidem non possumus non vehementer improbare, considerantes, hanc sententiam quae unum in homine ponit vitae principium, animam scilicet rationalem a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam, atque doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime cum Ecclesiae dogmate ita videri coniunctam, ut huius sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in fide possit negari ».

(Acta Pii IX, ex quibus excerptus est Syllabus, *Romae 1865*, *p. 178*).

S. Ioannes Damascenus, *De fide orthodoxa*, *II*, *12*:

« Iamvero anima est vivens, simplex et incorporea substantia, corporis oculorum suapte natura sensum fugiens, immortalis, rationis et intelligentiae particeps, organis instructo utens corpore, cui vitam, incrementum, sensum et gignendi vim tribuat, non aliam a se seiunctam mentem habens (mens quippe nihil aliud est quam subtilissima ipsius pars: quod enim oculi in corpore, hoc mens in anima est), arbitrii libertate, volendique et agendi facultate praedita ».

(P. G., *94*, *923 s.*).

Quaestio 62ª.

Benedictus XII, *Const.* Benedictus Deus, *29 iunii 1336*:

« Hac in perpetuum valitura constitutione, auctoritate apostolica definimus: quod secundum communem Dei ordinationem animae Sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini nostri Iesu Christi passionem decesserunt, nec non sanctorum Apostolorum, martyrum, confessorum, virginum et aliorum fidelium defunctorum post sacrum ab eis Christi baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit quando decesserunt, nec erit quando decedent etiam in futurum, vel si tunc fuerit aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatae; ac quod animae puerorum eodem Christi baptismate renatorum et baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium; mox post mortem suam et purgationem praefatam in illis, qui purgatione huiusmodi indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum et iudicium generale post ascensionem Salvatoris Domini nostri Iesu Christi in coelum, fuerunt, sunt et erunt in coelo, coelorum regno et paradiso coelesti cum Christo, sanctorum Angelorum consortio aggregatae; ac post Domini Iesu Christi passionem et mortem, viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente; quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et frui-

tione eorum animae, qui iam decesserunt, sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam; et etiam [animae] illorum qui postea decedent, eandem divinam videbunt essentiam ipsaque perfruentur ante iudicium generale; ac quod visio huiusmodi divinae essentiae eiusque fruitio actus fidei et spei in eis evacuant, prout fides et spes propriae theologicae sunt virtutes; quodque, postquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiva ac facialis visio et fruitio in eisdem, eadem visio et fruitio sine aliqua intercisione, seu evacuatione praedictae visionis et fruitionis, continuata exstitit et continuabitur usque ad finale iudicium, et ex tunc usque in sempiternum.

« Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem, animae decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur, et quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum* (*II Cor., V, 10*) ».

(Bullarium Romanum, *ed. Taurinen., IV, 346 s.*).

S. Ioannes Damascenus, *De fide orthodoxa, IV, 27:*

« Qui bona egerunt, fulgebunt sicut sol cum angelis in vita aeterna, cum domino nostro Iesu Christo, ut videant semper et videantur, indefectibilique inde laetitia fruantur, laudantes eum cum Patre et Sancto Spiritu per infinita saecula ».

(P. G., *94, 1227*).

Quaestio 63ª.

S. Pius V, *Const.* Ex omnibus afflictionibus, *1 oct. 1567, ubi sequentes errores Baii damnantur:*

« 1. Nec angeli nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.

« 2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritorium.

« 3. Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces, et non gratia.

« 4. Vita aeterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt.

« 5. In promissione facta et angelo et primo homini, continetur naturalis iustitiae constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita aeterna iustis promittitur.

« 6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in oboedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

« 7. Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera; sed iuxta modum loquendi Scripturae Sacrae non recte vocantur gratia; quo fit ut tantum merita, non etiam gratia, debeant nuncupari.

« 8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

« 9. Dona concessa homini integro et angelo, forsitan non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia, secundum usum sacrae Scripturae, nomine gratiae ea tantum munera intelliguntur, quae per Iesum Christum male meritis et indignis conferuntur, ideo neque merita neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet.

« 11. Quod pie et iuste in hac vita mortali usque in finem vitae conversati vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali, statim initio creationis constitutae iusto Dei iudicio, deputandum est: neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut iusto Dei iudicio oboedientiae mandatorum vita aeterna reddatur ».

(Du Plessis, *Collectio Iudiciorum*, *III*, *II*, *110 ss.*).

Clemens XI, *Const.* Unigenitus, *contra errores Quesnel*, *8 sept. 1713*, *prop. 35 inter damnatas:*

« Gratia Adami est sequela creationis et erat debita naturae sanae et integrae ».

(Id., *ibid.*, *III*, *II*, *462*).

Pius VI, *Const.* Auctorem fidei, *contra errores Synodi Pistoriensis, 28 aug. 1794, prop. 16 inter damnatas:*

« Doctrina synodi de statu felicis innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectentem non modo integritatem, sed et iustitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem caritatis, atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam; quatenus complexive accepta, innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium: falsa, alias damnata in Baio et Quesnellio, erronea, favens haeresi Pelagianae ».

(Bullarii Romani Continuatio, *ed. Prati, t. VI, p. III, 2710*).

Quaestio 65ª.

S. Ioannes Chrysostomus, *In Genesim, XIII, 1:*

« Vidisti quomodo verbo omnia formata sint? Sed videamus postea quid in creatione hominis dicat. *Et formavit Deus hominem.* Vide quomodo verborum attemperatione, quibus ob nostram infirmitatem usus est, simul et modum creationis doceat et diversitatem, qua, ut humano more loquar, veluti Dei manibus formatum ipsum indicat, sicut et alius propheta dicit: *Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me* (Iob, *X, 8*) ».

(P. G., *53, 106*).

Quaestio 66ª.

S. Ephraem, *In Genesim, cap. 2:*

« Adamum porro ad imaginem et similitudinem Dei creatum fuisse ex triplici capite intelligimus. At ne Adae speciem externam imaginem Dei appellari credas, sed animum libero arbitrio praeditum et in reliquas creatas res potestate et imperio instructum; scilicet, quemadmodum in Dei manu et ditione cuncta sunt posita, sic mundus Adamo subiectus fuit. Sed et purum integrumque animum accepit, omnium proinde virtutum et divinorum charismatum capacem; intelligentiam denique et rationem, qua res omnes comprehendit, digerit ac componit, et ita sese explicat in omnes partes et cuiuslibet

rei imaginem effingit, ut omnia ipse in se uno continere videatur ».

(S. Ephraem, *Opera omnia, ed. Romana, I* [syriace et latine], *128*).

S. Basilius, *Sermo asceticus, 1:*

« Homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est (*Gen., I, 26*), sed peccatum, anima ad vitiosas concupiscentias impulsa, deformavit imaginis pulchritudinem. Deus autem, qui hominem condidit, vera est vita. Itaque qui Dei similitudinem amisit, is perdidit vitae consortium; qui vero extra Deum est, vitam beatam degere non potest. Revertamur igitur ad gratiam initio nobis concessam, ex qua excidimus per peccatum; et rursus iuxta Dei imaginem exornemus nosmetipsos ».

(P. G., *31, 870 s.*).

S. Augustinus, *Enarratio in Ps. 49, 3:*

« Manifestum est ergo, quia homines dixit deos, ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos. Ille enim iustificat, qui per semetipsum, non ex alio iustus est; et ille deificat, qui per se ipsum, non alterius participatione Deus est. Qui autem iustificat, ipse deificat, quia iustificando filios Dei facit. *Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri* (Io., *I, 12*). Si filii Dei facti sumus, et dii facti sumus; sed hoc gratiae est adoptantis, non naturae generantis ».

(P. L., *36, 565*).

Quaestio 74ª.

Concilium Carthaginiense (*418*) a Zosimo approbatum, *can. 2, contra Pelagianos:*

« Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis " in remissionem peccatorum ,, non vera, sed falsa intelligatur: a. s. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors,*

et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt (*Rom., V, 12*), nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in se ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt ».

(Mansi, *III*, *811*).

Concilium Arausicanum II (*529*), confirmatum a Bonifacio II, *contra Semipelagianos :*

« *Can. 1.* Si quis per offensam praevaricationis Adae non totum, id est secundum corpus et animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animae libertate illaesa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturae dicenti: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur* (Ez., *XVIII*, *20*); et: *Nescitis, quoniam, cui exhibetis vos servos ad oboediendum, servi estis eius cui oboeditis?* (*Rom., VI, 16*); et: *A quo quis superatur, eius et servus addicitur* (*II Petr., II, 19*).

« *Can. 2.* Si quis soli Adae praevaricationem suam, non et eius propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom., V, 12*) ».

(Mansi, *VIII*, *712*).

Concilium Florentinum, *Decretum pro Iacobitis:*

« Firmiter credit, profitetur et docet, neminem unquam ex viro feminaque conceptum a diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum mediatoris Dei et hominum Iesu Christi Domini nostri: qui sine peccato conceptus, natus et mortuus, humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit: et regni caelestis introitum, quem primus homo

peccato proprio cum omni successione perdiderat, reseravit: quem aliquando venturum omnia Veteris Testamenti sacra, sacrificia, sacramenta, ceremoniae praesignarunt ».

(Mansi, *XXXI, 1738*).

Concilium Tridentinum, *sess. V, Decretum de peccato originali:*

« 1. Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis huiusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli, totumque Adam per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse: a. s.

« 2. Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non eius propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae: a. s.; cum contradicat Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom., V, 12*).

« 3. Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, idest unicuique proprium, vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, *factus nobis iustitia, sanctificatio, et redemptio* (*I Cor., I, 30*); aut negat ipsum Christi Iesu meritum per Baptismi sacramentum in forma Ecclesiae rite collatum, tam adultis, quam parvulis applicari: a. s.; quia *non est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act., IV, 12*). Unde illa vox: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (Io., *I, 29*). Et illa: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis* (*Gal., III, 27*).

« 4. Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari, ad vitam aeternam consequendam; unde sit consequens, ut in eis forma Baptismatis " in remissionem peccatorum „ non vera, sed falsa intelligatur: a. s.; quoniam non aliter intelligendum est id, quod dicit Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom., V, 12*), nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, ex traditione Apostolorum, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (Io., *III, 5*).

« 5. Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari: a s. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere *consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem* (*Rom., VI, 4*); qui *non secundum carnem ambulant* (*Rom., VIII, 1*), sed *veterem hominem* exuentes, et *novum, qui secundum Deum creatus est, induentes* (*Eph., IV, 22*), innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, *haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi* (*Rom., VIII, 17*); ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur et sentit; quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus, non valet: quinimo *qui legitime certaverit, coronabitur* (*II Tim., II, 5*). Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat (*Rom., VI, 12*), sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam

intellexisse peccatum appellari quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit: a. s.

« 6. Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem; sed observandas esse Constitutiones fel. record. Xisti Papae IV, sub poenis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat ».

Pius IX, *Allocutio* Singulari quadam, *9 dec. 1854:*

« Atque huiusmodi humanae rationis sectatores, seu cultores potius, qui eam sibi certam veluti magistram proponunt, eiusque ductu fausta sibi omnia pollicentur, obliti certe sunt, quam grave et acerbum ex culpa primi parentis inflictum sit vulnus humanae naturae, quippe quod et obfusae tenebrae menti, et prona effecta ad malum voluntas. Hinc celeberrimi ex antiquissima aetate philosophi, quamvis multa praeclare scripserint, doctrinas tamen suas gravissimis erroribus contaminarunt; hinc assiduum illud certamen quod in nobis experimur, de quo loquitur Apostolus: *Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meae* (*Rom., VII, 23*) ».

(Acta Pii IX, *pars I, 1, 624*).

S. Cyrillus Alexandrinus, *In Epist. ad Rom., ad V, 18:*

« Nos autem peccatores effecti sumus ob Adami inoboedientiam, hacce ratione: ille quidem creatus fuerat ad incorruptionem atque vitam, sanctique eius in paradiso deliciarum mores erant, mens eiusdem divinis visionibus semper intenta, incolume corpus et tranquillum, omni turpi voluptate carens, quippe absurdis in eo motibus non tumultuantibus. Postea tamen quam in peccatum decidit et corruptioni patuit, illico in carnis naturam voluptates impurae irrepserunt, simulque nobis saeva lex membrorum subnata est. Peccati igitur morbum natura contraxit ob unius, idest Adami, inoboedientiam, atque ita peccatores constituti sunt multi; non quod cum Adamo simul peccaverint, qui nulli prorsus

erant, sed quia eiusdem, atque Adamus, naturae sunt, quae sub peccati legem cecidit ».

(P. G., *74*, *790*).

QUAESTIO 75ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 74.*

Sixtus IV, *Const.* Cum praeexcelsa, *28 febr. 1476:*

« Dignum quin potius debitum reputamus, universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo... de ipsius immaculatae Virginis mira conceptione gratias et laudes referant et instituta propterea in Dei Ecclesia Missas et alia divina officia dicant et illis intersint, indulgentiis et peccatorum remissionibus invitare... »

(Extr. comm., *III*, *12*, *1 et 2*).

Pius IX, *Const.* Ineffabilis Deus, *8 dec. 1854:*

« ... Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra declaramus, pronuntiamus et definimus, doctrinam quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant, se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse et ab unitate Ecclesiae defecisse, ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subicere, si quod corde sentiunt, verbo aut scripto vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint ».

(Acta Pii IX, *pars I*, *I*, *616*).

S. Ephraem, *Carmina Nisibena*, *XXVII*, *8:*

« Tu [Domine] revera et mater tua soli estis qui ex omni parte omnino pulchri estis; non enim in te, Domine, labes est, nec ulla in matre tua macula ».

(Ed. G. Bickell, *p. 122-123*).

S. Augustinus, *De natura et gratia, 42:*

« Excepta itaque sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem – unde enim scimus, quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum? – hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Utrum hoc quod iste [Pelagius] dicit, an quod Ioannes apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est?* (*I Io., I, 8*) ».

(P. L., *44, 267*).

Quaestio 85ª.

Pius XI, *Encycl.* Quas primas, *11 dec. 1925:*

« Quo autem haec Domini nostri dignitas et potestas fundamento consistat, apte Cyrillus Alexandrinus animadvertit: " Omnium, ut verbo dicam, creaturarum dominatum obtinet, non per vim exortum, nec aliunde invectum, sed essentia sua et natura ,, (*In Luc., X*). Scilicet eius principatus illa nititur unione mirabili, quam hypostaticam appellant. Unde consequitur, non modo ut Christus ab angelis et hominibus Deus sit adorandus, sed etiam ut eius imperio Hominis angeli et homines pareant et subiecti sint: nempe ut vel solo hypostaticae unionis nomine Christus potestatem in universas creaturas obtineat. – At vero quid possit iucundius nobis suaviusque ad cogitandum accidere, quam Christum nobis iure non tantum nativo sed etiam quaesito, scilicet redemptionis, imperare? Servatori enim nost o quanti steterimus, obliviosi utinam homines recolant omnes: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis:... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati* (*I Petr., I, 18-19*). Iam nostri non sumus, cum Christus *pretio magno* (*I Cor., VI, 20*) nos emerit; corpora ipsa nostra membra sunt Christi (*ibid., 15*) ».

(Acta Apostol. Sedis, *XVII, 598*).

Quaestio 89ª.

S. Ephraem, *In Hebdom. Sanctam, VI, 9:*

« In assumpto autem corpore Christus, unicum Dei Verbum, venit ad nativitatem et incrementum, formam visibilem et nutrimentum accepit, atque submissus fuit per generationem temporibus et numeris. In divinitate et humanitate quae hypostatice unitae fuerunt, in humanitate qua usus est divinitus et humanitus, in dominatione et subiectione, in re et actione, Filius Dei, qui homo factus est, unus ipse est absque divisione ».

(Lamy, *l. c., I, 476-8*).

Quaestio 90ª.

Concilium Chalcedonense (*451*), *contra Monophysitas*, *Definitio de duabus naturis Christi:*

« Sequentes igitur Sanctos Patres, unum eundemque confiteri Filium et dominum nostrum Iesum Christum consonanter omnes docemus, eundemque perfectum in deitate, et eundem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, *per omnia nobis similem absque peccato* (*Hebr., IV, 15*); ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos et propter nostram salutem ex Maria virgine Dei genitrice secundum humanitatem: unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium et unigenitum Deum Verbum Dominum Iesum Christum: sicut ante Prophetae de eo et ipse nos Iesus Christus erudivit, et Patrum nobis Symbolum tradidit ».

(Mansi, *VII, 115*).

Concilium Constantinopolitanum III (*680-681*), *contra Monothelitas*, *Definitio de duabus voluntatibus Christi:*

« Et duas naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum Patrum doctrinam, adaeque praedicamus; et duas naturales voluntates non contrarias, absit, iuxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem eius humanam voluntatem et non resistentem vel reluctantem, sed potius subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moveri, subici vero voluntati divinae, iuxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim eius caro caro Dei Verbi dicitur et est, ita et naturalis carnis eius voluntas propria Dei Verbi dicitur et est, sicut ipse ait: *Quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris* (Io., *VI, 38*), suam propriam dicens voluntatem, quae erat carnis eius. Nam et caro propria eius facta est. Quemadmodum enim sanctissina atque immaculata animata eius caro deificata non est perempta, sed in proprio sui statu et ratione permansit, ita et humana eius voluntas deificata non est perempta, salvata est autem magis, secundum deiloquum Gregorium dicentem: " Nam illius velle, quod in Salvatore intelligitur, non est contrarium Deo, deificatum totum ,, ».

(Mansi, *XI, 638*).

Concilium Lateranense IV (*1215*), *cap. I, De fide catholica:*

« Et tandem unigenitus Dei Filius, Iesus Christus, a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine, Spiritus Sancti cooperatione, conceptus, verus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitae manifestius demonstravit. Qui cum secundum divinitatem sit immortalis et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est passibilis et mortalis; qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus et mortuus, descendit ad inferos, resurrexit a mortuis et ascendit in caelum... venturus in fine saeculi, iudicaturus vivos et mortuos, et redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis quam electis; qui

omnes cum suis propriis resurgent corporibus quae nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala, illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam ».

(Mansi, *XXII, 982*).

S. Leo IX (*1049-1054*), *Symbolum Fidei:*

« Credo quoque ipsum Dei Patris Filium, Verbum Dei aeternaliter natum ante omnia tempora de Patre, consubstantialem, coomnipotentem et coaequalem Patri per omnia in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper virgine, cum anima rationali: duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem: duas voluntates et operationes habentem: Deum verum et hominem verum: proprium in utraque natura atque perfectum: non commixtionem atque divisionem passum, non adoptivum, neque phantasticum: unicum et unum Deum, Filium Dei in duabus naturis, sed in unius personae singularitate: impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro nostra salute passum vera carnis passione et sepultum, ac resurrexisse a mortuis die tertia vera carnis resurrectione: propter quam confirmandam cum discipulis, nulla indigentia cibi, sed sola voluntate et potestate, comedisse: die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua surrexit, et anima ascendisse in coelum, et sedere in dextera Patris, inde decimo die misisse Spiritum Sanctum, et inde, sicut ascendit, venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua ».

(Mansi, *XIX, 662*).

Quaestio 91ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 74*.

S. Epiphanius, *Ancoratus, 93:*

« Non enim in homine spes est salutis nostrae constituta. Siquidem ex universis hominibus qui ab Adamo propagati sunt, salutem nobis afferre nemo potuit; sed Deus dumtaxat et Verbum homo factum... Hinc e nostra carne carnem suam

Dominus assumpsit, atque homo nostri similis esse — Deus ac Verbum — voluit, ut passionem passione dissolveret, ac sua morte mortem extingueret ».

(P. G., *43*, *186 s.*).

Quaestio 94ª.

Leo XIII, *Encycl.* Divinum illud munus, *9 maii 1897:*

« Aptissimeque Ecclesia, ea divinitatis opera in quibus potentia excellit, tribuere Patri, ea in quibus excellit sapientia, tribuere Filio, ea in quibus excellit amor, Spiritui Sancto tribuere consuevit.... Ac principio respici oportet ad Christum, conditorem Ecclesiae ac nostri generis Redemptorem. Sane in operibus Dei externis illud eximie praestat Incarnati Verbi mysterium, in quo divinarum perfectionum sic enitet lux ut quidquam supra ne cogitari quidem possit, et quo aliud nullum humanae naturae esse poterat salutarius. Hoc igitur tantum opus, etsi totius Trinitatis fuit, attamen Spiritui Sancto tanquam proprium adscribitur: ita ut de Virgine sic Evangelia commemorent: *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, et: *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* (Matth., *I*, *18*, *20*). Idque merito adscribitur ei qui Patris et Filii est caritas; quum hoc *magnum pietatis sacramentum* (*I Tim.*, *III*, *16*) sit a summa Dei erga homines caritate profectum, prout Ioannes commonet: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (Io., *III*, *16*) ».

(Acta Leonis XIII, *XVII*, *130-32*).

Quaestio 95ª.

Concilium Ephesinum (*431*), *Anathematismi Cyrilli*, *can. 1:*

« Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem sanctam Virginem: peperit enim, secundum carnem, carnem factum Dei Verbum: a. s. ».

(Mansi, *IX*, *327*).

Concilium Constantinopolitanum II (*553*), *Tria Capitula*, *can. 6:*

« Si quis abusive et non vere Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, vel secundum relationem,

quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo incarnato et nato ex ipsa, referenda autem, sicut illi dicunt, hominis nativitate ad Deum Verbum, eo quod cum homine erat nascente, et calumniatur sanctam Chalcedonensem Synodum, tanquam secundum istum impium intellectum, quem Theodorus exsecrandus adinvenit, Dei genitricem Virginem dicentem, vel qui hominis genitricem vocat, aut Christotocon, id est, Christi genitricem, tanquam si Christus Deus non esset, et non proprie et vere Dei genitricem ipsam confitetur, eo quod ipse qui ante saecula ex Patre natus est Deus Verbum, in ultimis diebus ex ipsa incarnatus et natus est, et sic pie et sanctam Chalcedonensem Synodum eam esse confessam, talis a. s.».

(Mansi, *IX*, *379*).

Concilium Constantinopolitanum III (*680-681*), *contra Monothelitas*, *Definitio de duabus voluntatibus Christi:*

« Ad haec et synodicis epistolis, quae scriptae sunt a beato Cyrillo adversus impium Nestorium et ad orientales episcopos; assecuti quoque sancta quinque universalia Concilia et sanctos atque probabiles Patres, consonanterque confiteri definientes Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum nostrum, unum de sancta et consubstantiali et vitae originem praebente Trinitate, perfectum in deitate, et perfectum eundem in humanitate, Deum vere et hominem vere, eundem ex anima rationali et corpore; consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem, *per omnia similem nobis absque peccato* (*Hebr.*, *IV*, *15*), ante saecula quidem ex Patre genitum secundum deitatem, in ultimis diebus autem eundem propter nos et propter nostram salutem de Spiritu Sancto et Maria Virgine proprie et veraciter Dei genitrice secundum humanitatem, unum eundemque Christum Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivise cognoscendum, nusquam exstincta harum naturarum differentia propter unitionem, salvataque magis proprietate utriusque naturae, et in unam personam et in unam subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum vel divisum, sed unum eundemque unigenitum Filium Dei Verbum Domi-

num Iesum Christum, iuxta quod olim Prophetae de eo et ipse nos Dominus Iesus Christus erudivit, et sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum ».

(Mansi, *XI, 635*).

S. Gregorius Nazianzenus, *Epist. 101:*

« Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est. Si quis [Christum] per Virginem tanquam per canalem fluxisse, non autem in ea divino simul et humano modo formatum esse dixerit – divino, quia absque viri opera; humano, quia humana conceptus lege, – aeque atheus est. Si quis formatum hominem fuisse, Deumque postea subiisse dicat, damnationi obnoxius est ».

(P. G., *37, 178 s.*).

S. Ioannes Damascenus, *Oratio prima de Virg. Mariae nativitate, 4:*

« Pudore afficiatur Nestorius ac manum ori imponat. Puer hic Deus est. Quonam igitur modo ea Dei genitrix non sit, quae peperit ? Si quis sanctam Dei genitricem non confitetur, a Deitate remotus est. Mea non est oratio, quanquam alioquin mea; hanc enim divinissimam haereditatem a theologo Patre Gregorio accepi ».

(P. G., *96, 667*).

Quaestio 96ª.

Leo XIII, *Encycl.* Quamquam pluries, *15 aug. 1889:*

« Cur beatus Iosephus nominatim habeatur Ecclesiae patronus, vicissimque plurimum sibi Ecclesia de eius tutela patrocinioque polliceatur, caussae illae sunt rationesque singulares, quod is vir fuit Mariae, et pater, ut putabatur, Iesu Christi. Hinc omnis eius dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectae. Certe matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri maius queat. Sed tamen quia intercessit Iosepho cum Virgine beatissima maritale vinculum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est

dubium quin accesserit ipse, ut nemo magis ... Quocirca si sponsum Virgini Deus Iosephum dedit, dedit profecto non modo vitae socium, virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis eius ipso coniugali foedere participem. Similiter augustissima dignitate unus eminet inter omnes, quod divino consilio custos Filii Dei fuit, habitus hominum opinione pater ».

(Acta Leonis XIII, *IX*, *177-78*).

Quaestio 97ª.

S. Leo Magnus, *Epistola ad Flavianum, Constantinopolitanum episcopum :*

« Idem sempiterni Genitoris Unigenitus sempiternus, natus est de Spiritu Sancto et Maria virgine... Conceptus quippe est de Spiritu Sancto intra uterum matris virginis, quae illum ita, salva virginitate, edidit, quemadmodum, salva virginitate, concepit ».

(P. L., *54*, *759*).

S. Ephraem, *Oratio ad Ssmam Dei Matrem:*

« At, o virgo domina, immaculata deipara, domina mea gloriosissima, beneficentissima mea, coelis sublimior, multo purior solaribus splendoribus, radiis, fulgoribus ... virga illius Aaronis germinans: virga vere apparuisti, et flos filius tuus verus Christus noster, Deus et factor meus; tu secundum carnem Deum genuisti et Verbum, ante partum virginitatem servans, virgo post partum; et reconciliati fuimus cum Deo Christo filio tuo ».

(Opera omnia, *ed. Romana, III* [graece et latine], *545*).

Didymus Alexandrinus, *De Trinitate, III, 4:*

« Suffragatur nobis, quoad denominationes quidem primogeniti et unigeniti, Evangelista, narrans Mariam mansisse virginem *donec peperit filium suum primogenitum* (Matth., *I*, *25*); nam neque cuiquam nupsit illa summe prae omnibus honoranda et maxime inclita Virgo, neque alterius mater unquam facta

est; sed, post puerperium quoque, mansit semper et omni tempore immaculata virgo ».

(P. G., *39*, *831*).

S. Epiphanius, *Adv. haereses*, *Haer. 78*, *6:*

« Quis ullo tempore unquam exstitit, nomen qui sanctae Mariae appellare auderet, et non rogatus subinde Virginis vocabulum adiiceret? Nam in adiunctis istiusmodi vocibus virtutis indicia collucent... Sancta Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur: haec enim perpetuo incorrupta permansit ».

(P. G., *42*, *706 s.*).

S. Hieronymus, *De perpetua virginitate B. Mariae*, *adversus Helvidium*, *19:*

« Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus; Mariam nupsisse post partum non credimus, quia non legimus. Nec hoc ideo dicimus, quo nuptias condemnemus: ipsa quippe virginitas fructus est nuptiarum... Tu dicis Mariam virginem non permansisse; ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio virgo filius nasceretur ».

(P. L., *23*, *213*).

Quaestio 100[a].

S. Athanasius, *Epist. ad Epictetum*, *6:*

« Quae humanum Verbi corpus patiebatur, haec ipsa Verbum, quod corpori coniunctum erat, ad se referebat, ut nos Verbi deitatis participes fieri possemus. Ac illud perquam mirabile fuit, idem fuisse patiens et non patiens: patiens quidem quatenus proprium ipsius corpus patiebatur, et quatenus in ipso patiente erat; non patiens autem quia Verbum, cum natura sua Deus sit, impassibile est. Et ipsum quidem incorporeum in passibili corpore erat; corpus vero in seipso habuit Verbum impassibile, quod ipsius corporis infirmitates absumeret ».

(P. G., *26*, *1059 s.*).

Quaestio 102ª.

Innocentius X, *Const.* Cum occasione, *31 maii 1653, ubi quintam Iansenii propositionem damnavit :*

« Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse ».

(Bullarium Romanum, *ed. Taurinen., XV, 721*).

S. Ambrosius, *Epist. 41, 7:*

« Redegerat [diabolus] humanum genus in perpetuam captivitatem, obnoxiae hereditatis gravi foenore, quod obaeratus auctor ad posteros de foenerata successione transmiserat. Veni Dominus Iesus, mortem suam pro morte omnium obtulit, sanguinem suum pro sanguine fudit universorum ».

(P. L., *16, 1162*).

Quaestio 103ª.

Concilium Tridentinum, *sess. VI, Decretum de iustificatione, cap. 3:*

« Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur ».

Quaestio 104ª.

Concilium Tridentinum, *sess. VI, Decretum de iustificatione, cap. 7:*

« Meritoria [causa iustificationis est] dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit ».

Leo XIII, *Encycl.* Tametsi futura, *1 nov. 1900:*

« Sane cum divini venisset maturitas consilii, unigenitus Filius Dei, factus homo, violato Patris numini cumulatissime pro hominibus uberrimeque satisfecit de sanguine suo, tantoque redemptum pretio vindicavit sibi genus humanum. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis... sed pretioso san-*

guine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati (*I Petr.*, *I*, *18-19*). Ita omnes in universum homines potestati iam imperioque suo subiectos, quod cunctorum ipse et conditor est et conservator, vere proprieque redimendo, rursus fecit iuris sui. *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno* (*I Cor.*, *VI*, *19-20*)».

(Acta Leonis XIII, *XX*, *298*).

S. Ignatius Martyr, *Epist. ad Smyrnaeos*, *2:*

« Omnia autem haec passus est propter nos, ut salutem consequeremur; et revera passus est, ut et revera se ipsum resuscitavit; non, ut quidam infideles dicunt, secundum apparentiam eum passum esse, ipsi secundum apparentiam exsistentes; et quemadmodum sapiunt, sic et continget eis, quippe qui phantastici sint et diabolici ».

(P. G., *5*, *710*).

S. Ioannes Chrysostomus, *In Epist. ad Hebraeos*, *XVII*, *2:*

« *Sic et Christus semel oblatus est.* A quo oblatus? A se ipso. Hic non solum eum dicit sacerdotem, sed et hostiam et sacrificium. Deinde causam affert cur sit oblatus: *Semel*, inquit, *oblatus ad multorum exhaurienda peccata.* Cur multorum et non omnium? Quoniam non omnes crediderunt. Pro omnibus quidem mortuus est, ut omnes servaret, quantum ad ipsum attinet; mors enim illa ex aequo respondebat omnium interitui; non autem exhausit et sustulit omnium peccata, quia ipsi noluerunt... Peccata abstulit ab hominibus et Patri obtulit, non ut aliquid adversus ipsos statueret, sed ut ipsa remitteret ».

(P. G., *63*, *129*).

Quaestio 106ª.

S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catecheses*, *IV*, *11:*

« In monumento saxeo vere positus est sicut homo (Matth., *XXVII*, *60*), sed petrae propter ipsum prae formidine scissae sunt (*ibid.*, *51*). Descendit ad subterranea, ut illinc iustos redimeret. Vellesne enim, quaeso te, vivos quidem gratia frui, idque cum plurimi ex iis sancti non sint; eos vero qui ab Adamo usque longinquo tempore conclusi fuerant, libertatem tandem non consequi? Isaias propheta tam multa de ipso excelsa voce praedica-

vit; non velles ut Rex descendens suum praeconem liberaret? Erant illic David et Samuel et prophetae omnes; ipse quoque Ioannes, qui per legatos suos dicebat: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* (Matth., *XI*, 3). Non velles ut tales viros descendens liberaret? »

(P. G., *33*, *470*).

Quaestio 110ª.

Concilium Lateranense IV et S. Leo IX: Vide *Q. 90.*

S. Leo Magnus, *Sermo 73, 4:*

« Et revera magna et ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu sanctae multitudinis super omnium creaturarum caelestium dignitatem humani generis natura conscenderet, supergressura angelicos ordines, et ultra archangelorum altitudines elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suae provectionis habitura, nisi aeterni Patris recepta consessu, illius gloriae sociaretur in throno, cuius naturae copulabatur in Filio ».

(P. L., *54*, *396*).

Idem, *Sermo 74, 3-4:*

« Totam enim contemplationem animi in divinitatem ad Patris dexteram consedentis erexerant [Apostoli], nec iam corporeae visionis tardabantur obiectu, quominus in id aciem mentis intenderent, quod nec a Patre descendendo abfuerat, nec a discipulis ascendendo discesserat. Tunc igitur, dilectissimi, filius hominis, Dei Filius, excellentius sacratiusque innotuit, cum in paternae maiestatis gloriam se recepit, et ineffabili modo coepit esse divinitate praesentior, qui factus est humanitate longinquior ».

(P. L., *54*, *398*).

S. Irenaeus, *Adv. haereses*, *I*, *10*, *1:*

« Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terrae seminata, et ab Apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in passionem et resurrectionem a mortuis, et in carne in caelos ascensionem dilecti Iesu Christi Domini nostri ... »

(P. G., *7*, *550*).

Quaestio 111ª.

S. Gregorius Nazianzenus, *Oratio 45:*

« Crede... gloriosum et illustrem rediturum, ut de vivis ac mortuis iudicium ferat, non iam illum quidem carneum, nec corpore tamen vacantem, sed augustius diviniusque corpus habentem, quale ipse solus novit ».

(P. G., *36*, *423*).

Quaestio 112ª.

Concilium Lateranense IV et Leo IX: Vide *Q. 90;* Benedictus XII: *Q. 62.*

S. Ioannes Chrysostomus, *In Epist. I ad Corinth., XLII, 3:*

« Quamobrem rogo et obsecro et vestra apprehendens genua supplico, donec habemus hoc parvum vitae viaticum, ut iis quae dicta sunt compungamur, convertamur, reddamur meliores; ne sicut ille dives inutiliter illic lamentemur cum excesserimus et defleamus; fletus autem nihil nobis remedii afferet. Nam sive patrem habeas sive filium sive quemvis alium qui apud Deum habeat fiduciam, nemo te eripiet cum propria tua facta te prodant. Tale est enim illud iudicium: iudicat solum ex operationibus, nec aliter illic salvum esse licet. Haec autem dico non ut iniiciam in desperationem, sed ne inani et frigida spe nutriti, et huic et illi fidentes, nostram negligamus virtutem. Nam si socordes fuerimus ac negligentes, non iustus, non propheta, non apostolus, nemo nobis aderit ».

(P. G., *61*, *367 s.*).

Quaestio 116ª.

Pius XI, *Encycl.* Quas primas, *11 dec. 1925:*

« Iudiciariam vero potestatem sibi a Patre attributam ipse Iesus Iudaeis, de Sabbati requiete per mirabilem debilis hominis sanationem violata criminantibus, denuntiat: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio* (Io., *V*, *22*). In quo id etiam comprehenditur – quoniam res a iudicio disiungi nequit – ut praemia et poenas hominibus adhuc

viventibus iure suo deferat. At praeterea potestas illa, quam exsecutionis vocant, Christo adiudicanda est, utpote cuius imperio parere omnes necesse sit, et ea quidem denuntiata contumacibus irrogatione suppliciorum, quae nemo possit effugere ».

(Acta Apostol. Sedis, *XVII*, *599*).

Quaestio 119ª.

Concilium Lugdunense II: Vide *Q. 39;* Leo XIII: *Q. 94.*

S. Augustinus, *De civitate Dei*, *XI*, *24:*

« Cum sit et Pater spiritus et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus, proprie tamen ipse vocatur Spiritus Sanctus, tanquam sanctitas substantialis et consubstantialis amborum ».

(P. L., *41*, *338*).

Quaestio 121ª.

S. Basilius, *Epist. 38*, *4:*

« A Spiritu Sancto omnis in rem creatam bonorum largitio scaturit ».

(P. G., *32*, *330*).

Quaestio 122ª.

Leo XIII, *Encycl.* Divinum illud munus, *9 maii 1897:*

« Atque hoc affirmare sufficiat, quod cum Christus caput sit Ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius anima : " Quod est in corpore nostro anima, id est Spiritus Sanctus in corpore Christi, quod est Ecclesia ,, (S. Aug., *Serm. 187*, *De temp.*) ».

(Acta Leonis XIII, *XVII*, *135*).

Quaestio 125ª.

Concilium Vaticanum, *Const.* Pastor aeternus, *ab initio:*

« Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, *rogavit Patrem non pro* Apostolis *tantum*, *sed et pro eis qui credituri erant per verbum*

eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt (Io., *XVII*, *20 s.*). Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, *misit, sicut ipse missus erat a Patre* (Io., *XX*, *21*), ita in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit ».

Quaestio 126ª.

Concilium Ephesinum (*431*), *In actione III:*

« Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est; qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet ».

(Mansi, *IV*, *1295*).

Concilium Vaticanum, *l. c.*, *cap. 1*, *De apostolici primatus in beato Petro institutione:*

« Docemus itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia, primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat: *Tu vocaberis Cephas* (Io., *I*, *42*), postquam ille suam edidit confessionem, inquiens: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, sollemnibus his verbis allocutus est Dominus: *Beatus es, Simon Bar Iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in caelis* (Matth., *XVI*, *16 ss.*). Atque uni Simoni Petro contuli Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens: *Pasce agnos meos..., pasce oves meas* (Io., *XXI*, *15 s.*).

« Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem, et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse: a. s. ».

Innocentius X, *Decretum S. Officii, De primatu Romani Pontificis, 24 ian. 1647:*

« Sanctissimus ... propositionem hanc: " S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes, qui unicum efficiunt ,, vel " sunt duo Ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces, summa inter se unitate coniuncti ,, vel " sunt geminus universalis Ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt ,, vel " sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides qui unicum caput constituunt ,, ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae, haereticam censuit et declaravit ».

(Du Plessis, *l. c., III, 11, 248*).

S. Ephraem, *In Hebdomadam Sanctam, IV, 1:*

« Simon, discipule mi, ego te constitui fundamentum Ecclesiae sanctae. Petram vocavi te antea, quia tu sustinebis omnia aedificia; tu es inspector eorum, qui mihi aedificabunt Ecclesiam in terra; si quid reprobum aedificare velint, tu, fundamentum, reprimas eos; tu es caput fontis a quo hauritur doctrina mea, tu es caput discipulorum meorum; per te omnes gentes potabo; tui est suavitas illa vivifica quam largior; te elegi ut sis in mea institutione velut primogenitus, et heres efficiaris thesaurorum meorum; claves regni mei dedi tibi. Ecce principem te constitui super omnes meos thesauros ».

(Lamy, *l. c., I, 412*).

Quaestio 127ª.

Concilium Ephesinum: Vide *Q. 126*.

Concilium Vaticanum, *l. c.*, *cap. 2*, *De perpetuitate primatus beati Petri in Romanis Pontificibus:*

« Quod autem in beato Apostolo Petro, princeps pastorum et pastor magnus ovium, Dominus Christus, in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. " Nulli „ sane " dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae eiusque consecratae sanguine, " vivit „ et praesidet " et iudicium exercet „ (Conc. Ephes., *an. 431*). Unde quicunque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. " Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit „ (S. Leo M., *Serm. III*). Hac de causa ad Romanam Ecclesiam " propter potentiorem principalitatem, necesse „ semper fuit " omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles „ (S. Irenaeus, *Adv. haer., III*, *3*), ut in ea Sede, e qua " venerandae communionis iura „ (Conc. Aquileien., *an. 381*) in omnes dimanant, tanquam membra in capite consociata in unam corporis compagem coalescerent.

« Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores, aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem: a. s. »

Quaestio 131ª.

Concilium Lugdunense II (*1274*), *Professio fidei Michaelis Paleologi:*

« Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest iudicium recurri: et eidem omnes ecclesiae sunt subiectae, ipsarum praelati obedientiam et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, et patriarchales praecipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva ».

(Mansi, *XXIV, 71*).

Concilium Florentinum, *Decretum pro Graecis:*

« Item definimus sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem exsistere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur ».

(Mansi, *XXXI, 1031*).

Concilium Vaticanum, *Const.* Pastor aeternus, *cap. 3, De vi et ratione primatus Romani Pontificis:*

« Quapropter apertis innixi sacrarum Litterarum testimoniis, et inhaerentes tum praedecessorum Nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christifidelibus est, " sanctam Apostolicam Sedem... [Cfr. supra, Conc. Florent., *Decret. pro Graecis*]... in sacris canonibus continetur ,,.

« Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cuiuscunque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis veraeque obaedientiae obstringuntur, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare, salva fide atque salute, nemo potest.

« Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua episcopi, qui *positi a Spiritu Sancto* (*Act., XX, 28*) in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: " Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur ,, (*Epist. ad Eulogium;* P. L., *77, 933*).

« Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate, gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri

ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

« Et quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius posse iudicium recurri; Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere a iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium, tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem, appellare.

« Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles: a. s. ».

S. Leo IX, *Epist.* In terra pax hominibus, *2 sept. 1053, ad Michaelem Cerularium et Leonem Acridanum, de primatu Romani Pontificis:*

« *Cap. 7.* Sancta Ecclesia super petram, id est Christum, et super Petrum vel Cepham, filium Ioannis, qui prius Simon dicebatur, aedificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet haereticorum, quae vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda; sic pollicetur ipsa Veritas, per quam sunt vera quaecunque sunt vera: *Portae inferi non praevalebunt adversus*

eam. (Matth., *XVI*, *18*). Cuius promissionis effectum se precibus impetrasse a Patre idem Filius protestatur, dicendo ad Petrum: *Simon, ecce Satanas*, etc. (Luc., *XXII*, *31*). Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a Sede principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam pe eundem Petrum quam per successores suos, reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, . sunt confirmata?

« *Cap. 11.* Praeiudicium faciendo summae Sedi, de qua nec iudicium licet facere cuiquam hominum, anathema accepistis ab universis Patribus omnium venerabilium Conciliorum.

« *Cap. 31.* Sicut cardo immobilis permanens ducit et reducit ostium, sic Petrus et sui successores liberum de omni Ecclesia habent iudicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum, quia summa Sedes a nemine iudicatur ».

(P. L., *143*, *748*. *751*. *765*).

Bonifacius VIII, *Bulla* Unam sanctam, *18 nov. 1302 :*

« Unam sanctam Ecclesiam catholicam et ipsam apostolicam urgente fide credere cogimur et tenere, nosque hanc firmiter credimus et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec *remissio peccatorum* ... Igitur Ecclesiae unius et unicae unum corpus, unum caput, non duo capita quasi monstrum, Christus videlicet et Christi vicarius Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro: *Pasce oves meas* (Io., *XXI*, *17*). Meas, inquit, et generaliter, non singulariter has vel illas: per quod commisisse sibi intelligitur universas. Si ergo Graeci sive alii se dicant Petro eiusque successoribus non esse commissos: fateantur necesse se de ovibus Christi non esse, dicente Domino in Ioanne *unum ovile et unicum esse pastorem* (Io., *X*, *16*).

« In hac eiusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, evangelicis dictis instruimur... Uterque ergo est in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et

patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio et temporalem auctoritatem spirituali subici potestati... Spiritualem et dignitate et nobilitate terrenam quamlibet praecedere potestatem oportet tanto clarius nos fateri, quanto spiritualia temporalia antecellunt... Nam, veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet et iudicare, si bona non fuerit... Ergo si deviat terrena potestas, iudicabitur a potestate spirituali; sed si deviat spiritualis minor, a suo superiore; si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit iudicari, testante Apostolo: *Spiritualis homo iudicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur* (*I Cor., II, 15*). Est autem haec auctoritas, etsi data sit homini et exerceatur per hominem, non humana, sed potius divina, ore divino Petro data, sibique suisque successoribus in ipso, quem confessus fuerit petra, firmata, dicente Domino ipsi Petro: *Quodcunque ligaveris* etc. (Matth., *XVI, 19*). Quicunque igitur huic potestati a Deo sic ordinatae resistit, Dei ordinationi resistit... Porro subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae, declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus, omnino esse de necessitate salutis».

(Extr. comm., *I, 8, 1*).

Quaestio 132ª.

S. Ignatius Antiochenus, *Epist. ad Smyrnaeos, VIII, 1:*

«Omnes episcopo obtemperate, ut Iesus Christus Patri... Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum quae ad Ecclesiam spectant. Valida Eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur vel sub eo cui ipse concesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est Ecclesia. Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapen celebrare; sed quodcumque illo probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut firmum et validum sit omne quod peragitur».

(Patres Apostolici, *ed. Funk, I, 282*).

S. Irenaeus, *Adv. haereses, III, 1, 1:*

«Traditionem itaque Apostolorum in toto orbe manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint

videre; et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his deliratur ».

(P. G., *7*, *848*).

Quaestio 133ª.

Pius XI, *Encycl.* Mortalium animos, *6 ian. 1928:*

« Ecclesiam vero suam instituit Christus Dominus societatem perfectam, natura quidem externam obiectamque sensibus, quae humani generis reparandi opus, unius capitis ductu (Matth., *XVI*, *18 s.;* Luc., *XXII*, *32;* Io., *XXI*, *15-17*), per vivae vocis magisterium (Marc., *XVI*, *15*), perque Sacramentorum, caelestis gratiae fontium, dispensationem (Io., *III*, *5; VI*, *48-59; XX*, *22 s.;* cfr. Matth., *XVIII*, *18*; etc.), in futurum tempus persequeretur; quamobrem et regno (Matth., *XIII*) et domui (cfr. Matth., *XVI*, *18*) et ovili (Ioann., *X*, 16) et gregi (Io., *XXI*, *15-17*) eam comparando similem affirmavit. Quae quidem Ecclesia, tam mirabiliter constituta, Conditore suo itemque Apostolis, eius propagandae principibus, morte sublatis, desinere atque exstingui profecto non poterat, utpote cui mandatum esset, ut universos homines, nullo temporum locorumque discrimine, ad aeternam salutem perduceret: *euntes ergo docete omnes gentes* (Matth., *XXVIII*, *19*) ... Iamvero in hac una Christi Ecclesia nemo est, perseverat nemo, nisi Petri legitimorumque eius successorum auctoritatem potestatemque obediendo agnoscat atque accipiat ».

(Acta Apostol. Sedis, *XX*, *8*, *15*).

Quaestio 136ª.

Concilium Lateranense IV (*1215*), *contra Albigenses*, *c. I*, *De fide catholica:*

« Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur ».

(Mansi, *XXII*, *982*).

Concilium Florentinum, *Decretum pro Iacobitis*, *et Bulla* Cantate Domino, *4 febr. 1441:*

« [Sancta Romana Ecclesia] firmiter credit, profitetur et

praedicat, nullos intra catholicam Ecclesiam non exsistentes, non solum paganos, sed nec Iudaeos aut haereticos atque schismaticos, aeternae vitae fieri posse participes; sed in ignem aeternum ituros, *qui paratus est diabolo et angelis eius* (Matth., *XXV*, *41*), nisi ante finem vitae eidem fuerint aggregati; tantumque valere ecclesiastici corporis unitatem, ut solum in ea manentibus ad salutem ecclesiastica Sacramenta proficiant, et ieiunia, eleemosynae ac cetera pietatis officia et exercitia militiae christianae praemia aeterna parturiant. Neminemque, quantascunque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse salvari, nisi in catholicae Ecclesiae gremio et unitate permanserit».

(Mansi, *XXXI*, *1739*).

Innocentius III, *Epist.* Eius exemplo, *18 dec. 1208, ad archiep. Tarraconensem, Professio fidei Durando de Osca et sociis eius Waldensibus praescripta:*

« Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam, non haereticorum, sed sanctam, Romanam, catholicam et apostolicam, extra quam neminem salvari credimus ».

(P. L., *215*, *1511*).

Bonifacius VIII: Vide *Q. 131*.

Pius IX, *Allocutio* Singulari quadam, *9 dec. 1854:*

« Errorem alterum, nec minus exitiosum, aliquas catholici orbis partes occupasse non sine moerore novimus, animisque insedisse plerumque catholicorum, qui bene sperandum de aeterna illorum omnium salute putant, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. Idcirco percontari saepenumero solent, quaenam futura post obitum sit eorum sors et conditio, qui catholicae fidei minime addicti sunt, vanissimisque adductis rationibus responsum praestolantur, quod pravae huic sententiae suffragetur. Absit, Venerabiles Fratres, ut misericordiae divinae, quae infinita est, terminos audeamus apponere; absit, ut perscrutari velimus arcana consilia et *iudicia Dei*, quae sunt *abyssus multa* (*Ps. XXXV*, *7*), nec humana queunt cogitatione penetrari. Quod vero apostolici Nostri muneris est, episcopalem vestram

et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus, ut quantum potestis contendere, opinionem illam impiam aeque ac funestam ab hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse aeternae salutis viam. Ea qua praestatis sollertia ac doctrina demonstretis commissis curae vestrae populis, miserationi ac iustitiae divinae dogmata catholicae fidei neutiquam adversari.

« Tenendum quippe ex fide est, extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus, diluvio periturum; sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget ut huiusmodi ignorantiae designare limites queat iuxta populorum, regionum, ingeniorum aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem? Enimvero cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto, quam arcto pulchroque nexu miseratio ac iustitia divina copulentur; quamdiu vero in terris versamur, mortali hac gravati mole quae hebetat animam, firmissime teneamus ex catholica doctrina *unum Deum* esse, *unam fidem*, *unum baptisma* (*Eph.*, *IV*, *5*); ulterius inquirendo progredi nefas est ».

(Acta Pii IX, *I*, *1*, *625*).

Leo XIII, *Encycl.* Satis cognitum, *29 iunii 1896:*

« Iamvero, si ad id respicitur quod gestum est, Ecclesiam Iesus Christus non talem finxit formavitque, quae communitates plures complecteretur genere similes, sed distinctas, neque iis vinculis alligatas, quae Ecclesiam individuam atque unicam efficerent, eo plane modo, quo *Credo unam... Ecclesiam* in Symbolo fidei profitemur... Sane Iesus Christus de aedificio eiusmodi mystico cum loqueretur, Ecclesiam non commemorat nisi *unam*, quam appellat suam: *aedificabo Eccelsiam meam* (Matth., *XVI*, *18*). Quaecunque praeter hanc cogitetur alia, cum non sit per Iesum Christum condita, Ecclesia Christi vera esse non potest... Itaque partam per Iesum Christum salutem simulque beneficia omnia, quae inde proficiscuntur, late fundere in omnes homines

atque ad omnes propagare aetates debet Ecclesia. Quocirca ex voluntate auctoris sui unicam in omnibus terris in perpetuitate temporum esse necesse est ... Est igitur Ecclesia Christi unica et perpetua: quicunque seorsum eant, aberrant a voluntate et praescriptione Christi Domini, relictoque salutis itinere ad interitum digrediuntur ».

(Acta Leonis XIII, *XVI*, *163*, *165*, *168*).

S. Cyprianus, *De unitate Ecclesiae*, *6:*

« Adulterari non potest sponsa Christi; incorrupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Haec nos Deo servat, haec filios regno quos generavit assignat. Quisque ab Ecclesia segregatus adulterae iungitur, a promissis Ecclesiae separatur; nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisque extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit evadit ».

(P. L., *4*, *518 s.*).

S. Hieronymus, *Epist. 15* (*ad Damasum*), *2:*

« Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est cathedrae Petri, communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit, regnante diluvio ».

(P. L., *22*, *355*).

S. Augustinus, *Sermo ad Caesariensis ecclesiae plebem*, *6:*

« [Salutem homo] non potest habere nisi in Ecclesia catholica. Extra catholicam Ecclesiam totum potest praeter salutem. Potest habere honorem, potest habere Sacramenta, potest cantare Alleluia, potest respondere Amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti fidem et habere et praedicare, sed nusquam nisi in Ecclesia catholica salutem poterit invenire ».

(P. L., *43*, *695*).

Quaestio 137ª.

Pius XI, *Encycl.* Rerum Ecclesiae, *28 febr. 1926:*

« Rerum Ecclesiae gestarum memoriam animo intento qui repetant, fugere eos nequaquam potest, inde a prioribus reparatae salutis aetatibus, eo praecipuas curas cogitationesque Romanorum Pontificum fuisse conversas, ut Evangelicae lucem doctrinae christianaeque humanitatis beneficia populis " in tenebris et in umbra mortis " sedentibus, nullis unquam difficultatibus impedimentisque deterriti, impertirent. Neque enim ad aliud Ecclesia nata est, nisi ut, regno Christi ubique terrarum dilatando, universos homines salutaris redemptionis participes efficiat: quisquis autem est, qui Iesu pastorum Principis vices in terris divinitus gerat, is tantum abest ut dumtaxat in tuendo ac servando, quem regundum accepit, grege dominico possit acquiescere, ut contra, praecipuo muneri suo desit, nisi alienos externosque Christo lucrari atque adiungere omni contentione nitatur ».

(Acta Apostol. Sedis, *XVIII, 65*).

S. Augustinus, *Contra epist. Manichaei, 5:*

« In catholica ... Ecclesia ... multa sunt quae in eius gremio me iustissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum, successio sacerdotum; tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut, cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen alicui peregrino ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere ».

(P. L., *42, 175*).

Idem, *De Symbolo sermo ad Catechumenos, 14:*

« Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes haereses pugnans; pugnare potest,

expugnari tamen non potest. Haereses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite praecisa; ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua ».

(P. L., *40*, *635*).

QUAESTIO 138ª.

S. Cyprianus, *Epist. 40, 5:*

« Deus unus est et Christus unus et una Ecclesia et cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui aut sacerdotium novum fieri praeter unum altare et unum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit ».

(P. L., *4*, *345*).

S. Ambrosius, *In Psalm. 40, 30:*

« Ipse est Petrus, cui dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth., *XVI*, *18*). Ubi ergo Petrus, ibi nulla mors, sed vita aeterna ».

(P. L., *14*, *1134*).

QUAESTIO 144ª.

Adamantius, *Dialogus de recta in Deum fide, V, 28:*

« Ipsa ... sola veritate catholica Ecclesia et iuste et pie et sancte vivit, a qua qui deflexerunt et aberrarunt, ii procul absunt a veritate; iique verbo quidem sibi veritatem cognitam esse profitentur, sed re procul ab ea distant ».

(P. G., *11*, *1883*).

S. Cyprianus, *Inter S. Cornelii Epistolas, Epist. 12, 14:*

« Navigare audent [haeretici] et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo praedicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum? »

(P. L., *3*, *844 s.*).

S. Petrus Chrysologus, *Epist. ad Eutychen, 2:*

« In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter atten-

das; quoniam beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei extra consensum Romanae civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus ».

(P. L., *54*, *741 s.*).

Quaestio 147ª.

Concilium Vaticanum, *Const.* Pastor aeternus, *cap. 4*, *De Romani Pontificis infallibili magisterio:*

« Itaque Nos traditioni a fidei christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicae exaltationem et christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse.

« Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit: a. s. ».

Quaestio 148ª.

Concilium Vaticanum, *Const.* Dei Filius, *cap. 3:*

« Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur ».

Quaestio 150ª.

Concilium Vaticanum, *Const.* Dei Filius, *cap. 4*, *De fide et ratione*:

« Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi mandatum accepit fidei depositum custodiendi, ius etiam et offi-

cium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, *ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam* (*Coloss.*, *II*, *8*). Quapropter omnes Christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino ».

Quaestio 151ª.

Concilium Vaticanum: Vide *Q. 150.*

Alexander VII, *Const.* Regiminis Apostolici, *15 feb. 1664:*

« Ego N. Constitutioni apostolicae Innocentii X, datae die 31 maii 1653, et Constitutioni Alexandri VII, datae die 16 octobris 1656, Summorum Pontificum, me subicio, et quinque propositiones ex Cornelii Iansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reicio ac damno, et ita iuro: sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia ».

(Du Plessis, *l. c.*, *III*, *11*, *315*).

Clemens XI, *Const.* Vineam Domini Sabaoth, *16 iulii 1705:*

« Ut quaevis imposterum erroris occasio penitus praecidatur, atque omnes catholicae Ecclesiae filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam et impii in tenebris conticescunt), sed et interius obsequendo, quae vera est orthodoxi hominis oboedientia, condiscant, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, oboedientiae, quae praeinsertis apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio nequaquam satisfieri; sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Iansenii libri sensum, quem illarum verba prae se ferunt, ut praefertur, ab omnibus Christi fidelibus ut haereticum, non ore solum, sed et corde reici ac damnari debere; nec alia mente, animo aut credulitate supradictae formulae subscribi licite posse, ita ut qui secus aut contra, quoad haec omnia et singula, senserint, tenuerint, praedicaverint,

verbo vel scripto docuerint aut asseruerint, tanquam praefatarum apostolicarum Constitutionum transgressores omnibus et singulis illarum censuris et poenis omnino subiaceant, eadem auctoritate apostolica decernimus, declaramus, statuimus et ordinamus ».

(Idem, *ibid.*, *III*, *II*, *448*).

Pius X, *Decretum* Lamentabili, *3 iulii 1907*, *prop. 7 interdamnatas :*

« Ecclesia, cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur ».

(Acta S. Sedis, *XL*, *471*).

QUAESTIO 152ª.

Pius IX, *Epist.* Tuas libenter, *22 dec. 1863*, *ad archiep. Monacensem et Frisingensem:*

« Sed cum agatur de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, idcirco eiusdem Conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quanquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram ».

(Acta Pii IX, *I*, *III*, *642-43*).

Pius X, *Decretum* Lamentabili, *3 iulii 1907*, *prop. 8 inter damnatas:*

« Ab omni culpa immunes existimandi sunt, qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas nihili pendunt ».

(Acta S. Sedis, *l. c.*).

Quaestio 158ª.

S. Augustinus, *De fide et symbolo, 21:*

« Credimus et sanctam Ecclesiam, utique catholicam. Nam et haeretici et schismatici congregationes suas ecclesias vocant. Sed haeretici, de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant; schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quanvis ea credant quae credimus. Quapropter nec haeretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quoniam diligit Deum, nec schismatici, quoniam diligit proximum ».

(P. L., *40, 193*).

Quaestio 162ª.

Innocentius II (*1130-1143*), *Epist.* Apostolicam Sedem, *ad episc. Cremonensem:*

« Inquisitioni tuae taliter respondemus: Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctae matris Ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, et coelestis patriae gaudium esse adeptum (ex auctoritate sanctorum Patrum Augustini atque Ambrosii) asserimus incunctanter. Lege super octavo libro Augustini *De Civitate Dei*, ubi inter cetera legitur: " Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit ,,. Librum etiam beati Ambrosii, *De Obitu Valentiniani*, idem asserentis revolve. Sopitis igitur quaestionibus, doctorum Patrum sententias teneas, et in ecclesia tua iuges preces hostiasque Deo offerri iubeas pro presbytero memorato ».

(P. L., *179, 624*).

Pius IX, *Encycl.* Quanto conficiamur, *10 aug. 1863, ad episcopos Italiae:*

« Atque hic, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, iterum commemorare et reprehendere oportet gravissimum errorem, in quo nonnulli catholici misere versantur, qui homines in erroribus viventes et a vera fide atque a catholica unitate alienos ad aeternam vitam pervenire posse opinantur. Quod

quidem catholicae doctrinae vel maxime adversatur. Notum Nobis Vobisque est, eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur, quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat. Sed notissimum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra catholicam Ecclesiam posse salvari, et contumaces adversus eiusdem Ecclesiae auctoritatem, definitiones, et ab ipsius Ecclesiae unitate atque a Petri successore Romano Pontifice, cui vineae custodia a Salvatore est commissa, pertinaciter divisos aeternam non posse obtinere salutem ».

(Acta Pii IX, *I*, *111*, *613*).

Quaestio 163ª.

Pius IX: Vide *Q. 162.*

Quaestio 166ª.

Leo XIII, *Encycl.* Immortale Dei, *1 nov. 1885:*

« ... 16. Unigenitus Dei Filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat... 18. Haec societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis: atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili: et quod plurimum interest, societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque Conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia... 24. Itaque Deus

humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus continetur, terminos, eosque sua cuiusque natura caussaque proxime definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. 25. Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usuvenire possit ut res una atque eadem, quanquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res, ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. *Quae autem sunt a Deo ordinatae sunt* (*Rom., XIII, 1*)..... 26. Itaque intra utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis causarum: cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri coelestia ac sempiterna bona comparare. Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae; cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari; quae Dei, Deo... 54. Revera, si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, *qui magni alicuius aut adipiscendi boni aut prohibendi mali causa*, moribus atque usu patienter ferunt ut ea habeant singula in civitate locum ».

(Acta Leonis XIII, *V*, *124*, *125*, *127*, *128*).

Idem, *Encycl.* Au milieu, *16 febr. 1892:*

« Cette situation se produit... dans certains pays. C'est une manière d'être qui, si elle a de nombreux inconvénients, offre

aussi quelques avantages, surtout quand le législateur, par une heureuse inconséquence, ne laisse pas que de s'inspirer des principes chrétiens; et ces avantages, bien qu'ils ne puissent justifier le faux principe de la séparation, ni autoriser à le défendre, rendent cependant *digne de tolérance* un état de choses qui, pratiquement, *n'est pas le pire de tous* ».

(Acta Leonis XIII, *XII*, *39*).

Idem, *Epist.* Longinqua Oceani, *6 ian. 1895:*

« ... Ecclesiae apud vos concessum est, non repugnante temperatione civitatis, ut nullis legum praepedita vinclis, contra vim defensa iure communi iustitiaque iudiciorum, tutam obtineat vivendi agendique sine offensione facultatem. Sed quamquam haec vera sunt, tamen error tollendus, ne quis hinc sequi existimet, petendum ab America exemplum optimi Ecclesiae status: aut universe licere vel expedire, rei civilis reique sacrae distractas esse dissociatasque, more americano, rationes ».

(Acta Leonis XIII, *XV*, *7*).

Quaestio 167ª.

Leo XIII, *Encycl.* Diuturnum illud, *29 iunii 1881:*

« Profecto Ecclesia Christi neque principibus potest esse suspecta, neque populis invisa. Principes quidem ipsa monet sequi iustitiam, nullaque in re ab officio declinare: at simul eorum roborat multisque rationibus adiuvat auctoritatem. Quae in genere rerum civilium versantur, ea in potestate supremoque imperio eorum esse agnoscit et declarat; in iis quorum iudicium, diversam licet ob causam, ad sacram civilemque pertinet potestatem, vult exsistere inter utramque concordiam, cuius beneficio funestae utrique contentiones devitantur ».

(Acta Leonis XIII, *II*, *285*).

Idem, *Encycl.* Immortale Dei: Vide *Q. 166.*

Pius X, *Encycl.* Vehementer, *11 febr. 1906:*

« Civitatis rationes a rationibus Ecclesiae segregari oportere, profecto falsissima, maximeque perniciosa sententia est. Primum enim, quum hoc nitatur fundamento, religionem nullo

pacto debere civitati esse curae, magnam infert iniuriam Deo; qui ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; proptereaque non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice. Deinde, quidquam esse supra naturam, non obscure negat. Etenim actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa proxima civilis societatis: causam ultimam civium, quae est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitae hominibus proposita, tanquam alienam reipublicae, plane negligit. Quod contra, ad adeptionem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxarum rerum ordo dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere. Praeterea descriptionem pervertit rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quae profecto utriusque societatis, religiosae et civilis, concordiam requirit. Nam, quoniam ambae, tametsi in suo quaeque genere, in eosdem tamen imperium exercent, necessitate fit, ut causae inter eas saepe exsistant eiusmodi, quarum cognitio et diiudicatio utriusque sit. Iamvero, nisi civitas cum Ecclesia cohaereat, facile ex illis ipsis causis concertationum oritura sunt semina, utrinque acerbissimarum; quae iudicium veri, magna cum animorum anxietate, perturbent. Postremo maximum importat ipsi societati civili detrimentum; haec enim florere aut stare diu, posthabita religione, quae summa dux ac magistra adest homini ad iura et officia sancte custodienda, non potest».

(Acta Pii X, *III*, *26-27*).

Quaestio 169ª.

Pius IX, *Epist.* Gravissimas inter acerbitates, *11 dec. 1864*, *ad archiep. Monacensem et Frisingensem:*

« Quocirca Ecclesia ex potestate sibi a divino suo Auctore commissa non solum ius, sed officium praesertim habet non tolerandi, sed proscribendi ac damnandi omnes errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint, et omni philosopho qui Ecclesiae filius esse velit, ac etiam philosophiae id officium incumbit, nihil unquam dicere contra ea quae Ecclesia docet, et ea retractare, de quibus eos Ecclesia monuerit. Sententiam

autem quae contrarium edocet, omnino erroneam, et ipsi fidei, Ecclesiae eiusque auctoritati vel maxime iniuriosam esse edicimus et declaramus ».

(Acta Pii IX, *I*, *III*, *554-55*).

Leo XIII, *Encycl.* Immortale Dei, *1 nov. 1885:*

« Verum si quaeratur de rationibus mere politicis, de optimo genere reipublicae, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus, utique de his rebus potest honesta esse dissensio. Quorum igitur cognita ceteroquin pietas est, animusque decreta Sedis Apostolicae oboedienter accipere paratus, iis vitio verti dissentaneam de rebus quas diximus sententiam, iustitia non patitur: multoque est maior iniuria, si in crimen violatae suspectaeve fidei catholicae, quod non semel factum dolemus, adducantur.

« Omninoque istud praeceptum teneant, qui cogitationes suas solent mandare litteris, maximeque ephemeridum auctores. In hac quidem de rebus maximis contentione, nihil est intestinis concertationibus vel partium studiis relinquendum loci, sed conspirantibus animis studiisque id debent universi contendere, quod est commune omnium propositum, religionem remque publicam conservare. Si quid igitur dissidiorum antea fuit, oportet voluntaria quadam oblivione conterere; si quid temere, si quid iniuria actum, ad quoscumque demum ea culpa pertineat, compensandum est caritate mutua, et praecipuo quodam omnium in Apostolicam Sedem obsequio redimendum.

« Hac via duas res praeclarissimas catholici consecuturi sunt, alteram ut adiutores sese impertiant Ecclesiae in conservanda propagandaque sapientia christiana; alteram ut beneficio maximo afficiant societatem civilem, cuius malarum doctrinarum cupiditatumque causa magnopere periclitatur salus ».

(Acta Leonis XIII, *V*, *149-50*).

Quaestio 174ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XXV*, *De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus:*

« Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis et ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut iuxta catholicae et Aposto-

licae Ecclesiae usum a primaevis christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem et sanctorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore et legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius, Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere... Sanctorum quoque martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur ».

S. Hieronymus, *Contra Vigilantium*, *6:*

« Dicis in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio; praesertim cum martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiverint. Si Apostoli et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias et triumphos ? ».

(P. L., *23*, *344*).

Quaestio 175ª.

S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catecheses mystag.*, *V*, *8:*

« Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt : primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat; deinde et pro defunctis sanctis patribus et episcopis et omnibus generatim qui inter nos vita functi sunt, maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et tremenda hic iacet victima ».

(P. G., *33*, *1115*).

S. Augustinus, *De civitate Dei*, *XX*, *9*, *2:*

« Neque enim piorum animae mortuorum separantur ab Ecclesia, quae nunc etiam est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi ».

(P. L., *41*, *674*).

Quaestio 177ª.

Concilium Lateranense IV (*1215*), *c. 1*, *De fide catholica contra Albigenses:*

« ... Et, si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari ».

(Mansi, *XXII*, *982*).

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 413*.

S. Leo IX, *Epist.* Congratulamur vehementer, *16 apr. 1053*, *Symbolum fidei:*

« Credo sanctam, catholicam et apostolicam, unam esse veram Ecclesiam, in qua unus datur Baptismus et vera omnium remissio peccatorum ».

(P. L., *143*, *772*).

Quaestio 179ª.

Concilium Lateranense IV (*1215*), *c. 1*, *De fide catholica*, *contra Albigenses:*

« Et tandem unigenitus Dei Filius Iesus Christus ..... venturus in fine saeculi, iudicaturus vivos et mortuos, redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis quam electis: qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus quae nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala: illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam ».

(Mansi, *l. c.*).

S. Leo IX, *Epist.* Congratulamur vehementer, *16 apr. 1053*, *Symbolum fidei:*

« Credo etiam veram resurrectionem eiusdem carnis quam nunc gesto, et vitam aeternam ».

(P. L., *143*, *772*).

Innocentius III, *Epist.* Eius exemplo, *18 dec. 1208*, *Professio fidei Waldensibus praescripta:*

« Corde credimus et ore confitemur huius carnis quam gestamus, et non alterius, resurrectionem ».

(P. L., *215*, *1512*).

S. Cyrillus Alexandrinus, *In Ioann., VIII*, *51:*

« Omnes reviviscent et in vitam denuo redibunt, tum fideles tum infideles. Nequaquam enim particularis est resurrectio, sed aequalis omnibus, in quantum omnes reviviscere debent ».

(P. G., *73*, *918*).

S. Ioannes Chrysostomus, *Sermones panegyrici*, *De resurrectione mortuorum*, *8:*

« Quia ergo communis est omnibus resurrectio, et piis et impiis, et malis et bonis hominibus, ne ideo putes iniustum quoddam fieri iudicium, neque dicas apud te ipsum: Quidnam, et impius, et idololatra, et qui ignorat Christum, etiam ipse resurgit et simili honore mecum fruitur? ... Peccatorum quoque corpora incorruptibilia resurgunt et immortalia; sed hic honor fomentum et viaticum ipsis erit suppliciorum et ultionis; incorruptibilia enim resurgunt, ut semper urantur ».

(P. G., *50*, *430*).

Quaestio 180ª.

S. Ioannes Chrysostomus, *De resurrectione mortuorum*, *7:*

« Neque vero mihi illud obiicias, quo possit modo resurgere corpus, fierique corruptionis immune. Cum enim Dei potentia operatur, illud *quomodo* non est addendum... Quomodo, quaeso, fecit virtutes immensas, turmas coelestes Angelorum et Archangelorum, superioraque his agmina? Dic, oro, modum quo fecit. Hic nihil dicere aliud possum, quam quod sola voluntas ad

haec suffecerit. Ergone qui tot incorporeos formavit exercitus, hominis corpus corruptum renovare iterum et in maiorem provehere dignitatem nequit? ».

(P. G., *50*, *429 s.*).

Quaestio 182ª.

S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catecheses*, *XVIII*, *18-19:*

« Hoc enim ipsum corpus resurget, non infirmum, quale est, manens, sed idem ipsum resurget. Incorruptibilitate vero indutum transformabitur, quemadmodum ferrum igni admotum ignis efficitur, vel potius quemadmodum novit qui illud excitat Dominus. Resurget igitur hoc ipsum corpus, sed non tale manebit, at manebit aeternum; non amplius huiusmodi qualibus utimur cibis ad vitam opus habebit, neque scalis ad ascensum; fiet enim spirituale, admirabile quidpiam, et quale pro dignitate declarare non sufficimus... Resurgemus igitur, aeterna quidem omnes, non omnes vero similia habentes corpora: verum si quis iustus est, coeleste corpus accipiet, ut possit cum angelis digne una versari; si quis autem peccator est, corpus accipiet aeternum, perpetiendae peccatorum poenae capax, ut in igne, aeterne combustus, nunquam absumatur ».

(P. G., *33*, *1039*).

Quaestio 189ª.

Concilium Tridentinum, *sess. VI*, *Decretum de iustificatione*, *cap. 11:*

« Nemo autem, quantumvis iustificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet; nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti: Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis, *cuius mandata gravia non sunt* (Io., *V*, *3*), cuius *iugum suave est et onus leve* (Matth., *XI*, *30*). Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt; *qui autem diligunt eum*, ut ipse testatur, *servant sermones eius* (Io., *XIV*, *23*), quod utique cum auxilio divino praestare possunt ».

Quaestio 196ª.

S. Ioannes Damascenus, *De imaginibus*, *II*, *5:*

« In errore quidem versaremur, si vel invisibilis Dei conficeremus imaginem; quoniam id quod corporeum non est, nec visibile, nec circumscriptum, nec figuratum, pingi omnino non potest. Impie rursum ageremus, si efformatas a nobis hominum imagines deos esse arbitraremur, eisque tanquam diis divinos honores tribueremus. At nihil horum prorsus admittimus ».

(P. G., *94*, *1287*).

Idem, *ibid.*, *III*, *41:*

« Solum creatorem et rerum opificem Deum adoremus, cui latriae cultum exhibeamus, tanquam Deo pro sua natura adorando. Sanctam quoque Dei Genitricem adoremus, non tanquam Deum, sed tanquam Dei matrem secundum carnem. Praeterea Sanctos, ceu electos Dei et amicos, quibus facilis ad ipsum patet aditus, adoremus ».

(P. G., *94*, *1358*).

Quaestio 197ª.

Concilium Nicaenum II (*787*), *De Sacris Imaginibus* ..., *actio VII:*

« Regiae quasi continuati semitae, sequentesque divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, et catholicae traditionem Ecclesiae (nam Spiritus Sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat), definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosae ac vivificae Crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas tam quae de coloribus et tessellis, quam quae ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis, et sacris vasis et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis: tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, quam intemeratae dominae nostrae sanctae Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, et omnium Sanctorum simul et almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto, qui has contemplantur, alacrius erigun-

tur ad primitivorum earum memoriam et desiderium, ad osculum et ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quae secundum fidem est, quaeque solam divinam naturam decet, impartiendam: ita ut istis, sicuti figurae pretiosae ac vivificae Crucis, et sanctis evangeliis, et reliquis sacris monumentis, incensorum et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit: et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam..... Eos ergo, qui audent aliter sapere aut docere, aut secundum scelestos haereticos ecclesiasticas traditiones spernere, et novitatem quamlibet excogitare, vel proicere aliquid ex his quae sunt Ecclesiae deputata, sive evangelium, sive figuram Crucis, sive imaginalem picturam, sive sanctas reliquias martyris; aut excogitare prave aut astute ad subvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Ecclesiae catholicae; vel etiam quasi communibus uti sacris vasis, aut venerabilibus monasteriis; si quidem Episcopi aut clerici fuerint, deponi praecipimus; monachos autem vel laicos a communione segregari ».

(Mansi, *XIII, 378*).

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 174.*

Quaestio 198ª.

Concilium Nicaenum II Vide *Q. 197;* Concilium Tridentinum: *Q. 174.*

S. Cyrillus Alexandrinus, *In Psalm. CXIII, 16:*

« Etiamsi facimus imagines piorum hominum, non tamen ut eas adoremus tamquam deos, sed ut, iis inspectis, ad ipsorum aemulationem impellamur; ideo autem Christi imaginem facimus, ut mens nostra ad illius amorem excitetur ».

(P. G., *69, 1268*).

Quaestio 213ª.

Pius XI, *Encycl.* Divini illius Magistri, *31 dec. 1929:*

« Educandi munus non singulorum hominum, sed necessario societatis est. Tres vero numerantur societates necessariae,

inter se distinctae, at, Deo volente, congruenter copulatae, quibus quidem homo ab ortu suo adscribitur: harum duae, domestica nempe ac civilis consortio, naturalis ordinis; ac tertia, Ecclesia nimirum, supernaturalis. Primum obtinet locum domesticus convictus, qui, cum ab ipso Deo ad eiusmodi propositum constitutus ac comparatus sit, ut sobolis procreandae educandaeque curam habeat, idcirco natura sua, adeoque iuribus sibi propriis, civili societati antecedit. Nihilo setius familia ideo imperfecta est societas, quia non omnibus iis rebus est praedita, quibus nobilissimum propositum suum perfecte assequatur; civilis autem congregatio, cum omnia in sua facultate sint ad destinatum sibi finem, videlicet ad commune terrestris huius vitae bonum, necessaria, societas est numeris omnibus absoluta ac perfecta; hac igitur de caussa domestico convictui eadem praestat, qui quidem in civili solummodo consortione institutum suum tuto riteque absolvere potest. Tertia denique societas, in qua homines, per Baptismatis lavacrum, divinae gratiae vitam ingrediuntur, Ecclesia est: supernaturalis quidem societas universum humanum genus complectens, atque in se perfecta, cum sibi omnia suppetant ad finem suum, sempiternam nempe hominum salutem, consequendum, ideoque in suo ordine suprema.

« Consequens est, educationem, quae ad totum respicit hominem, qua hominem singillatim quaque societatis humanae participem, sive in naturae sive in divinae gratiae ordine constitutum, ad necessarias has societates tres, fini cuiusque proprio congruenter, pro praesenti ordine divinitus constituto aequabiliter pertinere.

« Ac primo loco, praestantiore quodam modo ea ad Ecclesiam pertinet, duplici scilicet titulo ordinis supernaturalis, quem Deus ipsi tantummodo contulit, adeoque potiore omnino ac validiore quam quilibet alius naturalis ordinis titulus.

« Prima iuris huiuscemodi ratio in suprema magisterii auctoritate ac munere nititur, quod divinus Ecclesiae Conditor eidem tradidit hisce verbis: *Data est mihi omni potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos ser-*

vare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (Matth., *XXVIII, 13-20*). Huic magisterio Christus Dominus erroris immunitatem impertivit, una cum mandatis docendi omnes doctrinam suam; quapropter Ecclesia " columna et firmamentum veritatis a divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem, eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines eorumque consortia et actiones ad morum honestatem vitaeque integritatem, iuxta revelatae doctrinae normam, dirigat et fingat ,, (Pius IX, *Encycl.* Cum non sine, *14 iulii 1864*).

« Altera iuris ratio e supernaturali illo oritur matris munere, quo Ecclesia, purissima Christi sponsa, divinae gratiae vitam hominibus largitur, eamque sacramentis praeceptisque suis alit ac provehit. Merito igitur S. Augustinus ait: " Non habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem ,, (*De Symbolo ad catech., XIII*).

« Iamvero in iis omnibus rebus, in quibus eius educandi munus versatur, hoc est " in fide atque in institutione morum, divini magisterii Ecclesiam fecit Deus ipse participem, eamdemque divino eius beneficio falli nesciam: quare magistra mortalium est maxima ac tutissima, in eaque inest non violabile ius ad magisterii libertatem ,, (Leo XIII, *Encycl.* Libertas, *20 iunii 1888*). Unde necessario consequitur Ecclesiam, ut in sui educandi muneris causa, ita in eiusdem exercitatione, nulli terrenae potestati subiici, cum in iis rebus ad quas suum proprium munus spectat, tum in iis quae sunt eidem exsequendo necessaria vel consentanea. Quam ob rem quod ad ceteras attinet disciplinas humanasque institutiones, quae per se communis omnium iuris sunt, singulorum civium nimirum ipsiusque societatis, facultatem habet Ecclesia, nulli sane potestati obnoxiam, hisce quoque disciplinis utendi de iisdemque praecipue iudicandi, quatenus eaedem ipsae christianae educationi aut conducere aut obstare videantur. Idque potest Ecclesia, sive quod, ut societas est perfecta, sui iuris est in praesidiis adiumentisque deligendis sibique comparandis, quae ad finem conferant suum; sive quod quaelibet doctrina atque institutio, perinde ut omnis

hominum actio, ex ultimo fine necessario pendet, adeoque divinae legis praeceptis non subiici nequit, cuius quidem Ecclesia est erroribus omnino immunis custos, interpres ac magistra ».

(Acta Apost. Sedis, *XXII*, *52 ss.*).

Quaestio 214ª.

Leo XIII, *Encycl.* Immortale Dei, *1 nov. 1885:*

« Ita sane maiestatem imperii reverentia civium honesta et libens comitabitur. Etenim cum semel in animum induxerint, pollere, qui imperant, auctoritate a Deo data, illa quidem officia iusta ac debita esse sentient, dicto audientes esse principibus, eisdemque obsequium ac fidem praestare cum quadam similitudine pietatis, quae liberorum est erga parentes. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (*Rom.*, *XIII*, *1*). Spernere quippe potestatem legitimam, quavis eam in persona esse constiterit, non magis licet quam divinae voluntati resistere: cui si qui resistunt, in interitum ruunt voluntarium. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (*Rom.*, *XIII*, *2*). Quapropter oboedientiam abiicere, et per vim multitudinis rem ad seditionem vocare, est crimen maiestatis, neque humanae tantum, sed etiam divinae ».

(Acta Leonis XIII, *V*, *121-22*).

Quaestio 216ª.

Leo XIII, *Encycl.* Immortale Dei, *1 nov. 1885:*

« Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solum enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia quaecumque sunt, necesse est; ita ut quicumque ius imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo: *Non est potestas nisi a Deo* (*Rom.*, *XIII*, *1*) ».

(Ibid., *120*).

S. Ioannes Chrysostomus, *In Epist. ad Romanos*, *XXIII*, *1:*

« Et ostendens hoc omnibus imperari, sacerdotibus etiam et monachis, nec saecularibus tantum, hoc ab exordio declarat,

dicens: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit;* etsi apostolus sit, etsi evangelista et propheta, etsi quivis alius: neque enim haec subiectio pietatem subvertit. Nec simpliciter dixit: *oboediat*, sed *subdita sit*. Est autem prima defensio talis constitutionis, quae et cum fidelibus ratiociniis convenit, quod a Deo haec praecepta fuerint: *Non est enim potestas*, inquit, *nisi a Deo*. Quid dicis? omnisne princeps a Deo ordinatus est? Non hoc dico inquit: neque enim de singulis principibus mihi nunc sermo est, sed de re ipsa. Nam quod principatus sint, et quod alii imperent, alii subiecti sint, neque omnia casu ac temere ferantur, populis quasi fluctibus hinc et inde circumactis, divinae esse sapientiae dico. Ideo non dixit: *Non enim est princeps nisi a Deo;* sed de re ipsa loquitur dicens: *Non enim est potestas nisi a Deo;* quae vero sunt potestates, a Deo ordinatae sunt ».

(P. G., *60*, *615*).

Quaestio 218a.

Leo XIII, *Encycl.* Rerum novarum, *15 maii 1891:*

« Ac primum tota disciplina religionis, cuius est interpres et custos Ecclesia, magnopere potest locupletes et proletarios componere invicem et coniungere, scilicet utroque ordine ad officia mutua revocando, in primisque ad ea quae a iustitia ducuntur. Quibus ex officiis illa proletarium atque opificem attingunt: quod libere et cum aequitate pactum operae sit, id integre et fideliter reddere; non rei ullo modo nocere, non personam violare dominorum; in ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem induere unquam; nec conmisceri cum hominibus flagitiosis, immodicas spes et promissa ingentia artificiose iactantibus, quod fere habet poenitentiam inutilem et fortunarum ruinas consequentes. – Ista vero ad divites spectant ac dominos: non habendos mancipiorum loco opifices; vereri in eis aequam esse dignitatem personae, utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Quaestuosas artes, si naturae ratio, si christiana philosophia audiatur, non pudori homini esse, sed decori, quia vitae sustentandae praebent honestam potestatem. Illud vere turpe et inhumanum, abuti hominibus pro rebus, ad

quaestum, nec facere eos pluris quam quantum nervis polleant viribusque. Similiter praecipitur, religionis et bonorum animi haberi rationem in proletariis oportere. Quare dominorum partes esse, efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex: non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi, neque ullo pacto a cura domestica parsimoniaeque studio abducere. Item non plus imponere operis, quam vires ferre queant, nec id genus, quod cum aetate sexuque dissideat. In maximis autem officiis dominorum illud eminet, iusta unicuique praebere ».

(Acta Leonis XIII, *XI*, *110-11*).

Quaestio 220ª.

Leo XIII, *Encycl.* Quod apostolici muneris, *28 dec. 1878:*

« Si tamen quandoque contingat temere et ultra modum publicam a principibus potestatem exerceri, catholicae Ecclesiae doctrina in eos insurgere proprio marte non sinit, ne ordinis tranquillitas magis magisque turbetur, neve societas maius exinde detrimentum capiat. Cumque res eo devenerit, ut nulla alia spes salutis affulgeat, docet christianae patientiae meritis et instantibus ad Deum precibus remedium esse maturandum. — Quod si legislatorum ac principum placita aliquid sanciverint aut iusserint, quod divinae aut naturali legi repugnet, christiani nominis dignitas et officium, atque Apostolica sententia suadent, *oboediendum* esse *magis Deo quam hominibus* (*Act.*, *V*, *29*) ».

(Ibid., *I*, *177*).

Quaestio 226ª.

Alexander VII, *Decret. 24 sept. 1665, prop. 2 inter damnatas:*

« Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat ».

(Du Plessis, *l. c.*, *III*, *II*, *321*).

Leo XIII, *Epist.* Pastoralis officii, *12 sept. 1891, ad Episcopos Germaniae et Austriae:*

« Utraque divina lex, tum ea quae naturalis rationis lumine, tum quae litteris divino afflatu perscriptis promulgata est, distri-

cte vetant, ne quis extra causam publicam hominem interimat aut vulneret, nisi salutis suae defendendae causa, necessitate coactus. At qui ad privatum certamen provocant vel oblatum suscipiunt, hoc agunt, huc animum viresque intendunt, nulla necessitate adstricti, ut vitam eripiant aut saltem vulnus inferant adversario. Utraque porro divina lex interdicit, *ne quis temere vitam proiciat suam*, gravi et manifesto obiciens discrimini, cum id nulla officii aut caritatis magnanimae ratio suadeat; haec autem caeca temeritas, vitae contemptrix, plane inest in natura duelli. Quare obscurum nemini aut dubium esse potest, in eos qui privatim proelium conserunt singulare, utrumque cadere et scelus alienae cladis et vitae propriae discrimen voluntarium. Demum vix ulla pestis est, quae a civilis vitae disciplina magis abhorreat et iustum civitatis ordinem pervertat, quam permissa civibus licentia ut sui quisque assertor iuris privata vi manuque, et honoris, quem violatum putet, ultor exsistat ».

(Acta Leonis XIII, *XI*, *284*).

Quaestio 229ª.

Pius XI, Encycl. *Divini illius Magistri*, *31 dec. 1929* :

« Multo autem perniciosiores sunt illae de natura duce omnino sequenda opiniones doctrinaeve, quae in educationis humanae certam quandam ingrediuntur partem salebrarum plenam, in eam scilicet quae ad morum integritatem et ad castimoniam pertinet. Passim enim bene multi et stulte et periculose eam tenent provehuntque educandi rationem, quae sexualis putide dicitur, cum iidem perperam sentiant, posse se, per artes mere naturales et quovis modo religionis pietatisque praesidio, adolescentibus a voluptate et luxuria praecavere, scilicet hos omnes, nullo sexus discrimine, vel publice, lubricis initiando instruendoque doctrinis, immo, quod peius est, mature occasionibus obiiciendo, ut eorum animus, eiusmodi rebus – quemadmodum ipsi aiunt – assuetus, quasi ad pubertatis pericula obdurescat ».

(Acta Apostol. Sedis, *XXII*, *71*).

Quaestio 258ª.

Concilium Lateranense IV (*1215*), *cap. 21, De Confessione facienda... et saltem in Pascha communicando:*

« Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam pro viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum: alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiae caecitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei praebere consilium et cuiusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum aegrotum ».

(Mansi, *XXII, 1007*).

Concilium Tridentinum, *sess. XIV, cap. 5, De Poenitentia:*

« Per Lateranense Concilium Ecclesia statuit ut ... praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde iam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimae; quem morem haec sancta Synodus maxime probat et amplectitur, tanquam pium et merito retinendum ».

Quaestio 259ª.

Concilium Lateranense IV: Vide *Q. 258.*

Concilium Tridentinum, *sess. XIII, De Eucharistia, can. 9:*

« Si quis negaverit omnes et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae: a. s. ».

Quaestio 261ª.

S. Congr. Concilii, *Decretum* Sacra Tridentina Synodus, *20 dec. 1905:*

« Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo qui in statu gratiae sit, et cum recta piaque mente ad sacram Mensam accedat, prohiberi ab ea possit ».

(Acta Apostol. Sedis, *II, 896*).

S. Congr. de discipl. Sacram., *Decretum* Quam singulari, *8 aug. 1910:*

« VI. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est, ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram Mensam saepius accedant, et si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Iesus et mater Ecclesia desiderant; utque id agant ea animi devotione, quam talis fert aetas ».

(Ibid., *II, 582*).

Quaestio 262ª.

S. Congr. de discipl. Sacram., *l. c.:*

« I. Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad sacram Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum sive supra sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis ».

(Ibid.).

Quaestio 263ª.

S. Congr. de discipl. Sacram., *l. c.:*

« IV. Obligatio praecepti Confessionis et Communionis quae puerum gravat, in eos praecipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero aut ad illos qui vices eius gerunt, et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem ».

(Ibid.).

Quaestio 264ª.

S. Congr. de discipl. Sacram., *l. c.:*

« II. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.

« III. Cognitio religionis, quae in puero requiritur ut ipse ad primam Communionem convenienter se praeparet, ea est qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque Eucharisticum panem a communi et corporali distinguat, ut ea devotione quam ipsius fert aetas ad ss. Eucharistiam accedat ».

(Ibid.).

Quaestio 265ª.

S. Congr. de discipl. Sacram.: Vide *Q. 263.*

Quaestio 266ª.

S. Congr. de discipl. Sacram., *l. c.:*

« VI... Meminerint praeterea quibus ea cura [puerorum] est, gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechismi praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant; sin minus, eorumdem religiosae institutioni alio modo suppleant ».

(Ibid.).

Quaestio 269ª.

S. Congr. S. Officii, *Decretum diei 24 sept. 1665, prop. 14 inter damnatas:*

« Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae ».

(Du Plessis, *III, 11, 321*).

Quaestio 275ª.

Pius XI, *Encycl.* Quas primas, *11 dec. 1925:*

« Immo haud dissimilem debet praeterea respublica libertatem iis praestare religiosorum utriusque sexus Ordinibus ac Sodalitatibus, qui cum adiutores Ecclesiae Pastoribus adsint validissimi, tum in regno Christi provehendo stabiliendove quam maxime elaborant, sive triplicem mundi concupiscentiam sacrorum religione votorum oppugnantes, sive ipsa perfectioris vitae professione efficientes, ut sanctitas illa, quam divinus Conditor insignitam Ecclesiae notam esse iussit, perpetuo auctoque in dies splendore ante oculos omnium emicet et colluceat ».

(Acta Apostol. Sedis, *XVII, 609*).

Quaestio 276ª.

Leo XIII, *Epist.* Testem benevolentiae, *22 ian. 1899, ad Emum Cardinalem Gibbons:*

« Ex quo virtutum evangelicarum veluti contemptu, quae perperam passivae appellantur, pronum erat sequi, ut religiosae etiam vitae despectus sensim per animos pervaderet. Atque id novarum opinionum fautoribus commune esse, coniicimus ex eorum sententiis quibusdam circa vota quae Ordines religiosi nuncupant. Aiunt enim, illa ab ingenio aetatis nostrae dissidere plurimum, utpote quae humanae libertatis fines coerceant; esseque ad infirmos animos magis quam ad fortes apta; nec admodum valere ad christianam perfectionem humanaeque consociationis bonum, quin potius utrique rei obstare atque officere. Verum haec quam falso dicantur, ex usu doctrinaque Ecclesiae facile patet, cui religiosum vivendi genus maxime semper probatum est... Quod autem addunt, religiosam vivendi rationem

aut non omnino aut parum Ecclesiae iuvandae esse, praeterquamquod religiosis Ordinibus invidiosum est, nemo unus certe sentiet, qui Ecclesiae annales evolverit ».

(Acta Leonis XIII, *XIX*, *15-16*).

Idem, *Epist.* Au milieu des consolations, *23 dec. 1900*, *ad Emum Cardinalem Richard:*

« Les Ordres religieux tirent, chacun le sait, leur origine et leur raison d'être de ces sublimes conseils évangéliques que notre divin Rédempteur adressa, pour tout le cours des siècles, à ceux qui veulent conquérir la perfection chrétienne: âmes fortes et généreuses qui par la prière et la contemplation, par des saintes austérités, par la pratique de certaines règles s'efforcent de monter jusqu'aux plus hauts sommets de la vie spirituelle. Nés sous l'action de l'Eglise dont l'autorité sanctionne leur gouvernement et leur discipline, les Ordres religieux forment une portion choisie du troupeau de Jésus-Christ. Ils sont, suivant la parole de Saint Cyprien: " l'honneur et la parure de la grâce spirituelle ,, (*De discipl. et habitu virginum*, *c. II*), en même temps qu'ils attestent la sainte fécondité de l'Eglise. Leurs promesses, faites librement et spontanément, après avoir été mûries dans les réflexions du noviciat, ont été regardées et respectées par tous les siècles, comme des choses sacrées, sources des plus rares vertus. Le but de ces engagements est double: d'abord élever les personnes qui les émettent à un plus haut degré de perfection; ensuite les préparer, en épurant et en fortifiant leurs âmes, à un ministère extérieur qui s'exerce pour le salut éternel du prochain et pour le soulagement des misères si nombreuses de l'humanité. Ainsi, travaillant sous la direction suprême du Siège Apostolique à réaliser l'idéal de perfection tracé par Notre-Seigneur, et vivant sous des règles qui n'ont absolument rien de contraire à une forme quelconque de gouvernement civil, les Instituts religieux coopèrent grandement à la mission de l'Eglise, qui consiste essentiellement à sanctifier les âmes et à faire du bien à l'humanité. C'est pourquoi, partout où a été respecté le droit naturel de tout citoyen, de choisir le genre de vie qu'il estime le plus conforme à ses goûts et à

son perfectionnement moral, partout aussi les Ordres religieux ont surgi comme une production spontanée du sol catholique, et les Evêques les ont considérés à bon droit comme des auxiliaires précieux du saint ministère et de la charité chrétienne ».

(Acta Leonis XIII, *XX*, *340-41*).

Pius XI, *Epist.* Unigenitus Dei Filius, *19 mart. 1924:*

« Unigenitus Dei Filius, cum ad redimendum humanum genus in mundum venisset, datis spiritualis vitae praeceptis, quibus homines ad finem sibi praestitutum regerentur universi, docuit praeterea, qui ipsius vestigiis propius insistere vellent, eos evangelica consilia amplecti et sequi oportere. Eiusmodi autem consilia quicumque, obligata Deo fide, servaturum se spondeat, is non modo omnibus exsolvitur impedimentis quae mortales a sanctitate remorari solent, ut bona fortunae, ut coniugii curae sollicitudinesque, ut immoderata rerum omnium libertas; sed etiam tam recto expeditoque itinere ad perfectionem vitae progreditur, ut iamiam in salutis portu anchoram veluti iecisse videatur ».

(Acta Apostol. Sedis, *XVI*, *133*).

Quaestio 280ª.

Concilium Tridentinum, *sess. VI*, *De iustificatione*, *can. 11:*

« Si quis dixerit hominem iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola remissione peccatorum, exclusa gratia et charitate quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat, aut etiam gratiam qua iustificamur esse tantum favorem Dei: a. s. ».

S. Cyrillus Alexandrinus, *In Ioannem*, *I*, *9:*

« Participes eius [Dei] facti per Spiritum, obsignati sumus in similitudinem cum ipso, et ad exemplarem formam illius imaginis conscendimus, ad quam nos factos esse ait divina Scriptura. Sic enim tandem vetere naturae pulchritudine recuperata, et ad divinam illam reformati naturam, ea superabimus mala quae ex praevaricatione nobis contigerunt. Igitur ad supernaturalem

dignitatem ascendimus per Christum; veruntamen non sicut ille, nullo plane discrimine nos quoque futuri sumus Dei filii, sed ad eius similitudinem, per gratiam nimirum, qua illum imitando repraesentamus. Est enim verus ille Filius, exsistens a Patre, sed nos eius benignitate adoptivi, gratiae loco id accipientis: *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi omnes* (*Ps. LXXXI*, 6). Creata quippe et serva natura ad res supernaturales vocatur solo nutu ac voluntate Patris: Filius autem et Deus et Dominus, non Dei ac Patris nutu, nec eius sola voluntate id habet quod Deus sit, sed cum ex ipsa substantia Patris effulserit, proprium eius bonum secundum naturam sibi asciscit ».

(P. G., *73*, *154*).

Quaestio 282ª.

Concilium Arausicanum II (*529*), *can. 18:*

« Nullis meritis gratiam praevenientibus debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant ».

(Mansi, *VIII*, *715*).

Concilium Tridentinum, *sess. VI*, *Decretum de iustificatione*, *can. 32:*

« Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriae augmentum: a. s. ».

Quaestio 283ª.

Concilium Tridentinum, *sess. VI*, *Decretum de iustificatione*, *can. 27:*

« Si quis dixerit nullum esse peccatum mortale nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti: a. s. ».

S. Basilius: Vide *Q. 66.*

Quaestio 285ª.

Concilium Tridentinum, *sess. VI, Decretum de iustif., cap. 6:*

« Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur ad Deum, credentes vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt; atque illud in primis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quae est in Christo Iesu; et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit* (*Hebr., XI, 6*); et: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (Marc., *II, 5;* Matth., *IX, 2*); et: *Timor Domini expellit peccatum* (*Eccli., I, 27*); et: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti* (*Act., II, 38*); et: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare quaecumque mandavi vobis* (Matth., *XXVIII, 19, 20*). Denique: *Praeparate corda vestra Domino* » (*I Reg., VII, 3*).

S. Augustinus, *De spiritu et littera, 48:*

« Si autem hi qui *naturaliter quae legis sunt faciunt* (*Rom., II, 14*), nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi iustificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum nec Deum verum veraciter iusteque colentium, quaedam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quae secundum iustitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus; quanquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur quae iustitiae debitam laudem defen-

sionemve mereantur. Verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere; si hoc est quod dictum est, quia *gentes quae legem non habent*, hoc est, legem Dei, *naturaliter quae legis sunt faciunt*... differentia non perturbabitur, qua distat a Vetere Testamentum Novum... Sicut enim non impediunt a vita aeterna iustum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur, sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis invenitur ».

(P. L., *44*, *229 s.*).

Quaestio 286ª.

S. Ephraem, *De Epiphania*, *X*, *14:*

« Bonus Dominus hisce duobus allaborat: cogere non vult libertatem nostram, nec ut remissi simus permittit. Si enim coactione utitur, potestatem arbitrii tollit; si vero relaxatione, privat animam auxilio suo. Sciens Dominus quod si cogit, privat nos, si auxilium retrahit, perdit nos, si docet, acquirit nos; non cogit nec auxilium retrahit, ut facit Malus, sed docet, erudit et acquirit, utpote bonus ».

(Lamy, *l. c.*, *I*, *102*).

S. Cyrillus Alexandrinus. *De adoratione in spiritu et veritate*, *I:*

« Quia hominis natura non est admodum firma, neque satis virium habet ut emergere e vitiis possit, opem illi fert in ea re Deus. Itaque duplicem gratiam tribuere cognoscitur; tum enim monitis suadet tum adiuvandi rationes invenit, easque praesenti malo vimque nobis afferente valentiores efficit ».

(P. G., *68*, *174*).

Quaestio 287ª.

Concilium Arausicanum II (*529*), *contra Semipelagianos:*

« *Can. 3.* Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae Prophetae, vel Apostolo idem dicenti:

Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant (*Rom.*, *X*, *20;* Isa., *LXV*, *1*).

« *Can. 4.* Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: *Praeparatur voluntas a Domino* (*Prov.*, *VIII*, *36*), et Apostolo salubriter praedicanti: *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (*Phil.*, *II*, *13*).

« *Can. 5.* Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, et ad [re]generationem sacri Baptismatis pervenimus, non per gratiae donum, id est per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente: *Confidimus, quia qui coepit in nobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Iesu Christi* (*Phil.*, *I*, *6*); et illud: *Vobis datum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini* (*Phil.*, *I*, *29*), et: *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est* (*Eph.*, *II*, *8*). Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

« *Can. 6.* Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus, nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus vel haec omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati, aut oboedientiae humanae subiungit gratiae adiutorium, nec, ut oboedientes et humiles simus, ipsius gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: *Quid habes, quod non accepisti?* (*I Cor.*, *IV*, *7*), et: *Gratia Dei sum id quod sum* (*I Cor.*, *XV*, *10*) ».

(Mansi, *VIII*, *713 s.*).

Concilium Tridentinum, *sess. VI, De iustificatione:*

« *Can. 1.* Si quis dixerit hominem suis operibus quae vel per humanae naturae vires vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Iesum Christum gratia, posse iustificari coram Deo: a. s.

« *Can. 2.* Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Christum Iesum dari, ut facilius homo iuste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utcumque sed aegre tamen et difficulter possit: a s.

« *Can. 3.* Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet ut ei iustificationis gratia conferatur: a s. ».

S. Gregorius Nazianzenus, *Oratio 37, 13:*

« Quoniam enim nonnulli sunt qui ob recte facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis adscribant, nec quidquam creatori et sapientiae eorum auctori ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant, eos edocet sermo [*Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*] quod ipsum etiam recte velle divino auxilio indigeat; immo, ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa et electio eorum quae recta et cum officio coniuncta sunt, divinum quoddam beneficium est atque donum a Dei benignitate manans. Quod enim salvamur, id et a nobis et a Deo esse oportet. Idcirco ait: *Non volentis*, id est, non solum volentis, *nec currentis* solum, *sed* etiam *miserentis Dei*. Ita, quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo iure totum Deo assignavit. Quantumlibet curras, quantumlibet certes, opus habes eo qui det coronam ».

(P. G., *36, 298 s.*).

S. Ioannes Chrysostomus, *In Genesim, XXV, 7:*

« Neque enim possibile est bonum aliquod nos recte agere non adiutos superna gratia ».

(P. G., *53, 228*).

Quaestio 288ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 189*.

Innocentius X, *Const.* Cum occasione, *31 maii 1653, contra errores Iansenii, prop. 1 inter damnatas:*

« Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant ».

(Du Plessis, *l. c., III, 11, 261*).

S. Ioannes Chrysostomus, *In Epist. ad Hebraeos, XVI, 4:*

« Non licet dicere: Non possum; id enim est accusare Opificem. Nam si nos fecit imbecilles et iubeat, ipsius est accusatio. Quomodo ergo, inquit, multi non possunt? Quia nolunt. Quomodo non volunt? Prae desidia; nam si voluerint, poterunt omnino... Habemus enim Deum adiuvantem et opem ferentem; solum eligamus, solum ad rem tanquam ad opus accedamus, tantum simus solliciti, tantum mentem adhibeamus, et omnia sequuntur ».

(P. G., *63, 127 s.*).

Quaestio 291ª.

S. Ioannes Chrysostomus, *In Genesim, XXX, 5:*

« Magnum bonum precatio. Nam si quis homini loquens, virtute praedito, non parvum inde fructum percipit, quantis bonis non fruetur is cui cum Deo colloquium fuerit? Oratio enim colloquium est cum Deo... An non enim praestare potest priusquam petamus? Verum propter hoc differt et exspectat, ut occasionem accipiat, qua iuste nos sua providentia dignos faciat ».

(P. G., *53, 280*).

Quaestio 298ª.

S. Augustinus, *In Ioannem, CVII, 1:*

« Domini verba nunc ista tractanda sunt: *Amen, amen, dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* (Io., *XVI, 23*). Iam dictum est in superioribus huius Domi-

nici sermonis partibus, propter eos, qui nonnulla petunt a Patre in Christi nomine, nec accipiunt: non peti in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis. Non enim sonum litterarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, et quod eo sono recte ac veraciter intelligitur, hoc accipiendus est dicere, cum dicit *In nomine meo*.

« Unde qui hoc sentit de Christo, quod non est de unico Dei Filio sentiendum, non petit in eius nomine, etiamsi non taceat litteris ac syllabis Christum: quoniam in eius nomine petit, quem cogitat cum petit. Qui vero quod est de illo sentiendum, sentit, ipse in eius nomine petit: et accipit quod petit, si non contra suam salutem sempiternam petit. Accipit autem quando debet accipere. Quaedam enim non negantur: sed ut congruo dentur tempore, differuntur. Ita sane intelligendum est quod ait: *Dabit vobis:* ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quae ad eos qui petunt proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis: quia non utcumque dictum est, *Dabit;* sed, *Dabit vobis* ».

(P. L., *35*, *1896*).

Quaestio 313ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 189*.

Quaestio 322ª.

Leo XIII, *Encycl.* Adiutricem populi, *5 sept. 1895:*

« Eximiae in nos caritatis Christi mysterium ex eo quoque luculenter proditur, quod moriens Matrem ille suam Ioanni discipulo matrem voluit relictam, testamento memori: *Ecce filius tuus*. In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis, eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent: in qua sententia Sanctus Anselmus Cantuariensis: " Quid, *inquit*, potest dignius aestimari, quam ut tu, Virgo, sis mater quorum Christus dignatur esse pater

et frater? „ (Oratio 47). Huius igitur singularis muneris et laboriosi partes ea suscepit obiitque magnanima, consecratis in Cenaculo auspiciis ».

(Acta Leonis XIII, *XV*, *302*).

Pius X, *Encycl.* Ad diem illum, *2 febr. 1904:*

« An non Christi mater Maria? nostra igitur et mater est. - Nam statuere hoc sibi quisque debet, Iesum, qui Verbum est caro factum, humani etiam generis servatorem esse. Iam, qua Deus-Homo, concretum ille, ut ceteri homines, corpus nactus est: qua vero nostri generis restitutor, spiritale quoddam corpus atque, ut aiunt, mysticum, quod societas eorum est, qui Christo credunt. *Multi unum corpus sumus in Christo* (*Rom.*, *XII*, *5*). Atqui aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, mortalium fieret sospitator. Quamobrem Angelus pastoribus dixit: *Natus est vobis hodie Salvator*, *qui est Christus Dominus* (Luc., *II*, *11*). In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris et carnem Christus sibi assumpsit et spiritale simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum qui crediturі erant in eum. Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique, ut ait Apostolus, *membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius* (*Ephes.*, *V*, *30*), de Mariae utero egressi sumus, tanquam corporis instar cohaerentis cum capite. Unde, spiritali quidem ratione ac mystica, et Mariae filii nos dicimur, et ipsa nostrum omnium mater est. " Mater quidem spiritu... sed plane mater membrorum Christi, quod nos sumus „ (S. Aug., *De sancta virginitate*, *6*). Si igitur Virgo beatissima Dei simul et hominum parens est, ecquis dubitet eam omni ope adniti ut Christus, *caput corporis Ecclesiae* (*Coloss.*, *I*, *18*), in nos sua membra, quae eius sunt munera infundat, idque cumprimis ut eum noscamus et *ut vivamus per eum?* (*I* Io., *IV*, *9*) ».

(Acta Pii X, *I*, *152*).

Benedictus XV, *Epist. ad Sodalitatem Nostrae Dominae a Bona Morte, 22 mart. 1918:*

« .... Liquet item, Virginem Perdolentem, utpote quae a Iesu Christo universorum hominum Mater constituta, eos tanquam infinitae caritatis testamento sibi relicto acceperit, officiumque spiritualis eorum vitae materna benignitate expleat, facere non posse quin carissimis ex adoptione filiis eo temporis momento studiosius opituletur, quo de eorum salute ac sanctitate agitur in sempiternum aevum confirmanda ».

(Acta Apostol. Sedis, *X*, *182*).

Pius XI, *Encycl.* Rerum Ecclesiae, *28 febr. 1926:*

« Communibus autem benigne adrideat faveatque coeptis Sanctissima Regina Apostolorum Maria, quae cum homines universos in Calvaria habuerit materno animo suo commendatos, non minus eos fovet ac diligit, qui se fuisse ab Christo Iesu redemptos ignorant, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruuntur feliciter ».

(Acta Apostol. Sedis, *XVIII*, *83*).

Quaestio 325ª.

Concilium Florentinum *Decretum pro Armenis:*

« Novae Legis septem sunt Sacramenta: videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium, quae multum a Sacramentis differunt antiquae Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscuiusque hominis in seipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiae regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide; renati autem et roborati nutrimur divina Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per Poenitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per Extremam Unctionem; per Ordinem vero Ecclesia gubernatur

et multiplicatur spiritualiter, per Matrimonium corporaliter augetur. Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum ».

(Mansi, *XXXI*, *1054*).

Concilium Tridentinum, *sess. VII*, *De Sacramentis in genere*, *can. 1 et 6:*

« Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum: a. s.

« Si quis dixerit Sacramenta novae Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus: a. s. ».

Pius X, *Decretum* Lamentabili, *3 iulii 1907*, *prop. 39-41 inter damnatas:*

« 39. Opiniones de origine Sacramentorum, quibus Patres Tridentini imbuti erant quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis, quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent.

« 40. Sacramenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt.

« 41. Sacramenta eo tantum spectant, ut in mentem homini revocent praesentiam Creatoris semper beneficam ».

(Acta S. Sedis, *XL*, *472*).

Quaestio 326ª.

Concilium Florentinum: Vide *Q. 325*.

Concilium Tridentinum, *sess. VII, De Sacramentis in genere, can. 11:*

« Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia: a. s. ».

Quaestio 329ª.

Concilium Florentinum: Vide *Q. 325*.

Quaestio 331ª.

Concilium Tridentinum, *sess. VII, De Sacramentis in genere, can. 7-8:*

« Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus: a. s.

« Si quis dixerit, per ipsa novae legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere: a. s. ».

S. Augustinus, *Epist. 98, 2:*

« Ut ... possit regenerari per officium voluntatis alienae cum offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Non enim scriptum est: nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate aut ex offerentium vel ministrantium fide, sed: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto* (Io., *III*, 5). Aqua igitur exhibens forinsecus sacramentum gratiae et Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiae ... regenerant hominem in uno Christo ex uno Adam generatum ». (P. L., *33, 360*).

Idem, *In Ioannem, LXXX, 3:*

« *Iam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis* (Io., *XV*, 3). Quare non erit: mundi estis propter Baptismum

quo loti estis, sed ait: *propter verbum quod locutus sum vobis*, nisi quia et in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum, etiam ipsum tamquam visibile verbum ».

(P. L., *35*, *1840*).

Quaestio 337ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XIV*, *De sacramento Poenitentiae*, *cap. 4 :*

« Docet praeterea, etsi contritionem hanc aliquando caritatem perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam ».

Quaestio 339ª.

S. Augustinus, *Contra Epistolam Parmeniani*, *II*, *28:*

« Utrumque [Baptismus et Ordo] Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam praepositi, pro bono pacis correcto schismatis errore, suscepti sunt, etsi visum est opus esse ut eadem officia gererent quae gerebant, non sunt rursus ordinati, sed sicut Baptismus in iis, ita Ordinatio mansit integra, quia in praecisione fuerat vitium quod unitatis pace correctum est, non in Sacramentis, quae, ubicumque sunt, ipsa sunt ».

(P. L., *43*, *70*).

Quaestio 341ª.

Concilium Florentinum, *Decretum pro Armenis:*

« Inter haec Sacramenta tria sunt: Baptismus, Confirmatio et Ordo, quae Characterem, id est spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor Characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt ».

(Mansi, *XXXI*, *1054*).

Concilium Tridentinum, *sess. VII, De Sacramentis in genere, can. 9:*

« Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: a. s. ».

Innocentius III, *Epist.* Maiores Ecclesiae causas (*1201*), *ad Ymbertum archiep. Arelatensem:*

« Inter invitum et invitum, coactum et coactum alii non absurde distinguunt, quod is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit sacramentum, talis quidem, sicut et is qui ficte ad Baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis impressum, et ipse, tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei christianae... Ille vero qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire... Dormientes autem et amentes, si priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent: quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti; secus autem si prius catechumeni exstitissent et habuissent propositum baptizandi, unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem ».

(Decretales Gregorii IX, *l. III, tit. 42, cap. 3*).

Quaestio 348ª.

Pius X, *Decretum* Lamentabili, *3 iulii 1907, prop. 42 inter damnatas:*

« Communitas christiana necessitatem Baptismi induxit, adoptans illum tanquam ritum necessarium, eique professionis christianae obligationes adnectens ».

(Acta S. Sedis, *XL, 472*).

S. Basilius Magnus, *Homilia 13, 5:*

« Baptismus captivis est redemptionis pretium, debitorum condonatio, mors peccati, regeneratio animae, indumentum lucidum, sigillum quod nullo conatu frangi potest, vehiculum ad caelum, regni conciliator, adoptionis donum ».

(P. G., *31*, *434*).

Quaestio 349a.

Concilium Viennense (*1311-1312*), *Constitutio de Trinitate et fide, contra errores Petri Olivi:*

« Baptisma unicum, baptizatos omnes in Christo regenerans, sicut *unus Deus*, ac *fides unica* (*Eph., IV*, 5), ab omnibus fideliter confitendum. Quod celebratum in aqua in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, credimus esse tam adultis quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem ».

(Mansi, *XXV*, *411*).

Concilium Florentinum, *Decretum pro Armenis:*

« Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitae spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum coelorum introire (Io., *III*, 5). Materia huius Sacramenti est aqua vera et naturalis: nec refert, frigida sit an calida. Forma autem est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Non tamen negamus, quin et per illa verba: *Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, vel: *Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, verum perficiatur Baptisma; quoniam cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister qui tradit exterius Sacramentum: si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctae Trinitatis invocatione perficitur Sacramentum. Minister huius Sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam

laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia. Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio: sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt ».

(Mansi, *XXXI*, *1059*).

Concilium Tridentinum, *sess. VII*, *De Sacramentis in genere*, *can. 2:*

« Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto* (Io., *III*, 5) ad metaphoram aliquam detorserit: a. s. ».

Innocentius III, *Epist.* Non ut apponeres, *1 mart. 1206*, *ad Thoriam Archiep. Nidrosiensem:*

« Postulasti, utrum parvuli sint pro christianis habendi, quos in articulo mortis constitutos, propter aquae penuriam et absentiam sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput ac pectus ac inter scapulas pro Baptismo salivae conspersione linivit. Respondemus, quod cum in Baptismo duo semper, videlicet verbum et elementum, necessario requirantur, iuxta quod de verbo Veritas ait: *Euntes in mundum* etc. (Marc., *XVI*, *15;* Matth., *XXVIII*, *19*), eademque dicat de elemento: *Nisi quis* etc. (Io., *III*, 5), dubitare non debes illos verum non habere Baptismum, in quibus non solum utrumque praedictorum, sed eorum alterum est omissum ».

(Decretales Gregorii IX, *III*, *42*, 5).

Didaché, *VII*, *1:*

« De Baptismo autem, sic baptizate: haec omnia postea quam antea dixistis, baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in aqua viva ».

(Patres Apostolici, *ed. Funk*, *1*, *17 s.*).

Quaestio 352ª.

Concilium Lateranense IV (*1215*), *c. I, De fide catholica, contra Albigenses:*

« Sacramentum vero Baptismi (quod ad Dei invocationem et individuae Trinitatis, videlicet Patris et Filii et Spiritus Sancti, consecratur in aqua) tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiae a quocumque rite collatum proficit ad salutem ».

(Mansi, *XXII, 982*).

Concilium Florentinum: Vide *Q. 349*.

S. Augustinus, *Contra Epistolam Parmeniani, II, 29:*

« Quanquam etsi laicus aliquis pereuntis dederit necessitate compulsus [Baptisma], quod, cum ipse acciperet, quomodo dandum esset addidicit, nescio utrum quisquam pie dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autem necessitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum est. Sed et si nulla necessitate usurpetur et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum ».

(P. L., *43, 71*).

Quaestio 354ª.

Concilium Florentinum, *Decretum pro Iacobitis:*

« Omnibus ... qui christiano nomine gloriantur, praecipit omnino, quocunque tempore, vel ante vel post Baptismum, a circumcisione cessandum, quoniam sive quis in ea spem ponat, sive non, sine interitu salutis aeternae observari omnino non potest. Circa pueros vero, propter periculum mortis quod potest saepe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subveniri nisi per sacramentum Baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur, admonet, non esse per quadraginta aut octoginta dies seu aliud tempus, iuxta quorundam observantiam, sacrum Baptisma differendum; sed quamprimum commode fieri potest, debere conferri, ita tamen quod mortis imminente periculo mox sine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum vel mulierem, in forma Ecclesiae, si

desit sacerdos, quemadmodum in decreto Armenorum plenius continetur ».

(Mansi, *XXXI*, *1738 s.*).

Pius X, *Decretum* Lamentabili, *3 iulii 1907*, *prop. 43 inter damnatas:*

« Usus conferendi Baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis exstitit ut Sacramentum resolveretur in duo, in Baptismum scilicet et Poenitentiam ».

(Acta S. Sedis, *XL*, *472*).

Quaestio 357ª.

Concilium Tridentinum, *sess. VII*, *De Sacramentis in genere*, *can. 7:*

« Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae: a. s. ».

Quaestio 358ª.

Concilium Carthag.: Vide *Q. 74;* Concilium Florentinum: *Q. 341.*

Concilium Tridentinum, *sess. VII*, *De Baptismo*, *can. 5:*

« Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem: a. s. ».

S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catecheses*, *III*, *10:*

« Si quis Baptisma non recipiat, salutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum recipiunt ».

(P. G., *33*, *439*).

Quaestio 359ª.

Innocentius III, *Epist.* Maiores Ecclesiae causas, *sub finem 1201*, *ad Ymbertum Archiep. Arelatensem:*

« ... Poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus ... »

(Decretales Gregorii IX, *l. III*, *tit. 42*, *cap. 3*).

Pius VI, *Const.* Auctorem fidei, *28 aug. 1794, prop. 26 inter damnatas, contra errores Synodi Pistoriensis:*

« Doctrina, quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur; perinde ac si hoc ipso, quod, qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani: – falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa ».

(Bullarii Romani Continuatio, *l. c., 2711 s.*).

Pius IX: Vide *Q. 162.*

Quaestio 360a.

Innocentius II: Vide *Q. 162.*

S. Fulgentius, *De fide, 41:*

« Ex illo tempore quo Salvator noster dixit: *Si quis renatus non fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (Io., *III*, 5), absque sacramento Baptismatis, praeter eos qui in Ecclesia catholica sine Baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum caelorum potest quisquam accipere nec vitam aeternam. Quia sive in Catholica sive in haeresi quacumque vel schismate quisquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Baptismi sacramentum acceperit, integrum Sacramentum accipit; sed salutem, quae virtus est Sacramenti, non habebit, si extra catholicam Ecclesiam ipsum Sacramentum habuerit. Ergo ideo debet ad Ecclesiam redire, non ut sacramentum Baptismatis iterum accipiat, quod nemo debet in quolibet homine baptizato repetere, sed ut in societate catholica vitam aeternam accipiat, ad quam obtinendam nunquam esse potest idoneus, qui cum sacramento Baptismatis ab Ecclesia catholica remanserit alienus ».

(P. L., *65, 692*).

Quaestio 363ª.

Concilium Lugdunense II (*1274*), *Professio fidei Michaelis Paleologi*:

« Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia septem esse ecclesiastica Sacramenta, unum scilicet Baptisma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est Poenitentia, aliud Eucharistia, aliud sacramentum Ordinis, aliud est Matrimonium, aliud Extrema Unctio, quae secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum Eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso Sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi. De Matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem coniugum alterius, secundas et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit: si impedimentum canonicum aliud ex causa aliqua non obsistat ».

(Mansi, *XXIV, 71*).

Concilium Florentinum, *Decretum pro Armenis:*

« Secundum Sacramentum est Confirmatio; cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per episcopum benedicto. Forma autem est: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Ordinarius minister est episcopus. Et cum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum *Actuum Apostolorum* lectio manifestat: *Cum enim audissent*, inquit, *Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant*

in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum (*Act., VIII, 14 ss.*). Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem, chrismate per episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis sacramentum. Effectus autem huius Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat et praecipue crucem eius, quae *Iudaeis quidem* est *scandalum, Gentibus autem stultitia* (*I Cor., 1, 23*), secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur ».

(Mansi, *XXXI, 1055 s.*).

Concilium Tridentinum, *sess. VII, De sacramento Confirmationis:*

« *Can. 1.* Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant: a. s.

« *Can. 2.* Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt: a. s. ».

« *Can. 3.* Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem: a. s. ».

Innocentius III, *Epist.* Cum venisset, *25 febr. 1204, ad Basilium archiep. Trinovitanum:*

« Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur et robur. Unde cum ceteras unctiones simplex sacerdos vel presbyter valeat exhibere, hanc nonnisi summus sacerdos idest episcopus debet conferre, quia de solis

Apostolis legitur, quorum vicarii sunt episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant (*Act.*, *VIII*, *14 ss.*) ».

(P. L., *215*, *285*).

Pius X, *Decretum* Lamentabili, *3 iulii 1907*, *prop. 44 inter damnatas:*

« Nihil probat ritum sacramenti Confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis: formalis autem distinctio duorum Sacramentorum, Baptismi scilicet et Confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi ».

(Acta S. Sedis, *XL*, *473*).

S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catecheses*, *XXI* (*myst. III*), *3:*

« Vide ne nudum et vile suspiceris unguentum hoc esse. Nam sicut panis Eucharistiae, post invocationem Sancti Spiritus, non est communis panis, sed corpus Christi, ita et sanctum istud unguentum, non amplius nudum neque, si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem, sed Christi donarium et Spiritus Sancti, praesentia divinitatis eius, efficax factum. Quod quidem symbolice fronti aliisque sensibus tuis illinitur. Ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur ».

(P. G., *33*, *1090 s.*).

S. Cyrillus Alexandrinus, *In Ioel*, *32:*

« Data est nobis ceu in pluvia aqua vivens sacri Baptismatis, et tanquam in frumento panis vivus, et tanquam in vino sanguis. Accessit item usus olei, qui per sacrum Baptismum in Christo iustificatis ad consummationem conferret ».

(P. G., *71*, *374*).

Quaestio 371ª.

Concilium Lateranense II (*1139*), *can. 23:*

« Eos autem, qui religiositatis speciem simulantes, Domini corporis et sanguinis Sacramentum, Baptisma puerorum, Sacerdotium et ceteros ecclesiasticos Ordines et legitimarum damnant foedera nuptiarum, tanquam haereticos ab Ecclesia Dei pellimus

et damnamus, et per potestates exteras coerceri praecipimus. Defensores quoque ipsorum eiusdem damnationis vinculo innodamus ».

(Mansi, *XXI*, *532*).

Concilium Tridentinum, *sess. XIII*, *Decretum de sanctissima Eucharistia*, *cap. I:*

« Principio docet sancta Synodus, et aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctae Eucharistiae sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum atque hominem, vere, realiter, ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Neque enim haec inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dextram Patris in coelis assideat iuxta modum exsistendi naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit, ea exsistendi ratione, quam, etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, et constantissime credere debemus. Ita enim maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima coena Redemptorem nostrum instituisse; cum post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est: quae verba a sanctis Evangelistis commemorata, et a divo Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem praeseferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt; indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiae sensum detorqueri; quae, tanquam columna et firmamentum veritatis, haec ab impiis hominibus excogitata commenta, velut Satanica detestata est, grato semper et memori animo praestantissimum hoc Christi beneficium agnoscens ».

Leo XIII, *Encycl.* Mirae caritatis, *28 maii 1902:*

« Nunc vero eadem ipsa, advigilante in Ecclesiae tempora, apostolica caritate movemur ac prope impellimur ut, aliud quid-

dam ad ea proposita iam confecta tanquam perfectionem suam addamus, ut videlicet christiano populo maiorem in modum commendemus sanctissimam Eucharistiam, quippe donum divinissimum ex intimo plane Corde prolatum eiusdem Redemptoris, desiderio desiderantis singularem huiusmodi cum hominibus coniunctionem, maximeque factum ad saluberrimos fructus redemptionis eius dilargiendos...

« Iamvero ad vigorem fervoremque fidei in animis redintegrandum perapte est, ut nihil magis, mysterium Eucharisticum, proprie *mysterium fidei* appellatum: hoc nimirum uno, quaecumque supra naturam sunt, singulari quadam miraculorum copia et varietate, universa continentur: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se* (*Ps. CX, 4-5*). Si Deus enim quidquid supra naturam fecit, ad Verbi retulit Incarnationem, cuius beneficio restitueretur humani generis salus, secundum illud Apostoli: *Proposuit..... instaurare omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt, in ipso* (*Ephes., I, 9-10*); Eucharistia, Patrum sanctorum testimonio, Incarnationis continuatio quaedam et amplificatio censenda est. Siquidem per ipsam incarnati Verbi substantia cum singulis hominibus copulatur, et supremum in Calvario sacrificium admirabili modo renovatur; id quod praesignavit Malachias: *In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* (*I, 11*) ».

(Acta Leonis XIII, *XXII, 116, 122*).

Quaestio 372ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 371.*

Quaestio 373ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XIII, Decretum de sanctissima Eucharistia, cap. 4:*

« Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec

Synodus declarat, per consecrationem panis et vini, conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius: quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia Transsubstantiatio est appellata ».

S. Iustinus, *Apologia I, 66:*

« Atque hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia, cuius nemini alii licet esse participi, nisi qui credat vera esse quae docemus, atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat ut Christus tradidit. Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum, per Verbum Dei caro factus, Iesus Christus salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa, sic etiam illam alimoniam, in qua per precem, ipsius verba continentem, gratiae actae sunt, ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis suis, quae vocantur evangelia, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt: eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem; hoc est corpus meum;* et poculo similiter accepto actisque gratiis, dixisse: *Hic est sanguis meus*, ipsisque solis tradidisse ».

(P. G., *6*, *427 s.*).

S. Ephraem, *In Hebdomadam Sanctam, IV, 4. 6:*

« Accepit Iesus Dominus noster in manibus suis merum in initio panem et benedixit, signavit ac sanctificavit eum in nomine Patris et in nomine Spiritus, et fregit atque distribuit discipulis suis minutatim in sua bonitate propitia; panem vocavit corpus suum vivum, et se ipso atque Spiritu replevit eum; extendens autem manum dedit iis panem quem dextera sua sanctificaverat: Accipite, manducate omnes ex hoc quod sanctificavit verbum meum. Quod nunc vobis dedi ne panem existimetis; accipite, manducate hunc panem, nec conteratis micas eius; quod vocavi corpus meum, hoc revera est. Una particula e micis eius milia milium sanctificare valet, et sufficit ut vitam

praebeat omnibus qui manducant eam. Accipite, manducate in fide, nihil haesitantes, quia hoc est corpus meum; et qui manducat illud in fide, ignem et spiritum in illo manducat. Si quis autem dubitans manducat illud, merus panis fit ei; at qui cum fide manducat panem in nomine meo sanctificatum, si purus sit, purus conservatur, si peccator, condonatur. Qui autem illum despicit aut spernit vel contumelia afficit, pro certo habeat quod contumelia afficit Filium, qui eum vocavit et realiter effecit corpus suum.

« Postquam manducaverunt discipuli panem novum et sanctum et fide intellexerunt se per eum manducavisse Christi corpus, continuavit Christus explicare et tradere totum Sacramentum. Accepit miscuitque calicem vini; deinde eum benedixit, signavit ac sanctificavit, profitens suum sanguinem esse qui effundendus erat... Iussit eos bibere Christus, et explicavit iis sanguinem suum esse calicem quem bibebant: Hic est verus sanguis meus, qui pro vobis omnibus effunditur; accipite, bibite ex eo omnes, quia novum testamentum est in sanguine meo. Sicut vidistis me facientem, sic facietis in meam commemorationem. Quando congregabimini in nomine meo in Ecclesia, ubique locorum, facite quod feci in mei memoriam; manducate corpus meum, et bibite sanguinem meum, testamentum novum et vetus ».

(Lamy, *l. c., I, 416, 422*).

S. Athanasius, *Fragmenta sermonis cuiusdam ad Baptizatos:*

« Videbis levitas panes vinique calicem ferentes mensaeque imponentes. Et quandiu quidem preces et invocationes nondum sunt peractae, nihil aliud nisi panis calixque est. Postquam autem peractae fuerint magnae miraeque preces, tunc panis fit corpus, calix autem Domini nostri Iesu Christi sanguis. ...

« Veniamus ad mysteriorum perfectionem. Hic panis et hic calix ante preces et supplicationes nihil ultra naturam propriam habent; ubi autem magnae preces sanctaeque supplicationes edictae fuerint, descendit Verbum in panem et calicem, et fit corpus eius ».

(P. G., *26, 1326*).

S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Cathecheses*, *XXII* (*myst. IV*), *2-3. 6. 9; XXIII* (*myst. V*), *7:*

« Vel haec sola beati Pauli institutio (*I Cor.*, *XI*, *23*) abunde sufficiens est, ut certam vobis de divinis mysteriis fidem faciat, quibus digni habiti, concorporei et consangues Christi facti estis. Ille enim modo clamabat: *Quod in ea nocte qua tradebatur*, etc. Cum igitur ipse pronuntiaverit et dixerit de pane: *Hoc est corpus meum*, quis audebit deinceps ambigere? Et cum ipse asseveraverit et dixerit: *Hic est sanguis meus*, quis unquam dubitaverit, aiens non esse eius sanguinem?

« Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit; et eum parum dignum existimabimus cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit? Ad nuptias corporales vocatus, stupendum hoc miraculum effecit; et non eum multo magis filiis thalami nuptialis corpus suum et sanguinem fruenda donasse confitebimur?

« Quare cum omni persuasione tanquam corpus et sanguinem Christi [illa] sumamus. Nam in figura panis datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis, ut cum sumpseris corpus et sanguinem Christi, concorporeus et consanguis ipsi efficiaris. Sic enim et Christiferi efficimur, distributo in membra nostra corpore eius et sanguine. Sic, iuxta beatum Petrum, *divinae* efficimur *consortes naturae* (*II Petr.*, *1*, *4*).

« Quamobrem ne tanquam nudis pani et vino attendas; sunt enim corpus et sanguis Christi, secundum Domini asseverationem; nam etiamsi illud tibi suggerat sensus, fides tamen te certum et firmum efficiat. Neiudices rem ex gustu, sed ex fide sine ulla dubitatione certus esto, te corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse.

« Isthaec edoctus, et certissima imbutus fide quod qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi, et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustui videatur, sed sanguis Christi, quodque ea de re antiquitus in psalmis aiebat David: *Et panis cor hominis confirmat ut exhilaret faciem in oleo* (*Ps. CIII*, *15*), confirma cor tuum, panem illum tanquam spiritualem sumens, et animae tuae faciem exhilara.

« Deinde, postquam nosmetipsos per has spirituales laudes

sanctificavimus, Deum benignum exoramus ut emittat Sanctum Spiritum super proposita, ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Omnino enim quodcumque attigerit Spiritus Sanctus, id sanctificatum et transmutatum est ».

(P. G., *33*, *1098 ss.*, *1114*).

S. Ioannes Chrysostomus, *in Matthaeum*, *LXXXII*, *4:*

« Deo ubique obsequamur, nec contradicamus ei, etiamsi id quod dicit rationi et intelligentiae nostrae contrarium videatur, sed praevaleat eius sermo rationi et intelligentiae nostrae. Sic etiam in mysteriis faciamus, non ea solum quae sub sensum cadunt respicientes, sed verba eius retinentes; verbum quippe eius fallere nequit, sensus vero noster facile decipitur; verbum eius nunquam excidit, sensus vero saepe fallitur. Quoniam vero ille dixit: *Hoc est corpus meum*, obtemperemus, credamus et spiritualibus oculis ipsum respiciamus. Nihil enim sensibile nobis Christus dedit, sed in rebus etiam sensibilibus omnia sunt spiritualia. Sic enim et in Baptismo per rem sensibilem donum aquae conceditur; quod autem efficitur spirituale est, generatio et renovatio. Nam si incorporeus esses, nuda tibi illa et incorporea dona tribuisset; sed quia corpori coniuncta est anima, in sensibilibus spiritualia tibi largitur. Quot sunt qui modo dicant: Vellem eius formam, typum, vestimenta, calceamenta videre? Ecce: illum vides, ipsum tangis, ipsum comedis ».

(P. G., *58*, *743*).

S. Ioannes Damascenus, *De fide orthodoxa*, *IV*, *13:*

« Corpus est divinitati vere unitum, quod ex sancta Virgine ortum habuit; non ita ut quod in caelos receptum est corpus, descendat, sed quia panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei transmutantur. Si requires quonam pacto hoc fiat, sat tibi sit audire hoc fieri per Spiritum Sanctum: quemadmodum et ex sancta Dei Genitrice Dominus sibi ipsi carnem assumpsit, quae in se ipso subsisteret, nec amplius quidquam nobis perspectum est et exploratum, quam quod Dei sermo verax efficaxque est atque omnia potest, modus vero investigari prorsus nequit. Illud vero dicere alienum non est: quemadmodum natura-

liter panis per comestionem, vinumque et aqua per potionem in corpus et sanguinem comedentis et bibentis transmutantur, ut nec corpus fiant aliud a corpore eius quod prius exstabat; sic panem, qui in prothesi praeparatus fuit, vinum item et aquam, per Spiritus Sancti invocationem et adventum, modo qui naturae viribus et conditione sublimior est, in Christi corpus et sanguinem converti, ut nequaquam duo sint, sed unum et idem. ... Nec vero panis et vinum sunt figura corporis et sanguinis Christi, absit!, sed ipsum Domini corpus deitate dotatum, cum ipse Dominus dixerit: *Hoc est*, non figura corporis, sed *corpus meum*, neque figura sanguinis, sed *sanguis meus*... Quodsi nonnulli panem vinumque vocaverunt antitypa corporis et sanguinis Domini, velut divinus Basilius, hoc non post consecrationem dixerunt, sed antequam oblatio ipsa consecraretur vocem hanc usurparunt. Antitypa porro futurorum dicuntur, non quod non sint vere corpus et sanguis Christi, sed quod nunc quidem divinitatis Christi per ea participes efficiamur, tunc autem intelligentia per solum aspectum ».

(P. G., *94*, *1143 ss.*).

Quaestio 374ª.

Concilium Lateranense IV (*1215*), *c. I, De fide catholica, contra Albigenses:*

«Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse sacerdos est sacrificium, Iesus Christus; cuius corpus et sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem, potestate divina: ut ad perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo quod accepit ipse de nostro ».

(Mansi, *XXII*, *982*).

Concilium Lugdunense II (*1274*), *Professio fidei Michaelis Paleologi:*

« Sacramentum Eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso Sacramento panis vere

transsubstantiatur in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi ».

(Mansi, *XXIV*, *71*).

Concilium Constantiense (*1414-1418*), *sess. VIII, prop. 1-3, inter errores Ioannis Wicleff:*

« 1. Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris.

« 2. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.

« 3. Christus non est in eodem Sacramento identice et realiter (in) propria praesentia corporali ».

(Mansi, *XXVII*, *1207*).

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 371*.

Idem, *sess. XIII*, *Decretum de SS. Eucharistia*, *can. 2:*

« Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transsubstantiationem appellat: a. s. ».

Benedictus XII, *Ex libello* Iamdudum, *an. 1341*:

« Item quod Armeni non dicunt, quod post dicta verba consecrationis panis et vini, sit facta transsubstantiatio panis et vini in verum corpus Christi et sanguinem quod natum fuit de Virgine Maria et passum et resurrexit; sed tenent, quod illud Sacramentum sit exemplar vel similitudo aut figura veri corporis et sanguinis Domini:... propter quod ipsi Sacramentum altaris non vocant corpus et sanguinem Domini, sed hostiam vel sacrificium vel communionem ».

(Mansi, *XXV*, *1189*).

Pius VI, *Const.* Auctorem fidei, *28 aug. 1794*, *prop. 29 inter damnatas*, *contra errores Synodi Pistoriensis:*

« Doctrina synodi, qua parte; tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis remotis quaestionibus scholasticis circa

modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2. tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus; prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis seu conversionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit et quae in sollemni fidei professione continetur; quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica: perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis, favens haereticis ».

(Bullarii Romani Continuatio, *ed. Prati*, *VI*, *III*, *2712*).

Quaestio 376ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XXII*, *De sacrificio Missae*, *cap. 1:*

« Quoniam sub priori Testamento, teste Paulo Ap., propter levitici sacerdotii imbecillitatem, consummatio non erat; oportuit, Deo patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare et ad perfectu ı adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae, visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacer-

dotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent praecepit, per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem* etc., uti semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit. Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit.

« Et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in Gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit, et quam non obscure innuit Apostolus Paulus, Corinthiis scribens, cum dixit non posse eos, qui participatione mensae daemoniorum polluti sunt, mensae Domini participes fieri (cfr. *I Cor., X, 21*); per mensam Altare utrobique intelligens. Haec denique illa est, quae per varias sacrificiorum, naturae et Legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quae bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio, complectitur ».

Idem, *ibid., can. 2:*

« Si quis dixerit illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum: a. s.».

Quaestio 379ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XIII, Decretum de sanctissima Eucharistia, cap. 3:*

« Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum ceteris Sacramentis, symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem; verum illud in ea excellens et singulare repe-

ritur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est; nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod praebebat; et semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate exsistere; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius conexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro, propter admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie atque sub utraque contineri: totus enim et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, et sub eius partibus exsistit.

« *Can. 3.* Si quis negaverit in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri: a. s. ».

Quaestio 382ª.

Concilium Florentinum, *Decretum pro Graecis:*

« Item, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive occidentalis sive orientalis consuetudinem ».

(Mansi, *XXXI, 1031*).

Idem, *Decretum pro Armenis:*

« Tertium est Eucharistiae sacramentum, cuius *materia* est panis triticeus, et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam, iuxta testimonia sanctorum Patrum ac Doctorum

Ecclesiae pridem in disputatione exhibita, creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum. Deinde, quia hoc convenit dominicae passionis repraesentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa quintus a beato Petro: " In Sacramentorum oblationibus, quae intra Missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum solum aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque, id est sanguis et aqua, ex latere Christi profluxisse legitur ,,. Tum etiam, quod convenit ad significandum huius Sacramenti effectum, qui est unio populi christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis: *Aquae multae... populi multi* (*Apoc.*, *XVII*, *15*). Et Iulius Papa secundus post beatum Sylvestrum, ait: " Calix Dominicus iuxta canonum praeceptum vino et aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vinum et aqua miscetur, Christo populus adunatur, et fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur et iungitur ,,. Cum ergo tam sancta Romana Ecclesia a beatissimis Apostolis Petro et Paulo edocta, quam reliquae omnes Latinorum Graecorumque Ecclesiae, in quibus omnis sanctitatis et doctrinae lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiae sic servaverint et modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quaevis regio ab hac universali et rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment: eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquae, prout dictum est, admisceant vino ».

(Ibid., *1056*).

Concilium Tridentinum, *sess. XXII*, *De sacrificio Missae*, *cap. 7:*

« Monet deinde sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia e latere eius aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum

hac mixtione recolitur; et cum aquae in Apocalypsi beati Ioannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur ».

Quaestio 383ª.

Concilium Florentinum, *Decretum pro Armenis:*

« Forma huius Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum: sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur: ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini. Sub qualibet quoque parte hostiae consecratae et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Huius Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris eius unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem: in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum ».

(Mansi, *l. c.*).

Quaestio 385ª.

Concilium Lateranense IV *(1215)*, *c. I*, *De fide catholica*, *contra Albigenses:*

« Una vero est fidelium universalis Ecclesia, in qua idem ipse sacerdos est sacrificium, Iesus Christus, cuius corpus et sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina ».

(Mansi, *XXII*, *982*).

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 376.*

S. Irenaeus, *Adv. haereses, IV, 17, 5:*

« Sed et suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit, et gratias egit, dicens: *Hoc est meum corpus* (Matth., *XXVI, 26*). Et calicem similiter, qui est ex ea creatura quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem. Quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificavit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non accipiam de manibus vestris; quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum clarificatur inter gentes, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purum, quoniam magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus omnipotens* (Mal., *X, 11*); manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offeretur ei, et hoc purum, nomen autem eius glorificatur in Gentibus ».

(P. G., *7, 1023*).

Quaestio 386ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 376*.

S. Gregorius Magnus, *Dialogus, IV, 58:*

« Haec singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet *resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur* (*Rom., VI, 9*), tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur ».

(P. L., *77, 425*).

Quaestio 387ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 379*.

Quaestio 388ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XXII, De sacrificio Missae, cap. 2:*

« Et quoniam in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta Synodus Sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum paenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit: una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cuius quidem oblationis cruentae, inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur; tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, paenis, satisfactionibus; et aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite iuxta Apostolorum traditionem offertur ».

Quaestio 389ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 388*.

Quaestio 390ª.

S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catecheses, XXIII (myst. V), 10:*

« An vero, si rex quispiam viros a quibus offensus fuerit relegarit in exsilium, posteaque illi, ad quos ipsi attinent, coronam plectentes, eam regi pro suis poena ab ipso afflictis obtulerint: nonne ipsis suppliciorum relaxationem gratificaturus sit? Ad eundem modum et nos, pro defunctis, etiamsi peccatores sin preces Deo offerentes, non coronam plectimus, sed Christum

mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis tum pro nobis demereri et propitiare satagentes ».

(P. G., *33*, *1118*).

Quaestio 392ª.

Concilium Tridentinum: *sess. XXII*, *De sacrificio Missae*, *cap. 5:*

« Si quis dixerit, imposturam esse Missam celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit: a. s. ».

Quaestio 393ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XXII*, *De sacrificio Missae*, *cap. 6:*

« Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat; siquidem illae quoque Missae vere communes censeri debent, partim, quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiae ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur ».

Quaestio 394ª.

Pius VI, *Const.* Auctorem fidei, *28 aug. 1794*, *prop. 30 inter damnatas*, *contra errores Synodi Pistoriensis:*

« Doctrina Synodi, qua, dum profitetur " credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis „; dein continuo subicit: " non tamen, quod credamus, in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult, immo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secun-

dum mensuram quae ipsi placet „: unde et consequenter traducit velut " falsam opinionem invectam in populum, quod illi qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant „; sic intellecta, ut, praeter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit ceteris paribus illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus facien lam commendat ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum (*sess. XXIII, cap. 2, De reform.;* Bened. XIV, *Constit.* Cum semper oblatas, § *2*): – falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo ».

(Bullarii Romani Continuatio, *l. c., 2712 s.*).

Quaestio 397[a].

Concilium Tridentinum, *sess. XIII, Decretum de Sanctissima Eucharistia, cap. 2:*

« Ergo Salvator noster. discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, *memoriam faciens mirabilium suorum* (*Ps. CX, 4*); et in illius sumptione colere nos *sui memoriam* praecepit, suamque *annuntiare mortem*, donec ipse ad iudicandum mundum *veniat* (*I Cor., XI, 26*). Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit: *Qui manducat me et ipse vivet propter me* (Io., *VI, 58*), et tanquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a culpis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis; adeoque symbolum unius illius corporis cuius ipse caput exsistit, cuique nos tanquam membra arctissima fidei, spei et caritatis conexione adstrictos esse voluit, *ut idipsum omnes diceremus: nec essent in nobis schismata* (*I Cor., I, 10*) ».

S. Ignatius Martyr, *Epist. ad Ephesios, 20:*

« ... vos ad unum omnes nominatim per gratiam convenitis in una fide et in uno Iesu Christo (qui secundum carnem ex genere David filius est hominis et filius Dei), ut oboediatis episcopo et presbiterio mente indivulsa, frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis est, antidotum ne moriamur, sed vivamus semper in Iesu Christo ».

(P. G., *5*, *662*).

S. Irenaeus, *Adv. haereses, V, 2, 3:*

« Et quemadmodum lignum vitis, depositum in terram, suo fructificat tempore, et granum tritici, decidens in terram et dissolutum, multiplex surgit per spiritum Dei qui continet omnia, quae deinde per sapientiam in usum hominis veniunt, et percipientia verbum Dei Eucharistia fiunt, quod est corpus et sanguis Christi; sic et nostra corpora, ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta in ea, resurgent in suo tempore, verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris ».

(P. G., *VII*, *1127*).

S. Ioannes Chrysostomus, *In Ioannem, XLVI, 3:*

« Ut ergo non solum per dilectionem, sed etiam re ipsa cum illa carne commisceamur, id quod efficitur per cibum quem ille dedit, ut ostendat nobis quanto erga nos ferveat amore, ideo se nobis commiscuit et in unum corpus totum constituit, ut unum simus quasi corpus iunctum capiti ».

(P. G., *59*, *260*).

Idem, *In I Corinth., XXIV, 2:*

« *Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus.* Quid enim, inquit, dico communicationem? Illud ipsum corpus sumus. Quid est enim panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt communicantes? Corpus Christi; non corpora multa, sed unum corpus. Sicut enim panis, ex multis granis constans, unitus est ita ut grana nusquam appareant, sed sint quidem ipsa, non manifesta autem sit illorum differentia propter coniunctionem; nos et mutuo et cum Christo coniungimur. Non enim

ex altero corpore hic, ex altero ille nutritur, sed ex eodem ipso omnes ».

(P. G., *61*, *200*).

Quaestio 399ª.

S. Ioannes Chrysostomus, *In Matthaeum*, *LXXXII*, *5*:

« Cogita quantum contra proditorem indignaris, et contra eos qui Christum crucifixerunt: cave ergo ne tu ipse reus sis corporis et sanguinis Christi. Illi sacrum corpus trucidarunt, tu post tot beneficia cum sordida suscipis anima. Neque enim satis habuit hominem fieri, alapis caedi, immolari, sed se ipsum commiscet nobiscum; non fide tantum, sed re ipsa nos corpus suum constituit. Quanta ergo puritate oporteret eum esse, qui hoc fruitur Sacrificio? »

(P. G., *58*, *743*).

Quaestio 400ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XIII*, *Decretum de sanctissima Eucharistia*, *cap. 7*:

« Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte, certo quo magis sanctitas et divinitas coelestis huius Sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini* (*I Cor.*, *XI*, *29*). Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum: *Probet se ipsum homo* (*ibid.*). Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris; quod si, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur ».

Quaestio 405ª.

Sacra Congregatio Concilii, *Decret.* Sacra Tridentina Synodus, *20 dec. 1905, De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione:*

« Curandum est, ut sedula ad sanctam Communionem praeparatio antecedat et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem et officia ».

(Acta Apostol. Sedis, *II*, *896*).

Quaestio 406ª.

S. Basilius, *Regulae brevius tractatae:*

« *Interrogatio* 172ª. Quali cum timore aut qua animi persuasione aut quo affectu, corpus et sanguis Christi nobis accipienda sint.

« *Responsio.* Timorem quidem docet nos Apostolus, cum ait: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.*, *XI*, *29*); persuasio vero integra habetur ex fide verborum Domini, qui dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem* (Luc., *XXII*, *19*) ».

(P. G., *31*, *1195*).

Quaestio 413ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XIV*, *De sacramento Poenitentiae, cap. 1:*

« Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam, in Baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, *dives in misericordia* (*Ephes.*, *II*, *4*), *cognovit figmentum nostrum* (*Ps. CII*, *14*); illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent: sacramentum videlicet Poenitentiae, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abiecta et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta

ait: *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas* (Ez., *XVIII*, 30). Dominus etiam dixit: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis* (Luc., *XIII*, 3). Et princeps Apostolorum Petrus, peccatoribus Baptismo initiandis poenitentiam commendans, dicebat: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.*, *II*, 38). Porro nec ante adventum Christi poenitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem sacramentum Poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io., *XX*, 22). Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam haereticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta haec Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei, et Christi Evangelium annunciandi, contra huiusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent.

« Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum: a. s. ».

Quaestio 414ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 413*.

Pius X, *Decretum* Lamentabili, *3 iulii 1907*, *prop. 47 inter damnatas:*

« Verba Domini: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io., *XX*, *22 s.*), minime referuntur ad sacramentum Poenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit ».

(Acta S. Sedis, *XL*, *473*).

S. Ioannes Chrysostomus, *De sacerdotio, III, 5:*

« Qui enim terram incolunt in eaque commorantur, ad ea quae in caelis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt quam neque angelis neque archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: *Quaecumque ligaveritis in terra erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis in terra erunt soluta et in caelo.* Habent quidem ii, qui in terra imperant, potestatem ligandi, verum corpora solum: hoc autem vinculum ipsam attingit animam caelosque transcendit; ac quaecumque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat, servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit quam omnem caelestium potestatem? Nam: *Quorum*, inquit, *remiseritis peccata, remittuntur, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quae maior hac potestas fuerit? *Omne iudicium dedit Pater Filio*, videoque ipsum omne illis traditum a Filio esse ».

(P. G., *48*, *643*).

Quaestio 417ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XIV, De sacramento Poenitentiae, cap. 3:*

« Docet praeterea sancta Synodus sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo*, etc. Quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae. Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe Contritio, Confessio et Satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Poenitentiae partes dicuntur. Sane vero res et effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, et cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Haec de partibus et effectu huius

Sacramenti sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui Poenitentiae partes incussos conscientiae terrores et fidem esse contendunt.

« *Can. 4.* Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti Poenitentiae, videlicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur: aut dixerit, duas tantum esse Poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutionem qua credit quis sibi per Christum remissa peccata: a. s. ».

Quaestio 422ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XIV, cap. 3:* Vide *Q. 417.*

« *Can. 7.* Si quis dixerit, in sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias quae peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia: a. s. ».

Quaestio 428ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XIV, De sacramento Poenitentiae, cap. 4:*

« Contritio, quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, et in homine post Baptismum lapso ita demum praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia

divinae misericordiae et voto praestandi reliqua coniunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, iuxta illud: *Proiicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus praevaricati estis et facite vobis cor novum, et spiritum novum* (Ez., *XVIII, 31*). Et certe, qui illos sanctorum clamores consideravit: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci (Ps. L, 6); Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum (Ps. VI, 7); Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae* (Isa., *XXXVIII, 15*), et alios huiusmodi generis: facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactae vitae odio et ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet praeterea, etsi Contritionem hanc aliquando caritatem perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare prius quam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero Contritionem imperfectam, quae Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine sacramento Poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Poenitentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae, ad Ionae praedicationem, plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt. (cfr. Ion., *III*). Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum Poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit neque sensit; sed et falso docent, Contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam ».

S. Gregorius Magnus, *In Evangelia, II, 34, 15:*

« Poenitentiam agere digne non possumus, nisi modum quoque eiusdem poenitentiae cognoscamus. Poenitentiam quippe agere est et perpetrata mala plangere et plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc poenitentiam agere aut dissimulat aut ignorat ».

(P. L., *76, 1256*).

S. Augustinus, *Sermo 351, 12:*

« Non sufficit mores in melius commutare et a factis malis recedere, nisi etiam de his quae facta sunt satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis ».

(P. L., *39, 1549*).

Quaestio 436ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 428.*

Quaestio 438ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 428.*

S. Petrus Chrysologus, *Sermo 94:*

« Vide ne desperes, homo; remansit tibi unde piissimo satisfacias creditori. Absolvi vis? Ama. *Caritas cooperiet multitudinem peccatorum* (*I Petr., IV, 8*). Negationis crimine quid peius? Et tamen Petrus amore solo valuit hoc delere, probante Domino cum dicit: *Petre, amas me?* (Io., *XXI, 15*). Inter omnia Dei praecepta, amor obtinet principatum ».

(P. L., *52, 466*).

Quaestio 439ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 428.*

Leo X, *Bulla* Exsurge Domine, *15 iunii 1520, contra errores Lutheri, prop. 6 inter damnatas:*

« Contritio, quae paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravi-

tatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem ».

(Bullarium Romanum, *ed. Taurinen.*, *V*, 750).

Pius VI, *Const.* Auctorem fidei, *28 aug. 1794, prop. 23, 25, 36 inter damnatas, contra errores Synodi Pistoriensis:*

« 23. Doctrina Synodi de duplici amore dominantis cupiditatis et caritatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub virtute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere; quatenus insinuat, in homine, dum est sub servitute sive in statu peccati destitutus gratia illa qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem huius influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur, aut opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacunque ratione fiant, sint peccata; quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati: – falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Baio damnatum art. 40.

« 25. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum; quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem iustitiae: – falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis iniuriosa, alias damnata, contraria doctrinae Concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiae, opus esse, iuxta consuetum ordinem praeparationis ad iustitiam, ut intret timor primo, per quem veniat caritas: timor medicamentum, caritas sanitas...

« 36. Doctrina Synodi, qua, postquam praemisit, " quando habebuntur signa non aequivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito iudicari dignum, qui admittatur ad participationem sanguinis Iesu Christi, quae fit in Sacramentis ,, subdit, " supposititias conversiones, quae fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere nec durabiles ,, consequenter " pastorem animarum debere insistere signis non

aequivocis caritatis dominantis, antequam admittat suos poenitentes ad Sacramenta ,,; quae signa, ut deinde tradit, " pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato et fervore in operibus bonis ,,; quem insuper " fervorem caritatis ,, perhibet velut dispositionem, quae " debet praecedere absolutionem ,, ; sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae iuncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis iustitiae fontem, nec modo contritio caritate formata, sed et " fervor caritatis dominantis ,,, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et " absolute requiratur ,, ut homo ad Sacramenta et speciatim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur: – falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutae ac probatae in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciae detrahens et iniuriosa ».

(Bullarii Romani Continuatio, *l. c.*, *2711. 2714*).

S. Gregorius Nyssenus, *In Cantica Canticorum*, *homilia 1:*

« Qui enim *vult omnes esse salvos et venire ad agnitionem veritatis* (*I Tim.*, *II*, *4*) ostendit hic perfectissimum et beatum modum salutis, eum dico qui fit per caritatem. Nam nonnullis fit etiam salus per timorem, quando, intuentes ad minas supplicii gehennae, separamur a malo. Sunt etiam aliqui qui propter spem mercedis repositam iis qui pie vixerint, se recte et ex virtute gerunt, non caritate bonum possidentes, sed exspectatione remunerationis ».

(P. G., *44*, *766*).

Quaestio 442ª.

S Ioannes Chrysostomus, *De Lazaro*, *IV*, *4:*

« Si hucusque fuerimus negligentes, iniquitatem in opus progressam mox occidamus per confessionem, per lacrimas, per propriorum commissorum accusationem. Nihil enim tam exitiale peccato quam peccati accusatio condemnatioque, cum poenitudine lacrimisque coniuncta. Condemnasti tuum peccatum? Deposuisti sarcinam. Quis haec dicit? Ipse iudex Deus: *Dic tu peccata tua prior*, *ut iustificeris* (Isa., *XLIII*, *26*). Cur

igitur te, quaeso, pudet, et erubescis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Num conservo confiteris, ut in publicum proferat? Ei qui Dominus est, qui de te curat, qui humanus est, qui medicus est, ostendis vulnera... Nisi dixeris debiti magnitudinem, non agnosces gratiae eminentiam. Non, inquit, cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes; mihi soli dic peccatum privatim, ut sanem ulcus, teque dolore liberem ».

(P. G., *48*, *1012*).

Idem, *Homilia* Quod frequenter sit conveniendum, *2:*

« Ne igitur, quia peccasti, te pudeat accedere; immo ob hoc ipsum accede. Nemo enim dicit: Quia ulcus habeo, medicum non accerso, neque pharmacum accipio: immo ob hoc ipsum maxime et medici advocandi sunt, et pharmacorum vim requirere opus est. Scimus etiam nos ignoscere, quia et ipsi aliis peccatis sumus obnoxii ».

(P. G., *63*, *463*).

Quaestio 445ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XIV*, *De sacramento Poenitentiae*, *cap. 5:*

« Ex institutione Sacramenti iam explicata, universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismun lapsis iure divino necessariam exsistere: quia Dominus noster Iesus Christus (Io., *XX;* Matth., *XVIII*), e terris ascensurus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam praesides et iudices ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint; qui, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim, sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, nec aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac singillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent,

in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima decalogi praecepta commissa, quae nonnunquam animum gravius sauciant, et periculosiora sunt iis quae in manifesto admittuntur: nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt. Verum, cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines irae filios et Dei inimicos reddant; necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta et verecunda confessione, a Deo quaerere. Itaque dum omnia, quae memoriae occurrunt, peccata Christi fideles confiteri studeant, procul dubio omnia divinae misericordiae ignoscenda exponunt. Qui vero secus faciunt, et scienter aliqua retinent, nihil divinae bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat aegrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat. Colligitur praeterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa neque a poenitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotescant; et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et poenam quam oportet pro illis, poenitentibus imponere. Unde alienum a ratione est, docere circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse; aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed et impium est, confessionem, quae hac ratione fieri praecipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare: constat enim, nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiae suae sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me, Domine* (*Ps. XVIII*). Ipsa vero huiusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecun-

dia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus, digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur. Ceterum quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae offensae aedificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda: unde cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu, secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est et modo etiam utitur, fuerit semper commendata; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod iure divino necessarium, et institutum esse intellexerat; sed ut praeceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur: unde iam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore quadragesimae: quem morem haec sancta Synodus maxime probat et amplectitur, tamquam pium et merito retinendum ».

Idem, *ibid., can. 7:*

« Si quis dixerit, in sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias quae peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri stu-

dent, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia: a. s. ».

S. Gregorius Magnus, *In Evangelia, II, 26, 4-6:*

« Principatum superni iudicii sortiuntur [discipuli], ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic eos a Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo consenserant humiliari. Ecce qui districtum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt, et alios damnant vel liberant, qui semetipsos pamnari metuebant. Horum profecto nunc in Ecclesia episcopi locum tenent. Ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed grave pondus istius est honoris... Causae ergo pensandae sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quae culpa praecessit, aut quae sit poenitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat ».

(P. L., *76, 1199 s.*).

S. Cyprianus, *De lapsis, 28-29:*

« Denique, quanto et fide maiores et timore meliores sunt qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesim conscientiae faciant, animi sui pondus exponant, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirant, scientes scriptum esse: *Deus non deridetur!* (*Gal., VI, 7*). Derideri et circumveniri Deus non potest, nec astutia aliqua fallente deludi... Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in saeculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est ».

(P. L., *4, 503*).

S. Hieronymus, *In Matthaeum, III, ad XVI, 19:*

Legimus in Levitico (*XIII, 2 ss.*) de leprosis, ubi iubentur ut ostendant se sacerdotibus, et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant; non quo sacerdotes leprosos

faciant et immundos, sed quo habeant notitiam leprosi et non leprosi, et possint discernere qui mundus, qui immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic et hic alligat vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit quive solvendus ».

(P. L., *26, 122*).

Quaestio 447ª.

Alexander VII, *Decret. diei 24 sept. 1665, prop. 11 inter damnatas:*

« Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere ».

(Du Plessis, *III, 11, 321*).

Quaestio 452ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XIV, De sacramento Poenitentiae, cap. 8-9:*

« Demum quoad Satisfactionem, quae ex omnibus Poenitentiae partibus, quemadmodum a Patribus nostris christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita nunc maxime nostra aetate, summo pietatis praetextu impugnatur ab iis qui speciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt; sancta Synodus declarat, falsum omnino esse et a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam poena condonetur: perspicua enim et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus, praeter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinae iustitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui semel a peccati et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scienter *templum Dei violare* (*I Cor., III, 17*), et *Spiritum Sanctum contristare* (*Eph., IV, 30*) non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut iniurii et *contumeliosi Spiritui Sancto*

(*Hebr.*, *X*, *29*), in graviora labamur, *thesaurizantes nobis iram in die irae* (*Rom.*, *II*, *5*). Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fraeno quodam coercent hae satisfactoriae poenae; cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino poenam, quam ut haec poenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad haec, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, *ex quo* omnis *nostra sufficientia est* (*II Cor.*, *III*, *5*), conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod *si compatimur, et conglorificabimur* (*Rom.*, *VIII*, *17*). Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Iesum; nam qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil possumus, *eo* cooperante *qui nos confortat*, *omnia possumus* (*Phil.*, *IV*, *13*); ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus: facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre. Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere; ne si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem; nam claves sacerdotibus non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent; nec propterea existimarunt, sacramentum Poenitentiae esse forum irae vel poenarum et, sicut nemo unquam catholicus sensit, ex huiusmodi nostris satisfactionibus vim meriti et satisfactionis Domini Nostri Iesu Christi vel

obscurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam poenitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

« Docet praeterea, tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis, sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus ».

Quaestio 457ª.

Concilium Lateranense IV (*1215*), *cap. 21*, *De confessione facienda et non revelanda a sacerdote, et saltem in Pascha communicando:*

« Caveat autem omnino, ne verbo aut signo aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiore consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat, quoniam qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum ».

(Mansi, *XXII*, *1007*).

Quaestio 461ª.

Concilium Tridentinum, *sess. VI, Decretum de iustificatione*, *cap. 14:*

« Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum, excitante Deo, per Poenitentiae sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim iustificationis modus est lapsis reparatio, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit Poenitentiae, cum dixit: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io., *XX, 22-23*). Unde docendum

est, christiani hominis poenitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali; eaque contineri non modo cessationem a peccatis et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum, verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per ieiunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitae exercitia, non quidem pro poena aeterna, quae vel Sacramento vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro poena temporali, quae, ut sacrae literae docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum Sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti: de qua Poenitentia scriptum est: *Memor esto, unde excideris; et age poenitentiam, et prima opera fac* (*Apoc., II, 5*). Et iterum: *Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur* (*II Cor., VII, 10*). Et rursus: *Poenitentiam agite, et facite fructus dignos poenitentiae* (Matth., *III, 2, 8*).

« *Can. 30.* Si quis post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae, vel in hoc saeculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit: a. s. ».

Idem, *sess. XIV, Doctrina de sacramento Poenitentiae:* Vide *Q. 452, et:*

« *Can. 12.* Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse: a. s. ».

Quaestio 462ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XXV, Decretum de Indulgentiis:*

« Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia reti-

nendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant; in his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab haereticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, praesenti decreto generaliter statuit, pravos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas, commode nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus episcopis, ut diligenter quisque huiusmodi abusus Ecclesiae suae colligat, eosque in prima Synodo provinciali referat, ut aliorum quoque episcoporum sententia cognita statim ad Summum Romanum Pontificem deferantur, cuius auctoritate et prudentia, quod universali Ecclesiae expedit statuatur, ut ita sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte, et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur ».

Clemens VI, *Const.* Unigenitus Dei Filius, *25 ian. 1343:*

« Unigenitus Dei Filius ... *factus nobis a Deo sapientia, iustitia, sanctificatio et redemptio* (*I Cor., I, 30*); *non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa* (*Hebr., IX, 12*). *Non enim corruptibilibus auro et argento, sed sui ipsius, agni incontaminati et immaculati, pretioso sanguine nos redemit* (*I Petr., I, 18 ss.*); quem, in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam (quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset), sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse, ita ut *a planta pedis usque ad verticem capitis nulla sanitas* (Isa., *I, 6*) inveniretur in ipso. Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit

infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiae participes sunt effecti.

« Quem quidem thesaurum... per beatum Petrum, coeli clavigerum, eiusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, et propriis et rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae, tam generaliter, quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent), vere poenitentibus et confessis misericorditer applicandum.

« Ad cuius quidem thesauri cumulum beatae Dei Genitricis omniumque electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur, de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut praedictum est) merita, quam pro eo quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum ».

(Extr. comm., *V*, *9*, *2*).

Leo X, *Bulla* Exsurge Domine, *15 iunii 1520*, *prop. 17-22 inter damnatas*, *contra errores Martini Lutheri:*

« 17. Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum.

« 18. Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum; et sunt de numero eorum quae licent, et non de numero eorum quae expediunt.

« 19. Indulgentiae, his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam.

« 20. Seducuntur credentes Indulgentias esse salutares et ad fructum spiritus utiles.

« 21. Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus.

« 22. Sex generibus hominum Indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur ».

(Bullarium Romanum, *l. c.*, *751*).

Pius VI, *Const.* Auctorem fidei, *28 aug. 1794, prop. 40 inter damnatas, contra errores Synodi Pistoriensis:*

« Propositio asserens, Indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti; quasi Indulgentia, praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam: falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata ».

(Bullarii Romani Continuatio, *l. c.*, *2715*).

Pius XI, *Bulla* Infinita Dei misericordia, *29 maii 1924, Indictio universalis Iubilaei Anni Sancti 1925:*

« ... Quicumque enim poenitendo Apostolicae Sedis salutaria iussa, Iubilaeo magno vertente, perficiunt, iidem, tum eam quam peccando amiserant, meritorum donorumque copiam ex integro reparant ac recipiunt; tum de asperrimo Satanae dominatu sic eximuntur, ut libertatem repetant qua *Christus nos liberavit*; tum denique poenis omnibus, quas pro culpis vitiisque suis luere debuerant, ob cumulatissima Christi Iesu, B. Mariae Virginis Sanctorumque merita, plene exsolvuntur ».

(Acta Apostol. Sedis, *XVI, 210*).

Quaestio 469ª.

Conc. Lugd. (*1274*), *Professio fidei Michaelis Paleologi:*

« Tenet etiam et docet eadem Sancta Romana Ecclesia septem esse ecclesiastica Sacramenta... aliud Extrema Unctio, quae secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus adhibetur ».

(Mansi, *XXIV, 70*).

Concilium Florentinum, *Decretum pro Armenis:*

« Quintum Sacramentum est Extrema Unctio, cuius materia est oleum olivae per episcopum benedictum. Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet; qui in his locis ungendus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.

Forma huius Sacramenti est haec: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* etc. Et similiter in aliis membris. Minister huius Sacramenti est sacerdos. Effectus vero est mentis sanatio et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc Sacramento inquit beatus Iacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei* (Iac., *V, 14 ss.*) ».

(Mansi, *XXXI, 1058*).

Concilium Tridentinum, *sess. XIV, Doctrina de sacramento Extremae Unctionis, cap. 1:*

« Instituta est autem sacra haec Unctio infirmorum, tanquam vere et proprie Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem, Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum: *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei* (Iac., *V, 14 ss.*). Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet, materiam, formam, proprium ministrum, et effectum huius salutaris Sacramenti: intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat; formam deinde esse illa verba: *Per istam unctionem*, etc. ».

Innocentius III, *Epist.* Eius exemplo, *18 dec. 1208, Professio fidei Waldensibus praescripta:*

« Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur ».

(P. L., *215, 1512*).

Pius X, *Decretum* Lamentabili, *3 iulii 1907, prop. 48 inter damnatas:*

« Iacobus in sua epistola (Iac., *V, 14 ss.*) non intendit promulgare aliquod Sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem; et si in hoc more forte cernit medium aliquod

gratiae, id non accipit eo rigore quo acceperunt theologi, qui notionem et numerum Sacramentorum statuerunt ».

(Acta S. Sedis, *XL*, *473*).

Quaestio 470ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XIV, Doctrina de sacramento Extremae Unctionis, cap. 2:*

« Res porro et effectus huius Sacramenti illis verbis explicatur: *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei*. Res etenim haec gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur ».

S. Caesarius Arelatensis, *Sermo CCLXV, 3:*

« Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui aegrotat accipiat; et inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est impleatur in eo: *Infirmatur aliquis?* etc. (Iac., *V, 14 ss.*). Videte, fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, et corporis sanitatem recipere et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere ».

(P. L., *39, 2238*).

Quaestio 473ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 470*.

Quaestio 479ª.

Concilium Lugdunense II (*1274*), *Professio fidei Michaelis Paleologi:*

« Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia, septem esse Ecclesiastica Sacramenta... aliud Sacramentum Ordinis ».

(Mansi, *XXIV*, *70*).

Concilium Florentinum, *Decretum pro Armenis:*

« Sextum Sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem; Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem; Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister huius Sacramenti est episcopus. Effectus augmentum gratiae, ut quis sit idoneus minister ».

(Mansi, *XXXI, 1058*).

Concilium Tridentinum, *sess. XXIII, De Sacramento Ordinis, can. 3:*

« Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et Sacramentorum: a. s. ».

Pius X, *Decretum* Lamentabili, *3 iulii 1907, prop. 49-50 inter damnatas:*

« Coena christiana paulatim indolem actionis liturgicae assumente, hi qui Coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt.

« Seniores, qui in Christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem Apostolicam ».

(Acta S. Sedis, *XL, 473*).

Quaestio 480ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XXIII, De sacramento Ordinis:*

« *Can. 2.* Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, et maiores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur: a. s.

« *Can. 6.* Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris: a. s.

« *Can. 7.* Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos, sine populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione irritos esse; aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros: a. s. ».

Quaestio 482ª.

Pius XI, *Epist.* Officiorum omnium, *1 aug. 1922:*

« Officiorum omnium sanctissimorum, quaecumque Apostolici muneris amplitudo complectetur, nullum sane nec unius est nec patet latius, quam curare et efficere ut Ecclesiae ad divina sua munia obeunda bonorum ministrorum satis magna copia suppetat. Id enim est eiusmodi, quod Ecclesiae et dignitatem et efficientiam et vitam ipsam coniunctam habet; quodque ad salutem humani generis tam interest quam quod maxime: siquidem quae mundo parta sunt a Iesu Christo Redemptore immensa beneficia, ea non cum hominibus nisi per ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei communicantur ».

(Acta Apostol. Sedis, *XIV*, *449*).

Quaestio 487ª.

Concilium Florentinum, *Decretum pro Armenis:*

« Septimum est sacramentum Matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae, secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Eph.*, *V*, *32*). Causa efficiens Matrimonii regulariter

est mutuus consensus per verba de praesenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas Matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem coniunctionem Christi et Ecclesiae. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit ».

(Mansi, *XXXI*, *1058 s.*).

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 325.*

Idem, *sess. XXIV*, *De sacramento Matrimonii*, *can. 1:*

« Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam conferre: a. s. ».

Leo XIII, *Encycl.* Arcanum divinae Sapientiae, *10 febr. 1880:*

« Apostolis magistris accepta referenda sunt, quae " sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt „ (Concilium Trident., *sess. XXIV*, *in pr.*) ; nimirum Christum Dominum ad Sacramenti dignitatem evexisse Matrimonium, simulque effecisse ut coniuges, coelesti gratia, quam merita eius pepererunt, saepti ac muniti, sanctitatem in ipso coniugio adipiscerentur: atque in eo, ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia, mire conformato, et amorem, qui est naturae consentaneus, perfecisse, et viri ac mulieris individuam suapte natura societatem divinae caritatis vinculo validius coniunxisse ».

(Acta Leonis XIII, *II*, *16*).

S. Cyrillus Alexandrinus, *In Ioann. Evang., II, 1:*

« Cum nuptiae celebrarentur, caste nimirum et honeste, adest quidem Mater Servatoris, sed et ipse una cum discipulis suis invitatus venit, non tam epulaturus quam ut miraculum

faceret, ac praeterea generationis humanae principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet ».

(P. G., *73*, *223*).

Quaestio 488ª.

Leo XIII, *Encycl.* Arcanum divinae Sapientiae, *10 febr. 1880:*

« Nec quemquam moveat illa tantopere a Regalistis praedicata distinctio, vi cuius contractum nuptialem a Sacramento disiungunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiae reservatis Sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. Etenim non potest huiusmodi distinctio, seu verius distractio, probari; cum exploratum sit in Matrimonio christiano contractum a Sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso Sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate Sacramenti auxit Matrimonium; Matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure... Itaque apparet, omne inter christianos iustum coniugium in se et per se esse Sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse Sacramentum decus quoddam adiunctum, aut proprietatem illapsam extrinsecus, quae a contractu disiungi ac disparari hominum arbitratu queat ».

(Acta Leonis XIII, *II*, *25-26*).

Quaestio 491ª.

Leo XIII. *Encycl.* Arcanum divinae Sapientiae, *10 febr. 1880:*

« Illa viri et mulieris coniunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas prae se tulit proprietates, nimirum unitatem et perpetuitatem... Idque declaratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divina Iesu Christi auctoritate, qui Iudaeis et Apostolis testatus est, Matrimonium ex ipsa institutione sui dumtaxat inter duos esse debere, scilicet virum inter et mulierem; ex duobus unam veluti carnem fieri, et nuptiale vinculum sic esse Dei voluntate intime vehementerque nexum, ut a quopiam inter homines

dissolvi aut distrahi nequeat. *Adhaerebit* [homo] *uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque non iam sunt duo, sed una caro...* (Matth., *XIX*, 5-6) ».

(Acta Leonis XIII, *II*, *12-13*).

S. Augustinus, *De adulterinis coniugiis*, *I*, *9:*

« Quemadmodum igitur si dixerimus: Quicumque mulierem a marito praeter causam fornicationis dimissam duxerit, moechatur, procul dubio verum dicimus; nec tamen ideo illum, qui propter causam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque moechos esse minime dubitamus; ita eum, qui praeter causam fornicationis uxorem dimiserit et aliam duxerit, moechum pronuntiamus; nec ideo tamen eum, qui propter causam fornicationis dimiserit et alteram duxerit, ab huius peccati labe defendimus. Ambos enim, licet alterum altero gravius, moechos tamen esse cognoscimus ».

(P. L., *40*, *456*).

Idem, *De nuptiis et concupiscentia*, *I*, *10:*

« Quoniam sane non tantum fecunditas, cuius fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cuius vinculum est fides, verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis, unde dicit apostolus: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam* (*Eph.*, *V*, *25*); huius procul dubio Sacramenti res est, ut mas et femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, a coniuge coniugem dirimi (Matth., *V*, *32*)... Quod si quisquam fecerit, non lege huius saeculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia, quod etiam sanctum Moysen Dominus, propter duritiam cordis illorum, Israelitis permisisse testatur, sed lege Evangelii reus est adulterii; sicut etiam illa, si alteri nupserit (Matth., *XIX*, *8*, *9*)... Ita manet inter viventes quiddam coniugale, quod nec separatio nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum foederis; sicut apostatae anima, velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, Sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit ».

(P. L., *44*, *420*).

Quaestio 492[a].

Concilium Tridentinum, *sess. XXIV, De sacramento Matrimonii, can. 2:*

« Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum: a. s. ».

Innocentius III, *Epist.* Gaudemus in Domino, *ineunte 1201, ad Episc. Tiberiadensem:*

« Quia vero pagani circa plures insimul feminas affectum dividunt coniugalem, utrum post conversionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immerito dubitatur. Verum absonum hoc videtur et inimicum fidei christianae, cum ab initio una costa in unam feminam sit conversa, et Scriptura divina testetur, quod *propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* (*Gen., II, 24;* Matth., *XIX, 5*; *Eph., V, 31*); non dixit tres vel plures, sed duo; nec dixit *adhaerebit uxoribus*, sed *uxori*. Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum, quae mos quandoque, interdum etiam fas censetur, per quam sicut Iacob a mendacio, Israelita a furto, et Samson ab homicidio, sic et Patriarchae et alii viri iusti qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur. Sane veridica haec sententia probatur etiam de testimonio Veritatis testantis in Evangelio: *Quicunque dimiserit uxorem suam* [*nisi*] *ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur* (Matth., *XIX, 9;* Marc., *X, 11*). Si ergo uxore dimissa duci alia de iure non potest, fortius et ipsa retenta: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia iudicentur, circa Matrimonium reprobandam. Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licite poterit aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum; in quo casu restitutionem petenti, quamvis de iniusta spoliatione constaret, resti-

tutio negaretur: quia secundum Apostolum *frater aut soror non est in huiusmodi subiectus servituti* (*I Cor.*, *VII*, *15*). Quod si conversum ad fidem et illa conversa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur. Quamvis quoque secundum evangelicam veritatem, *qui duxerit dimissam, moechatur* (Matth., *XIX*, *9*), non tamen dimissor poterit obicere fornicationem dimissae, pro eo quod nupsit alii post repudium, nisi alias fuerit fornicata ».

(P. L., *216*, *1269 ss.*).

Quaestio 493ª.

Conc. Trid., *sess. XXIV*, *De sacramento Matrimonii:*

« *Can. 6*. Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugum non dirimi: a. s.

« *Can. 7*. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quae, dimisso adultero, alii nupserit: a. s. ».

Pius IX, *prop. 67 in Syllabo:*

« Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest ».

(Acta Pii IX, *I*, *III*, *703*).

Leo XIII, *Encycl.* Arcanum divinae Sapientiae, *10 febr. 1880:*

« Deinde matrimonium revocavit ad primaevae originis nobilitatem, cum Hebraeorum mores improbando, quod et multitudine uxorum et repudii facultate abuterentur; tum maxime praecipiendo, ne quis dissolvere auderet quod perpetuo coniunctionis vinculo Deus ipse constrinxisset. Quapropter cum difficultates diluisset ab institutis Mosaicis in medium allatas, supremi legislatoris suscepta persona, haec de coniugibus sanxit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob forni-*

cationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur (Matth., *XIX*, 9)».

(Acta Leonis XIII, *II*, *15*).

Quaestio 497ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XXIV, De sacramento Matrimonii, can. 4:*

« Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: a. s. ».

Quaestio 504ª.

Concilium Tridentinum, *sess. XXIV, De Sacramento Matrimonii, can. 12:*

« Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos: a. s. ».

Quaestio 511ª.

Concilium Tridentinum, *sess. VI, Decretum de iustificatione, cap. 7:*

« Unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo, per Iesum Christum cui inseritur, fidem, spem, et charitatem; nam fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit; qua ratione verissime dicitur fidem sine operibus mortuam et otiosam esse ».

Clemens V, *Const.* De summa Trinitate et fide catholica *in Concilio Viennensi, an. 1311, contra errores Petri Ioannis Olivi:*

« Verum quia quantum ad effectum Baptismi in parvulis, reperiuntur doctores quidam theologi opiniones contrarias habuisse, quibusdam ex ipsis dicentibus. per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; aliis e contra asserentibus, quod et culpa iisdem in Baptismo remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur, quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum; Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per Bapti-

sma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit, tam parvulis quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem, et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam ».

(Clement., *I*, *1*).

S. Polycarpus, *Epist. ad Philippenses*, *3:*

« Absens [Paulus] vobis scripsit epistolas, in quas si intueamini, aedificari poteritis in fide quae vobis est data, *quaeque est mater omnium nostrum* (*Gal.*, *IV*, *26*), subsequente spe, praecedente caritate in Deum et in Christum et in proximum. Si quis enim intra haec fuerit, mandatum iustitiae implevit; nam qui charitatem habet, longe est ab omni peccato ».

(P. G., *5*, *1007*).

S. Ioannes Chrysostomus, *In Actus Apostolorum*, *XL*, *2:*

« Caput bonorum habemus per Baptismum; peccatorum remissionem accepimus, sanctificationem, Spiritus participationem, adoptionem, vitam aeternam. Quid amplius vultis? Signa? Sed cessaverunt. Fidem habes, spem, caritatem, quae manent; haec quaere; haec signis sunt maiora. Nihil par caritati; maior omnium est caritas ».

(P. G., *60*, *285*).

Quaestio 513ª.

Benedictus XII: Vide *Q. 62*.

S. Clemens Romanus, *Epist. ad Corinthios*, *I*, *49:*

« Vinculum caritatis Dei quis potest enarrare? magnificentiam bonitatis eius quis, prout oportet, eloqui valet? Altitudo, ad quam evehit caritas, inenarrabilis est. Caritas nos Deo adglutinat, *caritas operit peccatorum multitudinem* (*I Petr.*, *IV*, *8*), caritas omnia sustinet, omnia patienter tolerat; nihil sordidum in caritate, nihil superbum; caritas schisma non habet, caritas seditionem non movet, caritas omnia in concordia facit; in caritate omnes Dei electi sunt perfecti, sine caritate nihil Deo

acceptum est. In caritate nos Dominus sibi assumpsit; propter caritatem, quam erga nos habuit, Dominus noster Iesus Christus voluntate divina sanguinem suum pro nobis tradidit, et carnem pro carne nostra et animam pro animabus nostris ».
(P. G., *I*, *310 s.*).

Quaestio 514ª.

Alexander VII, *prop. 1 damnata, 24 sept. 1665:*
« Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis, ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium ».
(Du Plessis, *III*, *11*, *321*).

Innocentius XI, *prop. 6, 7, 16, 17 inter damnatas, 2 mart. 1679:*
« *Prop. 6.* Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum.
« *Prop. 7.* Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, et non habemus aliam viam, qua iustificari possumus.
« *Prop. 16.* Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.
« *Prop. 17.* Satis est, actum fidei semel in vita elicere ».
(Idem, *III*, *11*, *348*).

Quaestio 515ª.

Concilium Vaticanum, *Const.* Dei Filius, *c. 3, De fide:*
« Cum homo a Deo tanquam creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. — *Est* enim *fides*, testante Apostolo, *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr., XI, 1*) ».

S. Leo Magnus, *Sermo XXVII, 1:*

« Cum... ad intelligendum sacramentum nativitatis Christi, quia de matre virgine est ortus, accedimus, abigatur procul terrenarum caligo rationum, et ab illuminatae fidei oculis mundanae sapientiae fumus abscedat; divina est enim auctoritas cui credimus, divina est doctrina quam sequimur ».

(P. L., *54, 216*).

S. Ioannes Chrysostomus: Vide *Q. 373.*

Quaestio 516ª.

Innocentius XI, *propositiones inter damnatas per* S. Congr. S. Officii, *die 2 martii 1679:*

« *Prop. 22:* Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

« *Prop. 64:* Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Iesu Christi ».

(Du Plessis, *l. c.*).

S. Congregatio S. Officii, *Decretum diei 25 ian. 1703:*

« *2.* Quaeritur utrum antequam adulto conferatur Baptisma, minister teneatur ei explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius. An non sufficeret si moribundus promitteret fore ut, ubi e morbo convalescet, instruendum se curet, ut in praxim redigat quod ei praescriptum fuerit.

« *Ad 2.* Non sufficere promissionem, sed missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis ».

(Codicis Iuris Canonici Fontes, *IV, 41-42*).

Quaestio 517ª.

Concilium Vaticanum, *Const.* Dei Filius, *c. 4, De fide et ratione:*

« Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest; cum idem

Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit. Deus autem negare se ipsum non possit nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus ».

Quaestio 518ª.

Concilium Vaticanum: Vide *Q. 517.*

Pius IX, *Encycl.* Qui pluribus, *9 nov. 1846:*

« Noscitis enim, Venerabiles Fratres, hos infensissimos christiani nominis hostes, caeco quodam insanientis impietatis impetu misere raptos, eo opinandi temeritate progredi, ut inaudita prorsus audacia *aperientes os suum in blasphemias ad Deum* (*Apoc.*, *XIII*, *6*) palam publiceque edocere non erubescant, commentitia esse et hominum inventa sacrosancta nostrae religionis mysteria, catholicae Ecclesiae doctrinam humanae societatis bono et commodis adversari, ac vel ipsum Christum et Deum eiurare non extimescant. Et quo facilius populis illudant atque incautos praesertim et imperitos decipiant et in errores secum abripiant, sibi unis prosperitatis vias notas esse comminiscuntur, sibique philosophorum nomen arrogare non dubitant, perinde quasi philosophia, quae tota in naturae veritate investiganda versatur, ea respuere debeat, quae supremus et clementissimus ipse totius naturae auctor Deus singulari beneficio et misericordia hominibus manifestare est dignatus, ut veram ipsi felicitatem et salutem assequantur.

« Hinc praepostero sane et fallacissimo argumentandi genere nunquam desinunt humanae rationis vim et excellentiam appellare, extollere contra sanctissimam Christi fidem, atque audacissime blaterant, eam humanae refragari rationi. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi vel excogitari potest. Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio nullum-

que dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte, Deo optimo maximo, oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat: fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat.

« Neque minore certe fallacia, Venerabiles Fratres, isti divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes in catholicam religionem temerario plane ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat. In istos tam misere delirantes percommode quidem cadit, quod Tertullianus sui temporis philosophis merito exprobrabat, " qui stoicum et platonicum et dialecticum christianismum protulerunt ,, (*De Praescript.*, *c. 8*). Et sane cum sanctissima nostra religio, non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime patefacta, tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex eiusdem Dei loquentis auctoritate omnem suam vim acquirere, neque ab humana ratione deduci aut perfici unquam posse.

« Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse locutum, ac eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, *rationabile obsequium* exhibeat (*Rom.*, *XII*, *1*). Quis enim ignorat vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit ?

« Sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem et " omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex coelorum Domino accepisse ,, (S. Ioannes Chrysost., *Hom. 1 in Isa.*), ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius exstare, et quod firmioribus innitatur principiis. Haec scilicet fides vitae magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix

ac virtutum foecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Iesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernae doctrinae luce undique refulgens ac coelestium divitiarum ditata thesauris, tot prophetarum praedictionibus, tot miraculorum splendore, tot martyrum constantia, tot Sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges ac maiores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine triumphatisque cuiusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes, utcunque immanitate barbaras ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinae cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi iugo subiecit, *annuntians* omnibus *pacem*, *annuntians bona* (Is., *LII*, 7). Quae certe omnia tanto divinae sapientiae ac potentiae fulgore undique collucent, ut cuiusque mens et cogitatio vel facile intelligat, christianam fidem Dei opus esse.

« Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens, Deum eiusdem fidei auctorem exsistere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abiecta atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo habeat, a Deo traditum esse, quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit ».

(Acta Pii IX, *I*, 1, 6-9).

Quaestio 519ª.

Concilium Lateranense V: Vide *Q. 60*.

Concilium Vaticanum, *Const.* Dei Filius, *c. 4*, *De fide et ratione:*

« Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio *fidei fundamenta demonstret*, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat, fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum

culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur immo, eas, quemadmodum a Deo scientiarum Domino profectae sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum iuvante eius gratia perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent ».

Quaestio 524ª.

Benedictus XII: Vide *Q. 62.*

S. Ioannes Chrysostomus, *In Epist. ad Romanos, XIV, 6:*

« Quid ergo te salvum fecit? Spes in Deum sola, et quod fidem habeas ipsi pro iis quae promisit et dedit; nec quidquam aliud offerendum habuisti. Si haec igitur fides te salvum fecit, hanc et nunc retine; quae enim tot tibi contulit bona, tibi procul dubio circa futura non mentietur. Ea enim quae mortuum, perditum, captivum et inimicum, amicum effecit, filium, liberum, iustum et cohaeredem, ipsique tanta praebuit quanta nunquam quis exspectavisset: quomodo, post tantam liberalitatem et benevolentiam, te in posterum non admittet?... Quid igitur est spes? de futuris confidere ».

(P. G., *60*, *532*).

Quaestio 530ª.

S. Gregorius Magnus, *In Evangelia, II, 30, 1, 2:*

« Sed ecce, si unusquisque vestrum requiratur an diligat Deum, tota fiducia et secura mente respondet: Diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis quid Veritas dicat: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (Io., *XIV, 23*). Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc in epistola sua idem Ioannes dicit: *Qui dicit:* Diligo Deum, *et mandata eius non custodit, mendax est* (*I Io., II, 4*). Vere etenim Deum diligimus, si ad mandata eius nos a nostris voluptatibus coarctamus. Nam qui

adhuc per illicita desideria diffluit, profecto Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit.

« ... Qui ergo Deum vere diligit, qui eius mandata custodit, in eius corde Dominus et venit et mansionem facit, quia sic eum divinitatis amor penetrat, ut ab hoc amore tentationis tempore non recedat. Ille ergo vere amat, cuius videlicet mentem delectatio prava ex consensu non superat. Nam tanto quisque a superno amore disiungitur, quanto inferius delectatur. Unde et adhuc subditur: *Qui non diligit me, sermones meos non servat* (Io., *XIV, 24*) ».

(P. L., *76, 1220 s.*).

Quaestio 532ª.

Conc. Trid., *sess. VI, Decretum de iustificatione, cap. 15:*

« Adversus etiam hominum quorumdam callida ingenia, qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque aiio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti; divinae legis doctrinam defendendo, quae a regno Dei non solum infideles excludit, sed et fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes qui letalia committunt peccata, a quibus cum divinae gratiae adiumento abstinere possunt, et pro quibus a Christi gratia separantur.

« *Can. 27.* Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti: a. s.

« *Can. 28.* Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quae remanet non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum qui fidem sine caritate habet, non esse christianum: a. s. ».

Quaestio 534ª.

Innocentius XI, *prop. 10, 11 inter damnatas per* S. Congr. S. Officii, *die 2 martii 1679:*

« *Prop. 10.* Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

« *Prop. 11*. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus, per solos actus externos ».

(Du Plessis, *III, 11, 348*).

Quaestio 540ª.

S. Augustinus, *In Epist. Ioannis ad Parthos, VIII, 1:*

« Opera misericordiae, affectus caritatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper haec tenenda sunt... intus sunt omnes istae virtutes quas nominavi. Quis autem sufficit omnes nominare? Quasi exercitus est imperatoris, qui sedet intus in mente tua. Quomodo enim imperator per exercitum suum agit quod placet, sic Dominus Iesus Christus incipiens habitare in interiore homine nostro, id est, in mente per fidem (*Eph., III, 17*), utitur istis virtutibus quasi ministris suis ».

(P. L., *35, 2035 s.*).

Quaestio 544ª.

S. Ambrosius, *De mysteriis, 42:*

« Accepisti signaculum spirituale, spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris: et serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis ».

(P. L., *16, 419*).

Idem, *De Sacramentis, III, 8:*

« Sequitur [Baptismum] spirituale signaculum ...; quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus sancti timoris: septem quasi virtutes Spiritus ».

(P. L., *16, 453*).

Quaestio 546ª.

Leo XIII, *Encycl.* Divinum illud munus, *9 maii 1897:*

« Hoc amplius, homini iusto, vitam scilicet viventi divinae gratiae et per congruas virtutes tanquam facultates agenti,

opus plane est septenis illis, quae proprie dicuntur Spiritus Sancti, donis. Horum enim beneficio instruitur animus et munitur, ut eius vocibus atque impulsioni facilius promptiusque obsequatur; haec propterea dona tantae sunt efficacitatis, ut eum ad fastigium sanctimoniae adducant, tantaeque excellentiae, ut in caelesti regno eadem, quamquam perfectius, perseverent ».

(Acta Leonis XIII, *XVII*, *141*).

Quaestio 549ª.

Leo XIII, *Encycl.* Divinum illud munus, *9 maii 1897:*

« ... Ipsorumque ope charismatum provocatur animus et effertur ad appetendas adipiscendasque beatitudines evangelicas, quae, perinde ac flores verno tempore erumpentes, indices ac nunciae sunt beatitatis perpetuo mansurae ».

(Ibid.).

Quaestio 563ª.

S. Hieronymus, *Adv. Iovinianum*, *II*, *30:*

« Sunt peccata levia, sunt gravia. Aliud est decem millia talenta debere, aliud quadrantem... Cernis quod, si pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam; si pro maioribus, difficilis impetratio sit; et inter peccata et peccata magnam esse distantiam ».

(P. L., *23*, *327*).

S. Caesarius Arelatensis, *Serm. 104, 2:*

« Et quamvis Apostolus capitalia plura commemoraverit, nos tamen, ne desperationem facere videamur, breviter dicimus quae sint illa: sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia; et si longo tempore teneatur, iracundia; et ebrietas, si assidua sit, in eorum numero computatur. Quicumque enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognoverit, nisi digne se emendaverit et, si habuerit spatium, longo tempore poenitentiam egerit, et largas eleemosynas erogaverit, et a peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo ait Apostolus, purgari non poterit, sed aeterna illum flamma sine ullo remedio cruciabit. – Quae

autem sint minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est ut omnia replicentur, opus est ut ex iis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis aut in cibo aut in potu plus accipit quam necesse sit, ad minuta peccata noverit pertinere. Quoties plus loquitur quam oportet, aut plus tacet quam expedit... Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis et quasi horrenda scabie repletam deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi caelestis aut vix aut cum grandi confusione venire permittant... Si autem nec in tribulatione Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipsi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu supradicta peccata minuta, tanquam ligna, faenum, stipula, consumantur. – Sed dicit aliquis: Non pertinet ad me quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam aeternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres carissimi, quia ille purgatorius ignis durior erit quam quidquid potest in hoc saeculo poenarum aut cogitari, aut videri, aut sentiri ».

(P. L., *39, 1946*).

Quaestio 567ª.

S. Pius V, *Const.* Ex omnibus afflictionibus, *1 oct. 1567, prop. 20 inter damnatas Baii:*

« Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam ».

(Du Plessis, *l. c., III, 11, 110*).

Quaestio 580ª.

S. Basilius M., *Homilia in Psalm. 33:*

« Cum te appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud et intolerabile Christi tribunal, in quo praesidebit iudex in alto et excelso throno; astabit autem omnis creatura, ad gloriosum illius conspectum contremiscens. Adducendi etiam nos sumus singuli eorum, quae in vita gesserimus, rationem reddituri. Mox illis qui multa mala in vita perpetrarint, terribiles quidam et deformes assistent angeli, igneos vultus prae se ferentes, atque ignem spirantes, ea re propositi et voluntatis

acerbitatem ostendentes, nocti vultu similes, propter maerorem et odium in humanum genus.

« Ad haec cogites profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem splendore, urendi quidem vim habentem, sed privatum lumine; deinde vermium genus, venenum immittens et carnem vorans, inexplebiliter edens, neque umquam saturitatem sentient, intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens. Postremo, quod suppliciorum omnium gravissimum est, opprobrium illud et confusionem sempiternam. Haec time, et hoc timore correptus, animam a peccatorum concupiscentia tamquam freno quodam reprime ».

(P. G., *29*, *370-1*).

Quaestio 582ª.

Concilium Tridentinum: Vide *Q. 74*.

Quaestio 583ª.

Benedictus XII: Vide *Q. 62*.

S. Augustinus, *De anima*, *II*, *8:*

« Illud quod rectissime et valde salubriter credit [Vincentius Victor], iudicari animas cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari, atque in ipsa in qua hic vixerunt carne torqueri sive gloriari; hoc itane tandem ipse nesciebas? Quis adversus evangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, ut in illo paupere qui post mortem ablatus est in sinum Abrahae, et in illo divite, cuius in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat vel audita non credat? »

(P. L., *44*, *498*).

Quaestio 585ª.

Concilium Florentinum, *Decretum pro Graecis:*

« Item, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari: et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium

vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas ».

(Mansi, *XXXI*, *1031*).

S. Ioannes Damascenus, *De fide orthodoxa, IV*, *27:*

« Resurgemus itaque, animis nostris videlicet coniunctis, iterum cum corporibus a corruptione iam exutis, atque tremendo Christi tribunali sistemur, ac tum diabolus ipsiusque daemones et eius homo, hoc est Antichristus, necnon impii flagitiosique homines igni aeterno tradentur; igni, inquam, non qui instar nostri materia constet, sed qualem Deus novit. Qui autem bona egerunt, fulgebunt sicut sol cum Angelis in vita aeterna, cum Domino nostro Iesu Christo, ut videant semper et videantur, indefectibilique inde laetitia fruantur, laudantes eum cum Patre et Sancto Spiritu per infinita saecula saeculorum. Amen ».

(P. G., *94*, *1228*).

Quaestio 586ª.

Concilium Lateranense IV: Vide *Q. 179;* Concilium Florentinum: *Q. 585;* Benedictus XII: *Q. 62;* Pius IX: *Q. 162*.

Vigilius Papa, *Adversus Origenem*, *can. 9:*

« Si quis dicit aut sentit, ad tempus esse daemonum et impiorum hominum supplicium, eiusque finem aliquando futurum, sive restitutionem et redintegrationem fore daemonum aut impiorum hominum: a. s. ».

(Mansi, *IX*, *534*).

Quaestio 588ª.

Concilium Florentinum: Vide *Q.* 585.

S. Gregorius Magnus, *Dialogus*, *IV*, *43:*

« Unus quidem est gehennae ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. Uniuscuiusque etenim quantum exigit culpa, tanta illic sentitur poena ».

(P. L., *77*, *401*).

S. Augustinus, *De fide*, *spe et caritate*, *3*.

« Post resurrectionem, facto universo completoque iudicio, suos fines habebunt civitates duae, una scilicet Christi, altera diaboli; una bonorum, altera malorum; utraque tamen et angelorum et hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit ulla esse peccandi, vel ulla conditio moriendi; istis in aeterna vita vere feliciterque viventibus, illis infeliciter in aeterna morte sine moriendi potestate durantibus, quoniam utrique sine fine. Sed in beatitudine isti alius alio praestabilius, in miseria vero illi alius alio tolerabilius permanebunt ».

(P. L., *40*, *284*).

Quaestio 589ª.

Concilium Lugdunense II (*1274*), *Professio fidei Michaelis Paleologi:*

« ... Quod si vere poenitentes in caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis: eorum animas poenis purgatoriis seu catharteriis, sicut nobis frater Ioannes explanavit, post mortem purgari: et ad poenas huiusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta ».

(Mansi, *XXIV*, *70*).

Concilium Florentinum: Vide *Q.* 585.

Concilium Tridentinum, *sess. XXV, Decretum de Purgatorio:*

« Cum catholica Ecclesia, Spiritu Sancto edocta, ex sacris litteris et antiqua Patrum traditione in Sacris Conciliis et novissime in hac Sacrosancta Synodo docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari, praecipit Sancta Synodus episcopis ut sanam de Purgatorio doctrinam a sacris Patribus et Sacris Conciliis traditam a christifidelibus credi, teneri, doceri et ubique praedicari diligenter studeant... Curent autem episcopi ut fidelium vivorum suffragia Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas aliaque pietatis opera, quae a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta, pie et devote fiant; et quae pro illis ex testamentorum fundationibus vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus et Ecclesiae ministris et aliis qui hoc praestare tenentur, diligenter et accurate persolvantur ».

Benedictus XII: Vide *Q. 62.*

Leo X, *Const.* Exsurge Domine, *15 iunii 1520, prop. 37-40 inter damnatas, contra errores Martini Lutheri:*

« 37. Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quae sit in canone.

« 38. Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes; nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi vel augendae caritatis.

« 39. Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas.

« 40. Animae ex purgatorio liberatae suffragiis viventium minus beantur, quam si per se satisfecissent ».

(Bullarium Romanum, *l. c., 751*).

Pius IV, *Const.* Iniunctum nobis, *13 nov. 1564, Professio Fidei Tridentina:*

« Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari; similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes

Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam; Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo ».

(Mansi, *XXXIII*, *221 s.*).

S. Gregorius Magnus, *Dialogus*, *IV*, *39:*

« Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio praesentatur. Sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quod Veritas dicit quia, si quis in Sancto Spiritu blasphemiam dixerit, *neque in hoc saeculo remittetur ei neque in futuro* (Matth., *XII*, *32*). In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc saeculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet quia de quibusdam conceditur. Sed tamen, ut praedixi, hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est ».

(P. L., *77*, *396*).

Quaestio 592ª.

S. Augustinus, *De civitate Dei*, *XXI*, *13*, *16:*

« Temporarias poenas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii et nunc et tunc, verumtamen ante iudicium illud severissimum novissimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas poenas, quae post illud iudicium sunt futurae, qui post mortem sustinent temporales ...

« Purgatorias autem poenas nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque iudicium. Nequaquam tamen negandum est etiam ipsum aeternum ignem, pro diversitate meritorum, quamvis malorum, aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius vis atqueardor pro poena digne cuiusque varietur, sive ipse aequaliter ardeat, sed non aequali molestia sentiatur ».

(P. L., *41*, *728*, *731*).

Quaestio 593ª.

Concilium Lateranense IV: Vide *Q. 179;* Concilium Florentinum: *Q. 585;* Benedictus XII: *Q. 62.*

Concilium Viennense (*1311-1312*), *contra errores Beguardorum et Beguinarum:*

« 5. Quod quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriae, ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum ».

(Mansi, *XXV*, *410*).

Quaestio 594ª.

Concilium Florentinum: Vide *Q. 585;* Concilium Tridentinum: *Q. 282.*

S. Gregorius Magnus, *Moralia*, *IV*, *70:*

« Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quod hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Unde in evangelio Veritas dicit: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* (Io., *XIV*, *2*). Sed in iisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors; quia tanta vis in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exsultet. Unde et non aeque laborantes in vinea (Matth., *XX*, *10*) aeque cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem mansiones multae sunt, et tamen eumdem denarium dispares laboratores accipiunt; quia una cunctis erit beatitudo laetitiae, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitae ».

(P. L., *75*, *677*).

Aphraates, *Demonstrationes*, *XXII*, *19:*

« Audi nunc Apostolum dicentem: *Unusquisque mercedem accipiet secundum laborem suum* (*I Cor.*, *III*, *8*). Qui parum laboraverit, prout defatigatus fuerit, recipiet. Qui multum cucurrerit, pro modo cursus sui praemium tollet... Et rursum Apostolus ait: *Stella stellam antecellit claritate; sic et resurrectio mortuorum*

(*I Cor.*, *XV*, *41-42*). Noveris itaque, etiam cum ad vitam ingredientur homines, mercedem pariter fore mercede ampliorem, gloriam gloria insigniorem, et praemium amplius altero ».

(Patrologia Syriaca, *I*, *1*, *1030*).

S. Ephraem, *Hymni et sermones*, *11:*

« Qui bona fecerint, transibunt in locum bonis repletum; remanebunt autem mali in gehenna, ut fiant cibus ignis, abripient eos fluctus ignis, ut abeat unusquisque in habitaculum suum; hunc immergent in caenum, unde nunquam extrahetur; illum immittent in ignem, ut ibi in aeternum maneat; alter in tenebras egredietur et ignem nunquam videbit: alius in abyssum descendet et inde nunquam ascendet; alius vero in locum sanctum abibit, ut maneat ibi in aeternum. Sunt qui sedebunt in secundo gradu, alii in tertio, alii exaltabuntur usque ad quintum gradum, alii ad decimum, alii ad trigesimum, alii sedebunt in supernis... Unusquisque enim obtinebit ab ipsa Iustitia mercedem iuxta laborem suum ».

(Lamy, *I. c.*, *II*, *424*).

S. Hieronymus, *Adv. Iovinianum*, *II*, *32. 33. 34:*

« Iam nostri laboris est, pro diversitate virtutum diversa nobis praemia praeparare... Si omnes in caelo aequales futuri sumus, frustra nos hic humiliamus, ut ibi possimus esse maiores... Quid perseverant virgines? Quid laborant viduae? Cur maritatae se continent? Peccemus omnes, et post poenitentiam idem erimus quod Apostoli sunt ».

(P. L., *23*, *329*, *330*, *333*).

S. Hieronymus, *Adv. libros Rufini*, *I*, *23:*

« Quomodo archangelus non dicitur, nisi qui prior est angelorum: sic principatus et potestates et dominationes non appellantur, nisi subiectos aliquos habeant et inferioris gradus:.. Quomodo et inter homines ordo dignitatum ex laboris varietate diversus est, cum episcopus et presbyter et omnis Ecclesiae gradus habeat ordinem suum, et tamen omnes homines sunt; [sciat] sic inter angelos merita esse diversa, et tamen in angelica omnes persistere dignitate ».

(P. L., *23*, *416-17*).

S. Augustinus, *Sermo 87, 6:*

« Erimus ergo in illa mercede omnes aequales, tanquam primi novissimi et novissimi primi ; quia denarius ille (Matth., *XX*, *2*) vita aeterna est, et in vita aeterna omnes aequales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus; quod tamen ad vitam aeternam pertinet, aequalis erit omnibus ».

(P. L., *38*, *533*).

Idem, *In Ioannem*, *LXVII*, *2:*

« Denarius quidem ille aequalis est omnibus, quem paterfamilias iis, qui operati sunt in vinea, iubet dari omnibus, non in eo discernens qui minus et qui amplius laborarunt (Matth., *XX*, *9*); quo utique denario vita significatur aeterna, ubi amplius alio nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in aeternitate mensura. Sed multae mansiones (Io., *XIV*, *2*) diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates ».

(P. L., *35*, *1812*).

NONNULLAE QUAESTIONES DISPUTATAE

QUAE IN CATECHISMO OCCURRUNT

(PRO CATECHISTIS QUI TERTIUM CATECHISMUM EXPLICANT)

NONNULLAE QUAESTIONES DISPUTATAE
QUAE IN CATECHISMUS OCCURRUNT

I.

Quaestio 112.

Inter theologos disputatur de hominibus quos vivos ultima dies inveniet.

Nonnulli putant eos non esse morituros ante universale iudicium, sed viventes iudicari. Innituntur tum verbis Symboli: « inde venturus est iudicare vivos et mortuos » tum verbis Apostoli, *I^a ad Cor.*, *XV*, *51*, quae leguntur in multis codicibus graecis: « Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur ».

Sed plerique censent ipsos quoque esse morituros, statim resurrecturos et postea, una cum ceteris, iudicium universale subituros. Sane Scriptura docet: « In *omnes* homines mors pertransiit, in quo *omnes* peccaverunt (Paulus, *ad Rom.*, *V*, *12*): sicut in Adam *omnes* moriuntur, ita et in Christo *omnes* vivificabuntur (*I^a ad Cor.*, *XV*, *22*) ». Hanc sententiam merito habent securiorem et probabiliorem S. Thomas, *I^a 2^ae*, *q. 81*, *a. 3*, *ad 1^um*, Billot, *De novissimis*, *thes. XII;* P. Hugon, *De novissimis*, *q. 1*, *n. 4*; Lépicier, *De novissimis*, *p. 19 et seqq.*

Si competens auctoritas alteram sententiam certam habuerit, facile erit in responsione ad cit. *Q. 112* post verba: *adhuc vivos* addere: *subinde morituros*.

II.

Quaestio 151.

Si Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio *veritatem ut divinitus revelatam* omnibus credendam proponit, certum est apud omnes (*Q. 148*) *a*) Ecclesiam in hac veritate hoc modo proponenda esse infallibilem; *b*) hanc veritatem omnes admittere debere et quidem *fide divina et catholica;* [1] *c*) ideoque esse haereticum qui pertinaciter eam denegat aut de ea dubitat.

Si Ecclesia, modo supra dicto, omnibus tenendam proponit veritatem *in se non revelatam, sed cum revelatis connexam prouti sunt facta dogmatica et censurae propositionum quae ab Ecclesia proscriptae et prohibitae sunt* (*Q. 150, 151*), omnes pariter admittunt *a*) Ecclesiam etiam in hac veritate hoc modo proponenda esse infallibilem; *b*) hanc veritatem omnes admittere, consensu interno, debere, ita ut qui pertinaciter eam denegat aut de ea dubitat, grave committat peccatum; *c*) sed eum non esse stricto sensu haereticum. Igitur hanc veritatem nos fide admittimus, licet non catholica, sed quanam fide?

---

[1] Verbum *catholica* a Concilio Vaticano additum videtur ut significaretur hanc fidem esse necessariam ut quis sit membrum catholicae Ecclesiae, quia qui pertinaciter aliquam ex his veritatibus denegat aut de ea dubitat, est haereticus et ideo ad catholicam Ecclesiam non amplius pertinet.

Plerique contendunt nos eam admittere *fide ecclesiastica*, quia ea de quibus sermo est, non sunt dicta a Deo, sed solum ab Ecclesia sub Dei assistentia. [1]

Alii docent et hanc veritatem nos admittere *fide divina*, quia eam admittimus propter Ecclesiae infallibilitatem; sed cum Ecclesiae infallibilitas nitatur verbo Dei promittentis eidem suam assistentiam, primum et ultimum fundamentum fidei nostrae est Dei verbum; haec autem est fides divina. [2]

Alii aliis verbis hanc fidem enuntiant. [3]

Nos hanc theologorum controversiam in catechismo praetermittimus, ut videre est in responsione ad cit. *q. 151*.

III.

Quaestiones 158 *et seqq.*

Quaeritur utrum excommunicatio, poena spiritualis omnium maxima, secumferat exclusionem a corpore Ecclesiae ita ut excommunicatus non sit amplius Ecclesiae membrum?

Tres enumerari possunt sententiae.

Prima affirmat de omnibus excommunicatis non solum vitandis, sed etiam toleratis. Huic sententiae favere videntur tum verba sacrae Scripturae, Matth., *XVIII, 17: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publi-*

---

[1] Card. Billot, *De Ecclesia, thes. 18*, et *De virtutibus infusis, thes. 13;* P. Palmieri, P. Schultes...

[2] P. Schiffini S. I., *De virtutibus infusis, disp. III, sect., IV;* P. Marin Sola O. P., *La evolución homogénea, cap. V.*

[3] Apud P. Marin Sola, *l. c.*

canus, tum verba plurium sanctorum Patrum ac Doctorum, tum formulae excommunicationis et absolutionis, quae omnibus excommunicationibus applicantur.

Altera negat de excommunicatis toleratis et affirmat de vitandis. Haec sententia est magis recepta inter theologos recentiores, qui relatum auctoritatis argumentum intelligunt de vitandis tantummodo.

Tertia demum negat de omnibus excommunicatis etiam vitandis, quia in Codice I. C. *can. 2257-2267* ubi omnes poenae in excommunicatos recensentur, haec gravissima poena, nempe exclusio a corpore Ecclesiae, non legitur nec de vitandis.

Nos alteram sententiam, communiorem, uti diximus, inter recentiores theologos, sequuti sumus; sed si competens auctoritas primam aut tertiam aliqua saltem probabilitate gaudere censuerit, facile erit ea quae dicta sunt *Q. 158 et seqq.* corrigere.

IV.

Quaestiones 175, 296.

Quaeritur utrum nos orare possimus animas in Purgatorio degentes ut pro nobis apud Deum intercedant.

Sententia affirmativa non solum est magis recepta apud theologos praesertim recentiores, sed etiam, quod est gravius, est conformis communi fidelium praxi, cui Ecclesia usque adhuc nullo modo contradixit. Obstant tamen magnae notae theologi, quorum nonnulli pro sua sententia afferunt etiam S.Thomam, qui 2^a 2^{ae}, *q. 83, art. 11, ad* 3^{um}, docet, animas in Purgatorio *non esse in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis*. Sed etiam inter

thomistas non desunt qui verba S. Thomae alio sensu intelligunt, ita scilicet ut S. Doctor deneget animabus in Purgatorio degentibus orationem *meritoriam* quae nostro statui vitae respondet, et orationem *intercessionis* propriae dictae quae ex statu gloriae derivatur, non tamen orationem illam quae omnibus *habentibus caritatem* competit et Sanctorum communionem comitatur.

Sententiam affirmativam nos certam habemus, praesertim quia, uti diximus, conformis est praxi fidelium cui Ecclesia numquam contradixit; hinc responsio ad cit. *Q. 175* et *296*. Quod si competens auctoritas hanc sententiam erroneam aut adhuc aliquo modo dubiam declaraverit, facile erit citatas responsiones corrigere.

V.

Quaestio 359.

De pueris qui decedunt cum solo peccato originali hodie doctrina in catechismo tradita communis est, nempe ipsos carere beatifica Dei visione et ita subire poenam originalis peccati, idest poenam damni, non autem poenam peccati personalis, idest poenam sensus. Hoc autem posito, quaestio est utrum carentiae visionis beatificae notitiam habeant et, quatenus affirmative, utrum ex hac notitia dolorem sentiant, necne. Et in hac quaestione non omnes theologi tenent unum idemque.

Est in primis S. Thomae sententia. Angelicus *in 2, dist. 33, q. 2, a. 2*, docuerat animas puerorum cognoscere se vita aeterna privatas esse et causam quare ab ea exclusae sunt, nec tamen ex hoc aliquo modo affligi. Sed postea, *De malo, q. 5, a. 3*, sententiam mutavit,

licet conclusio eadem permaneat, scilicet animas puerorum puniri una privatione visionis beatificae et ex hac privatione, quam ignorant, nullum persentire dolorem: « Animae puerorum, naturali quidem cognitione non carent, qualis debetur animae separatae secundum suam naturam, sed carent supernaturali cognitione quae hic in nobis per fidem plantatur, eo quod non hic fidem habuerunt in actu, nec sacramentum fidei susceperunt. Pertinet autem ad naturalem cognitionem, quod anima sciat se propter beatitudinem creatam; et quod beatitudo consistat in adeptione perfecti boni. Sed quod illud bonum perfectum ad quod homo factus est, sit illa gloria quam Sancti possident, est supra cognitionem naturalem. Unde Apostolus dicit quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus, se*, ac postea subdit: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum;* quae quidem revelatio ad fidem pertinet. Et ideo, se privari tali bono animae puerorum non cognoscunt, et propter hoc non dolent, sed hoc quod per naturam habent, absque dolore possident ».

Haec sententia ab aliis theologis admissa non fuit. Ita Bellarminus, *De amissione gratiae et statu peccati, lib. VI, cap. 6*, probabile censet « parvulos sine Baptismo decedentes dolorem animi habituros quod intelligent se beatitudine privatos, a consortio piorum fratrum et parentum alienos, in carcere Inferni detrusos, et in tenebris perpetuis vitam acturos; ceterum hunc dolorem in eis esse levissimum mitissimumque... » Et Wirceburgenses, *Theol. Dogm., De peccatis, n. 134 et seqq.* has theses ponunt: parvuli, sine Baptismo decedentes, puniuntur privatione beatitudinis supernaturalis – pu-

niuntur etiam privatione beatitudinis naturalis – probabilius videtur non puniri eos poena sensus – tristantur de privatione beatitudinis. Praetermittimus aliorum theologorum duriores sententias.

In hac controversia nos id in catechismo posuimus quod communiter theologi admittunt, nixi auctoritate Innoc. III, Pii VI, Pii IX.

VI.

Quaestio 510.

Certum est apud omnes virtutes theologicas (*fidem*, *spem*, *caritatem*) esse divinitus infusas, uti expresse affirmatur in catechismo *Q. 510*, nec naturaliter acquiri posse. Quid de virtutibus moralibus?

Est quaestio inter theologos; sed ut questio rite intelligatur, quaedam notanda sunt.

Quaestio non est de actibus virtutis moralis directis ad obtinendum finem ordinis naturalis; omnes enim admittunt ad hos actus ponendos satis esse virtutem moralem naturalem, imo nec auxilium gratiae actualis esse necessarium. Pariter quod attinet ad actus virtutis moralis directos ad obtinendum finem ordinis supernaturalis, ex. gr., *si quis ieiunat ut castiget corpus suum et in servitutem redigat*, omnes admittunt, hos actus, si homo est in statu peccati mortalis, poni posse virtute morali naturali sub influxu virtutum theologicarum (fidei et spei) et cum auxilio gratiae actualis, et ad eos ponendos nullatenus requiri virtutem moralem infusam, sed hos actus non esse meritorios vitae aeternae, licet ad iustificationem disponant. Quid vero si homo habet gratiam sanctificantem? Hi actus iam sunt meritorii

vitae aeternae; unde quaestio: ponine possunt et ipsi virtute morali naturali sub influxu trium virtutum theologicarum et cum auxilio gratiae actualis, an requiritur virtus moralis infusa?

Thomistae docent ad hos actus ponendos omnino requiri virtutes morales infusas et has infundi una cum gratia sanctificante et per peccatum amitti una cum eadem gratia sanctificante. Nituntur auctoritate Innocentii III, et Catechismi ad parochos, [1] et rationi theologicae. Nam potentiae animae, naturae viribus relictae, licet agentes sub influxu virtutum theologicarum et cum auxilio gratiae actualis, nequeunt emittere actus proportionatos bono illi supernaturali, quod est vita aeterna. Necesse igitur est ut Deus in animae potentias infundat habitus operativos horum actuum et ii habitus sunt virtutes morales infusae.

Haec thomistarum sententia est communior inter theologos. Scotistae ex adverso censent in casu non esse necessarium admittere virtutes morales a Deo infusas. Nituntur auctoritate Conc. Trid., *sess. VI, cap. 7*, ubi Concilium docet in iustificatione infundi virtutes theolo-

---

[1] Innoc. III, *in cap. 3 Maiores, De Baptismo:* « Illud vero quod opponentes inducunt fidem aut caritatem aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, a plerisque non conceditur absolute, cum propter hoc inter doctores theologos quaestio referatur, aliis asserentibus per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri, nonnullis dicentibus dimitti peccata et virtutes infundi, habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad aetatem ». Catechismus ad parochos, *p. II, c. II, n. 51 :* « Hic autem additur (in Baptismo) nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divinitus infunduntur ».

gicas, nil dicens de moralibus; et accedit ratio theologica. Dubitari enim non potest post obtentam iustificationem hominem iustum sub influxu trium virtutum theologicarum et cum auxilio gratiae actualis, posse, viribus naturae, hos actus ponere; si enim id poterat ante iustificationem, quod omnes admittunt, dicendum a pari vel a fortiori id posse quoque post iustificationem. Post iustificationem vero hos actus esse meritorios vitae aeternae deducitur ex Conc. Trid., *sess. VI*, *can. 32*, [1] et ex doctrina theologica de gratia sanctificante. Nam per gratiam sanctificantem homo ita elevatur, ut evadat vivum membrum Iesu Christi, templum Spiritus Sancti, consors divinae naturae, filius Dei (adoptivus). « Quod si filius, ait Paul., *ad Gal.*, *IV*, *1*, et heres per Deum »; [2] scilicet ex gratia sanctificante ii actus iam sunt actus filii; et si sunt actus *filii*, iam sunt actus *heredis* caelestis gloriae; et si sunt actus *heredis* caelestis gloriae, iam sunt meritorii vitae aeternae.

De hac quaestione (et de pluribus aliis circa virtutes acquisitas vel infusas a theologis agitatas) catechismi tacent omnes.

VII.

Quaestio 80 *et seq.*

Non alienum erit varias doctrinas, et opiniones de *Novissimis*, nominatim de *Inferno* et de *Purgatorio*, breviter hic attingere.

---

[1] Inter *Testimonia* vide hunc canonem tridentinum *Q. 282* et S. Augustini verba *Q. 66*.

[2] Idem repetit Apostolus, *ad Rom.*, *VIII*, *16 seqq.*

De *Inferno* est divina fide credendum :

1. Esse Infernum, daemonibus constitutum et illis qui in peccato mortali, vel uno, decesserint.

2. In Inferno damnatos duplici torqueri poena scilicet poena damni et poena sensus, praesertim ignis.

3. Poenas quas damnati in Inferno patiuntur, esse aeternas numquam aut finem aut mitigationem habituras.

4. Non esse tamen easdem pro omnibus, sed diversas pro numero et gravitate peccatorum, quae aeternam damnationem meruerunt.

Est theologice certum, licet non sit de fide, ignem quo damnati in Inferno torquentur, esse ignem realem seu corporeum, non metaphoricum. P. Hugon, *De novissimis*, *q. 3*, *1*, *n. 7*: « Nulla est definitio Ecclesiae de natura ignis, sed doctrina theologorum de igne non metaphorico, sed reali, ita recepta est in Ecclesia ut contrarium sentire sit intoleranda temeritas ». Idem repetit Lépicier, *De Novissimis*, *q. 4. a. 2*; et Card. Billot, *De novissimis*, *q. 3*, *thesi 4*, Citatur etiam responsio S. Poenitentiariae, quae ad dubium: « utrum poenitentes qui in Inferno solum ignem metaphoricum, non autem realem, agnoscunt, absolvendi sint », respondit *die 30 aprilis 1890* « huiusmodi poenitentes diligenter instruendos esse, et pertinaces non esse absolvendos ».

Denique libere inter theologos disputatur: quonam pacto ignis realis possit puros spiritus, uti sunt daemones et animae damnatorum ante corporum resurrectionem, discruciare; cuiusnam naturae sit ignis infernalis, ubinam Infernus reperiatur, utrum super terram, an subter, utrum sit locus, an status....

Ad Purgatorium quod attinet, est de fide:

1. Purgatorium esse, ubi detinentur animae eorum qui mortui quidem sunt sine peccato mortali, sed quibus aliquod temporalis poenae debitum adhuc solvendum est.

2. In Purgatorio animas puniri et poena damni et poena sensus, idest temporanea visionis beatificae privatione aliisque gravibus poenis.

3. Poenas animarum in Purgatorio quoad diuturnitatem et acerbitatem pro debito temporalis poenae cuique solvendo, inter se differre.

4. Earumdem poenas posse et breviores et mitiores reddi ex suffragiis quae pro ipsis animabus fiunt.

Non est de fide animas in Purgatorio torqueri igne reali seu corporeo, non metaphorico. Concilium Florentinum id definire noluit, quia Graeci opinabantur animas in Purgatorio poenam sensus pati non ex igne reali et corporeo, sed potius ex loco tenebricoso, ex loco moeroris.... Etiam hodie in Ecclesia Orientali catechismi de purgatorio igne tacent omnes; item in Ecclesia latina catechismus Pii PP. X aliique plures. Ex alia autem parte communis in Ecclesia latina fidelium sensus et theologorum doctrina [1] poenam ignis realis admittit, qui nituntur auctoritate S. Gregorii M. et S. Gregorii Nysseni. [2] Quae cum ita sint, etiam nos in nostro cate-

---

[1] Cf. P. Hugon, *l. c.*, *q.* 9, *a.* 5, *n.* 3; Lepicier, *l. c.*, *q.* 5, *a.* 2, *n.* 1; Billot, *l. c.*, *thesi.* 7, cum Bellarmino, Suarez...

[2] S. Gregorius M., *Dialogus*, *IV*, 39: « Sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante iudicium *purgatorius ignis* credendus est » (P. L., 77, 396). S. Gregorius Nyssenus, *Orat. de mor-*

chismo (*q. 590*) de purgatorio igne tacuimus, sed si competens auctoritas eius existentiam tenendam esse extimaverit, facile erit eiusdem mentionem in citata responsione addere.

Libere denique disputatur: utrum purgatorius ignis si existat, sit eiusdem naturae ac ignis infernalis, licet minorem vim cruciandi habeat; quonam pacto animae a corpore separatae ipso possint affici; in quonam loco Purgatorium reperiatur; utrum sit locus, an status; utrum peccata venialia remittantur quoad culpam per purgatorium ignem, Doctore Angelico, *De malo*, *q.* 7, *a.* 11, docente, eadem remitti non per ignem, sed per actum caritatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis.

Congruenter iis quae habet *Prooemium*, has quaestiones inter theologos libere disputatas omnino silentio praeterit catechismus noster; potiusquam tempus teramus in his quaestionibus examinandis, omni contentione adnitamur ut bene vivendo, quemadmodum christianos decet, gehennae poenas effugiamus, et, quantum humana fragilitas sinit, etiam Purgatorii poenas poenitentiis, misericordiaeque officiis vitemus aut saltem et breviores et mitiores reddamus.

---

tuis: Spiritus « e corpore egressus particeps divinitatis fieri non poterit, nisi maculas animo immixtus purgatorius ignis abstulerit » (P. G., *46*, *530*).